
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/evangeliadominic0001fran

Facultas R. P. Provincialis

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Ego Cæsar Crespelle, Societatis Jesu in Belgio Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. Rev^do^ P. Petro Beckx, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Evangelia Dominicarum ac Festorum totius anni,* etc., opera F.-X. Schouppe, præfatæ Soc. Jesu presbyteri, conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, typis mandetur.

Bruxellis, die 1 Maii 1867.

C. CRESPELLE, S. J.

Approbatio Ordinarii.

Libenter permittimus, ut opus cui titulus: *Evangelia Dominicarum ac Festorum totius anni,* etc., a R^do^ Patre Schouppe, Societatis Jesu presbytero, conscriptum, et a variis Theologis examinatum et probatum, in diœcesi nostra typis edatur; ejusque lectionem diœcesis nostræ presbyteris commendamus.

Mechliniæ, die 28 Maii 1867.

† ENGELBERTUS, Card. Arch. Mechl.

EVANGELIA

DOMINICARUM AC FESTORUM

TOTIUS ANNI,

HOMILITICIS EXPLICATIONIBUS

SECUNDUM MENTEM SS. PATRUM ET CATHOLICORUM
INTERPRETUM

ILLUSTRATA,

opera Francisci Xaverii SCHOUPPE, S. J.

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.
II Tim. III, 16, 17.

EDITIO ALTERA.

TOMUS I.

BRUXELLIS
EXCUDEBAT H. GOEMAERE
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHUS.

EBORACI NOVI (NEW-YORK) ET CINCINNATI
APUD FRATRES BENZIGER.

1869

3103

DROITS DE PROPRIÉTÉ ET DE TRADUCTION RÉSERVÉS.





Epistola Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

Admodum Reverende Pater Observantissime,

Sanctissimus Dominus Pius IX tua *Elementa theologiæ dogmaticæ*, tuamque *Evangeliorum expositionem per singulos dies anni festos* libentissime excepit. Gratulatur autem tibi, quod in prioribus, ita paucis omnia scitu necessaria complecti curaveris, ut qui positi sunt Magistri in Israel non modo perspicuitatem, ordinem ubertatemque lucubrationis commendaverint, sed opus præterea accommodatissimum censuerint juniori clero sacris disciplinis rite imbuendo, non minus quam opportunitati maturioris.

Acceptissimumque etiam habuit quod, Ecclesiæ ministris juxta et christiano populo consulturus, commentaria in Evangelia, e Sacrorum

Patrum sententiis deprompta, ita digesseris, ut aptam paratamque materiam exhibere possent homiliis per singulos festos habendis.

Et quoniam nonnisi spirituale fidelium emolumentum, ex ipsa operum indole, te spectasse animadvertit; illud me tibi amplissimum ominari jussit nomine suo, simulque gratias agere de oblatis voluminibus; auspicem vero divini favoris paternæque suæ benevolentiæ pignus nuntiare Benedictionem Apostolicam, quam tibi peramanter impertit.

Quod dum ultro libenterque perficio, peculiaris observantiæ meæ æstimationisque officia tibi exhibere gaudeo, cui adprecor a Deo fausta omnia et salutaria.

Tui, Admodum Reverende Pater Observantissime,

Addictissimus Observantissimus famulus

Franciscus Mercurelli

Sanctissimi Domini Nostri ab epistolis latinis.

Romæ, die 30 Octobris 1867.

Admodum Reverendo Patri Observantissimo P. Francisco Xaverio Schouppe, professori Theol. dogm. et S. Scripturæ, Leodium.

ILLUSTRISSIMO

AC

Reverendissimo Domino

HENRICO FRANCISCO BRACQ

Episcopo Gandavensi.

Illustrissime ac Reverendissime Praesul,

ratum tibi sit, quod de sacris Dominicarum ac Festorum Evangeliis opusculum Deo dante conscripsi, illud me, debitæ venerationis et laudis causa, Amplitudini Vestræ offerre ac dedicare.

Quod quidem obsequium tibi deberi a me sentio, non ideo tantum, quia in Gandavensi diœcesi natus, pietatis quodam officio erga Gandavensis Ecclesiæ Pastorem teneor; sed multo magis, quia

opus ad sacram Scripturam pertinens, illi imprimis deferendum videtur, qui imprimis est in hoc genere præclara laude versatus.

Sane quum ultra triginta quatuor annos sacras Litteras summo omnium plausu interpretatus, divini verbi thesauros perscrutando tractaveris; non modo eruditionem eximiam hisce studiis invenisti, verum etiam verbi Dei æstimationem illam sanctumque amorem, quo discipulorum tuorum animos accendebas, his utendo Apostoli verbis (1) : *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* veritates, *ad arguendum* errores, *ad corripiendum* vitia, *ad erudiendum in justitia* seu quacumque virtute (II Tim. III, 16).

Postquam autem, hausto in sacris Litteris illo spiritu, quo, teste eodem Apostolo, *perfectus*, evadit *homo Dei, ad omne opus bonum instructus*, a Domino vocatus es, ut illustrem hanc Ecclesiam Gandavensem gubernes ac regas; quid gratius contingere tibi possit, quam si instrumentum offeratur ad hoc ordinatum, ut semina sacræ doctrinæ, per te in illis discipulis, qui nunc venerabilem tuum clerum constituunt, deposita, magis magisque foveantur et fructificent?

(1) In opusc. *de Prolegomenis in sacram Script.*

Quapropter benevolentiæ Vestræ meum hunc qualemcumque laborem cum fiducia offero; et manum pastoralem venerabundus exosculans peto, ut benedictionem mihi impertiri digneris : quam velut pignus accipiam benedictionis Ejus, qui te constituit regere et pascere gregem Dei.

Illustrissime ac Reverendissime Præsul,

Amplitudinis Vestræ

infimus in Christo servus,

F.-X. SCHOUPPE, S. J.

Leodii, die 1 Junii 1867.

PRÆFATIO.

Cum ante paucos annos librum edidissem cui titulus : *Adjumenta Oratoris sacri,* in quo quæcumque ad prædicationis substantiam pertinent ordine materiarum colligere eram conatus; significatum est mihi, opus illud, utilissimum quidem, longe utilius evasurum, si, quemadmodum argumenta communia in illo continentur, ita pariter quæ festorum propria sunt ad manum essent. Et quidem viris prudentibus videbatur rem opportunam fore, si in Evangelia Dominicarum ac Festorum opus quoddam compingerem concisum atque methodicum, quod ad homilias coram populo habendas, sacrosque Evangeliorum thesauros exponendos usui esse posset.

Rem arduam mihi proponi tametsi non ignorabam, quoniam tamen spem utilitatis atque animarum fructus subesse mihi affirmabatur, suscipere, Deo confisus, non dubitavi. Cumque deinde, divina disponente Providentia, ad docendum sa-

cram Scripturam essem deputatus, nihil opportunius futuris Evangelii ministris me facere posse existimavi, quam ut præfata Evangelia (1) Dominicarum ac Festorum scholasticis prælectionibus exponerem. Quæ prælectiones velut sua sponte in opus quoddam completum coaluerunt, quale desiderari videbatur.

Easdem itaque prælectiones, opusque totum omni diligentia perfeci, prout Deus dedit; nec exigua delectatione me in hoc elaborasse fateor. Latent enim et reperiuntur in divinis istis eloquiis

(1) *Evangelium*, inquiunt Tridentini Patres, *promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, proprio ore primum promulgavit; deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit* (Sess. 4, Decret. de canonicis Scripturis). — In qua declaratione, etsi nomine *Evangelii* intelligenda sit universa Christi doctrina, adeoque illud omne quod in sacra Scriptura et Traditione continetur; verba tamen Concilii peculiari ratione spectant ad quatuor Evangelistarum libros : qui cum singulariter Christi doctrinam contineant, singulari veneratione semper ab Ecclesia sunt habiti, singularique modo in sacra Liturgia prælecti, et a SS. Patribus populo explicati.

Quapropter de Evangeliis, quæ in Missa præleguntur peculiariter quoque intelligenda videntur hæc ejusdem Concilii verba : *Mandat sancta Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa* LEGUNTUR, *aliquid exponant; atque inter cætera, sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et Festis* (Sess. 22, *de Sacrif. Missæ*, cap. 8).

thesauri, non tantum luminis, sed vitæ et suavitatis, quæ mentem mirifice delectant : quandoquidem verba sunt Sapientiæ incarnatæ, *in cujus labiis diffusa est gratia;* verba, inquam, quæ *spiritus et vita sunt,* eloquia *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (1).

Jam vero hujusmodi opus, qualecumque Deo juvante parare potui, venerabilibus confratribus meis et in sacro ministerio sociis, ex animo et cum fraterna fiducia offero : id unum a divino Evangelii auctore, Domino Jesu Christo, deprecans, ut ipse prædictum opus acceptum habere dignetur, suaque benedictione munire. Qua quidem benedictione accedente fiet, ut Evangelicæ istæ explicationes non res plane sterilis sint futuræ; sed utile subsidium, quo commode juvari poterunt ministri Evangelii, ad magis pleniusque semper possidendum thesaurum, quem in verbis suis divinus Magister deposuit, et veluti effodiendum abscondidit; de quo proinde *thesauro suo copiosius proferent nova et vetera* (2).

Hoc autem declarandum censeo, omne quidem studium in id me contulisse, ut in nullo vel minimo apice a sanctæ Matris Ecclesiæ et SS. Pa-

(1) Joan. VI, 64; Ps. XLIV et XVIII.

(2) Matth. XIII, 52.

trum doctrina recederem; quoniam tamen errare humanum est, si quid irrepsisset sanæ doctrinæ minus consonum, illud ex animo rejicio, et expungendum volo; totumque opus, ut verbis utar quibus pridem usus est illustrissimus Gandavensis Præsul (1), « plene et sincere submitto judicio « sanctæ Matris Ecclesiæ, id est, Episcoporum, « quibus creditum est depositum fidei, et impri- « mis summo eorum vertici, Beati Petri Succes- « sori. »

(1) H.-F. Bracq, *Prolegomena in sacram Scripturam*, monitum præv.

EVANGELIA

DOMINICARUM AC FESTORUM

ILLUSTRATA.

INTRODUCTIO.

Studium sacræ Scripturæ, præsertim Evangeliorum. — Operis hujus scopus et indoles. — Varii sensus in sacra Scriptura contenti ; et expositio homilitica textus sacri pro concione. — Quomodo sensus Verbi Dei sint indagandi. — Thesauri in Evangeliis absconditi.

Quoniam Scriptura sacra, utpote *divinitus inspirata*, præ cæteris libris *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* (1) ; manifestum est eam imprimis homini sacerdoti familiarem esse oportere, *ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat* (2). — Hic proprie *liber sacerdotalis* est, quem sacerdos assidue manibus versare debet, prout monet S. Hieronymus, scribens : *Tu quidem divinas sæpius Scripturas lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur* (3) ; — *tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat* (4).

Quod si Scriptura sacra universim meditanda est et perscrutanda, peculiari tamen modo illæ partes, quas Ecclesia

(1) II Tim. III, 16.
(2) Trid. sess. 5. cap. 1. De reform.
(3) Ad Nepot. cler.
(4) Ad Eustachium.

in sacra Liturgia proponit, atque imprimis Evangelia dominicalia intelligenda esse manifestum est. Quapropter, ut hujusmodi studium facilius evadat, et divini eloquii thesaurus felicius effodiatur, methodicam Evangeliorum dominicalium explanationem visum est ordinare.

Dixi : ut studium facilius evadat : non enim homilias proprie dictas, atque ita paratas exhibere in animo est, ut quales jacent, secluso omni privato labore, pro concione recitentur; sed tantum expositionem quamdam tradere copiosam, quæ juvet ad Evangelium facilius intelligendum, atque inde ad homiliam concinnandam quæ circumstantiis rite sit adaptata.

Operis quidem substantiam non aliunde quam ex SS. Patribus, aliisque S. Scripturæ interpretibus (1), ut S. Thoma, Toleto, Maldonato, Luca Brugensi, A Lapide, Patrizi, etc. judicavimus depromendam (2) ; ad ordinem vero quod spectat, expositionem distinximus duplicem, unam secundum sensum litteralem, alteram secundum sensus mysticos et accommodatitios.

Ut autem explicationes hujusmodi meliori usui evadant, de sensu vario in sacris Scripturis quærendo, nonnulla hic juvabit indicasse.

Sensus Scripturæ sacræ distinguitur triplex : litteralis, mysticus et accommodatitius.

Sensus *litteralis*, seu historicus, ille dicitur quem verba proxime ex intentione Spiritus sancti significant. Duplex est : *proprius*, quem verba proprie accepta efficiunt ; et *metaphoricus* seu tropicus, quem verba metaphorice sumpta consti-

(1 Præter interpretes proprie dictos, quosdam etiam scriptores asceticos, circa sensum præsertim tropologicum, consulendos existimavimus : nominatim *Lud. De Ponte,* qui varias Evangeliorum partes, in *Meditationibus* egregie exponit.

(2) Auctorum hujusmodi nomina in contextu operis passim, et absque peculiari ratione citare visum non est : cum hujusmodi citationibus minus fluens, imo asperior sermo efficeretur ; et aliunde, pro intento scopo, exhibere sufficiat textus sacri expositionem certam, vel saltem sensus et applicationes, quæ interpretibus præclarioribus, aut eorum aliquibus merito probantur.

tuunt. Sic, quando Christus dicitur sedere *ad dexteram* Patris, vox *dextera* non accipitur proprie sed metaphorice: sensusque litteralis est, Christum æqualem cum Patre gloriam obtinere. — Sensus litteralis est sensus primarius, in quo reliqui fundantur.

Sensus *mysticus*, i. e. reconditus, spiritualis, typicus, ille est, qui non significatur proxime per ipsa verba, sed per rem verbis significatam; supponitque sensum litteralem, in quo tanquam involucro delitescit. Subdividi solet in allegoricum, anagogicum et tropologicum (1). — *Allegoricus* dicitur is, qui agit de re pertinente ad Christum ejusque Ecclesiam terrestrem, atque ad ordinem gratiæ; *anagogicus*, ad Ecclesiam cœlestem, atque ad ordinem gloriæ; *tropologicus* seu moralis, ad mores spectat. — Sensus mysticus generatim minus est certus quam sensus litteralis, quum sæpissime conjecturis fundetur.

Sensus *accommodatitius* est ille qui S. Scripturæ tribuitur, quoties verba sacra ad rem, quam divinitus non exprimunt, ratione analogiæ transferuntur. Sic, quod de Noe dicitur in Ecclesiastico, XLIV, 17 : *Inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, Ecclesia omnibus Confessoribus Pontificibus accommodat. Hujusmodi sensus, dummodo sit -1) pius, -2) verus, -3) naturali analogia fundatus, legitime prorsus, non quidem ad probanda dogmata, sed ad pietatem fovendam adhibetur.

Etenim præterquam quod exempla hujusmodi accommodationis in SS. Patribus passim, imo in ipsa Scriptura occurrant (2), sensus accommodatitius non est mera fictio mentis humanæ, a divina mente prorsus aliena; sed aliquatenus Spiritus sancti auctoritatem participat, prout S. Thomas docere videtur his verbis : *Ad dignitatem divinæ Scripturæ*

(1) Sensus litteralis quidem etiam ad mores, ad gratiam et ad gloriam pertinere potest; solus tamen sensus spiritualis, quatenus ad mores, ad gratiam vel ad gloriam refertur, peculiari nomine *tropologici*, *allegorici*, vel *anagogici* distingui consuevit.

(2) Non quidem in Evangeliis, ubi Scriptura semper vel in sensu proprio, vel in sensu spirituali seu typico citatur; sed in aliis libris, ut v. gr. Rom. X, 6 seqq.; Apocal. XI, 4. Cfr. Bonfrerii *Præloquia*, cap. 20, sect. 7.

pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat... unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacræ Scripturæ litteræ aptentur, quæ auctor non intellexit, non est dubium quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinæ Scripturæ (De potentia, q. 4, a. 1). — Dici itaque potest, sensum accommodatitium, etsi non proprie, aliquo tamen secundario modo esse sensum Spiritus sancti, a quo veluti insinuatur; et in verbo Dei, non quidem formaliter, sed fundamentaliter contineri. Quemadmodum nempe mundus corporeus continetur in speculo, in quo, si apte adhibeatur, corporeis oculis cerni potest; aut sicut mundus moralis continetur in mundo physico, in quo rationis lumine detegitur; ita fere mundus spiritualis universus continetur in Scriptura, in qua oculo fidei simul et rationis deprehendi potest.

Dicitur sensum accommodatitium in verbo Dei contineri *fundamentaliter :* quia analogiæ, in quibus ille sensus fundatur, in sacro eloquio revera existunt. Veritates enim quæ a Spiritu sancto exprimuntur, cum iis quæ non exprimuntur, analogiam plus minus propinquam habent, quam perspiciendo intellectus devenit ad omnem spiritualem veritatem.

Notandum. 1° Ubi solummodo populi eruditio et ædificatio intenditur, sensus quilibet, sive litteralis, sive spiritualis, sive etiam accommodatitius, promiscue proponi potest. Hujusmodi *expositionem moralem* in Patrum homiliis passim usurpatam videmus. — 2° *Expositio moralis* sic intellecta, duo quoad substantiam continet atque indigitat : exempla et documenta; adeo ut explicatio tota versetur circa quæstiones duas : -1) Quænam hic virtutes imitandæ, vel quæ vitia evitanda? -2) Quæ documenta traduntur vel insinuantur? — Ad quas quæstiones latissime patentes, pertinent quæcumque ad Deum melius sive cognoscendum sive colendum conducant. Porro nullus S. Scripturæ locus occurrit, ubi non una saltem vel altera ex illis quæstionibus applicari possit : *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. XV, 4.

His de sensu vario in sacra Scriptura recondito obiter indicatis, quæri posset, quomodo practice sensus ille et documenta facilius inveniantur? Cui quæstioni videtur responden-

dum, præter interpretum volumina, quæ ad manum esse debent, ad detegendos Scripturæ sensus, præsertim mysticos, juvare plurimum, si quis distincte cognoscat et præ oculis habeat præcipua supernaturalis ordinis capita, quæ sunt : 1° Christus, 2° Ecclesia, 3° B. Virgo, 4° quodlibet Ecclesiæ membrum, seu quælibet anima christiana ; nec non 5° animæ vita et mors, quæ utraque triplex existit. — Animæ vita est -1) animalis, seu carnalis, secundum concupiscentiam spectata, atque in malum sensum accepta ; -2) spiritualis, secundum gratiam ; -3) spiritualis altera, secundum gloriam, quæ etiam vita æterna dici solet. — Animæ mors similiter in bonam et malam partem intelligi potest : est enim -1) mors mystica, secundum peccatum et concupiscentiam, quæ et mors veteris hominis vocatur ; -2) mors spiritualis, secundum gratiam, quæ in peccato mortali consistit ; -3) mors æterna, seu spiritualis, secundum gloriam, quæ est æterna damnatio.

Illud etiam plurimum proderit, imo prorsus necessarium est, ut verbum Evangelicum vivida fide tanquam vere divinum æstimemus : i. e. tanquam omni sapientia ita refertum, ut in minimis etiam circumstantiis documenta inexhausta contineat. « Dominus enim noster Jesus Christus, ait S. Augu- « stinus, ea quæ faciebat corporaliter, etiam spiritualiter vo- « lebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter « miracula faciebat ; sed ut illa quæ faciebat, mira essent « videntibus, vera essent intelligentibus. Quemadmodum qui « videt litteras in codice optime scripto, et non novit legere, « laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pul- « chritudinem ; sed quid sibi velint illi apices, nescit, et est « oculis laudator, mente non cognitor ; alius autem et laudat « artificium, et capit intellectum. Ita qui viderunt Christi « miracula, et non intellexerunt quid sibi vellent, mirati « sunt tantum quia facta sunt ; alii vero et facta mirati, et « intellecta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debe- « mus (De verb. Domin. serm. 44). »

Hisce principiis innixi, et SS. Patrum atque catholicorum interpretum vestigia secuti, sensus ac documenta varia in evangelicis lectionibus contenta ordine exposuimus, ut facile sacer textus ad omnem populi instructionem et ædificationem

explicari possit; utque Scriptura inveniatur vere *utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia;* ac talis ut per eam *perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* II Tim. III, 16.

JÉRUSALEM
I. Qu.r des Chretiens III. Quart.r des Juifs
II. . . Armenien IV. . . des Musulmans
1. Mosquée d'Omars 12. C.re des Arméniens et
2. . . el Aksa eglise de St. Jacques
3. P.te de Bethsabee 13. Maison d'Anne le
4. Ste Anne Grandprêtre
5. Via dolorosa 14. Résid.e du Pacha Turc
6. Eglise du S. Sepulcre 15. Bain
7. Couvent Latin 16. Ancien Pont
8. P.ts Hôtels grecs et des Coptes 17. Cloaque de Rethro
9. P.te d'Hebron 18. Tomb. de David
10. Pal.s Chev.rs St. Jean 19. Mais.n du Calphe
11. Bazar 20. Eglise des Chretiens
21. Fort de Goliath (Pesphinos)
PALESTINE
Echelle — 1/100 000.
Kilomètres
Milles Romains
Les noms topographiques de la Bible ont l'écriture debout. Les noms des villes des Lévites sont soulignés, ceux des villes de refuge
Degrés de l'élevation du sol
Mer, dépression au dessous du niveau de la mer de
Plaines de la côte
Plateaux
Plateaux de lave (Wairs)
Regions montagneuses
Hautes montagnes
Carte de la Division en DOUZE TRIBUS.
Long. orient. de Paris
MER MÉDITERRANÉE
Mer Morte ou Bahr Lôuth
Mer Morte
Dressé par Herm. Berghaus
GOTHA: JUSTUS PERTHES.

SUMMARIUM

HISTORIÆ EVANGELICÆ

ORDINE CHRONOLOGICO DISPOSITUM (1).

---

§ I.

Infantia, adolescentia et juventus Christi usque ad annum trigesimum, quando a Joanne baptizatus est.

Verbum æternum seu Filius Dei unigenitus, de Spiritu sancto in Virginis utero conceptus die 25 Martii (2), natus est in Bethlehem, die 25 Decembris, quæ erat sexta dies hebdomadæ, anno 36 imperii Augusti (3).

Die octava, id est, 1ª Januarii circumcisus, 6ª Januarii adoratus a Magis, 2ª Februarii præsentatus in templo (4), paulo

(1) Quoniam Evangelistæ, præsertim tres priores, ordinem chronologicum nequaquam ubique sequuntur, aut distincte non indicant; multa respectu hujusmodi ordinis sunt incerta, et inter eruditos disputata. Quapropter, cum systema aliquod probabile expediat adoptare, nos in proposito summario secuti sumus, partim Chronotaxin Cornelii a Lapide, partim indicem chronologicum Joannis de Paris, in opere cui titulus *Margarita evangelica, sive Jesu Christi Domini nostri Vita.* — Qui eruditius hæc pertractata videre cupit, adeat Patrizi, *De Evangeliis;* Calmet, *Synopsis Vitæ Jesu Christi chronologico ordine deducta*, ad initium tomi 7, ante commentaria in quatuor Evangelistas; *Chronicon* Tirini, cap. 49; vel De la Haye, opus cui titulus *Triumphus veritatis, seu Evangelicæ historiæ dispositio;* etc.

(2) Opiniones communius et vulgo receptæ omnino videntur retinendæ, præsertim quandocumque cum Ecclesiæ festis concordant.— Formulam vero *die* 25 *Martii*, juxta nostratem loquendi modum, potius adhibemus quam : *VIII Kalendas Aprilis :* cum hæc Romanorum formula minime vulgaris, et vix eruditis familiaris sit.

(3) Juxta Patrizi, (*De Evangeliis*, tom. 2,) anno sexto ante æram vulgarem.

(4) Juxta eumdem auctorem, post præsentationem in templo, parentes cum puero Jesu reversi Nazarethum ad paucos dies, inde migrarint in Bethlehem : quo post medium Februarium advenerunt Magi.

post in Ægyptum defertur. Post septennium ex Ægypto reducitur in Galilæam, habitatque deinceps in oppido Nazareth.

Puer duodennis, Hierosolymæ amissus a parentibus, post triduum invenitur in templo.

Hinc reversus in Nazareth, Mariæ et Joseph subditus, usque ad annum ætatis trigesimum, artem fabrilem exercet.

§ II.

Acta Christi a baptismo usque ad proximum pascha; puta ab initio Januarii, anni ætatis Christi 31 *inchoati, usque ad* 25 *Martii* (1).

Christi præcursor, Joannes Baptista, Zachariæ filius, natus in Hebron, oppido Judææ, die 24 Junii, sex mensibus ante nativitatem Salvatoris; cum habitasset in deserto usque ad annum ætatis trigesimum, munere suo fungi cœpit et Christi vias præparare, *anno* 15 *imperii Tiberii Cæsaris*.

Circa finem Septembris, in deserto Judææ juxta Jordanem incipit prædicare pœnitentiam, baptizare pœnitentes, et de Christo nondum baptizato testimonium perhibere.

Tribus fere post mensibus, *die* 6 *Januarii*, Christum baptizat in Bethabara, trans Jordanem : probabiliter ea ipsa in parte, qua olim filii Israel sicco vestigio flumen trajecerant.

Ibidem, *die* 1 *Martii*, testimonium de Christo dicit Judæorum legatis.

Die 2ª et 3ª sequenti, iterum Jesum esse Messiam testatur.

Post mensem Aprilem, ultimum de Jesu testimonium reddit, in Ænon, prope Jordanem, eum sponsum appellando et Dei Filium (Joan. III).

Postea, interjectis aliquot mensibus, *tempore autumnali*, ab Herode in vincula conjectus, *mense Junio sequentis anni*, qui

(1) Juxta Patrizi (op. cit.) Christus baptizatus esset circa initium Decembris, annos natus 30 cum 11 fere mensibus, ita ut inchoaverit prædicationem post annum 31 completum, et mortem obierit expleto anno 34 cum tribus fere mensibus.

erat secundus prædicationis Domini, in arce Macheruntina decollatur.

Christus autem, cum a Joanne baptizatus esset, ut dictum est, *initio Januarii*, ipso baptismi sui die secessit in desertum Judææ, ibique jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Post quadraginta dies e deserto egressus, ad Jordanis ripas rediit, ubi tanquam Messias agnitus est ab Andrea, Simone et tribus aliis, qui ipsi ut Magistro adhærere cœperunt.

In Judæa.

Cum his quinque discipulis *initio mensis Martii* in Galilæam profectus, venit in Cana, ubi primum operatur miraculum.

Inde se confert Capharnaum, quod oppidum, ad oram septentrionalem maris Tiberiadis situm, deinceps quasi commoratio ipsius erit, et velut centrum discursionis evangelicæ.

In Galilæa.

§ III.

Annus primus prædicationis Christi, seu acta Christi, a primo paschate post baptismum ejus, usque ad pascha secundum.

Ex oppido Capharnaum, *instante paschate*, Christus ascendit Jerosolymam, ibique, prima vice, vendentes e templo ejicit; et Nicodemum miraculis suis permotum, noctu excipit ac docet.

Inde in campestribus Judææ locis prædicat, et per discipulos baptizat. — Porro de actis Domini a *mense Aprili* usque ad *finem Decembris*, silent Evangelistæ.

In Judæa.

Mense Januario, Christus Evangelii prædicationem in Galilæam transfert, transiens per Samariam juxta fontem Jacob, ubi mulierem convertit.

In Cana filium reguli sanat; moxque redit Capharnaum tanquam in habitationem suam, inde excursurus prædicando.

Petrum et Andream, item Jacobum et Joannem, binos fratres, ad apostolatum vocat.

Capharnai liberat energumenum, — item Petri socrum febricitantem, — et male habentium multitudinem.

Oratione in deserto ad Patrem præmissa, prima vice universam peragrat Galilæam.

In mari Tiberiadis turbas docet e navicula Petri, — eumdemque Petrum mox remuneratur piscatione miraculosa. Quo miraculo commoti Petrus, Jacobus et Joannes, Christo in perpetuum se adjungunt.

Hominem quempiam, deinde alterum, imo et tertium ad se venientem reprehendit, eo quod non ut oportet eum sequi vellent.

In regionem Gerasenorum navigans tempestatem sedat; postquam autem eo appulit, duos dæmoniacos liberat, et legionem dæmonum sinit invadere gregem porcorum.

Capharnai, paralyticum per tectum demissum, a peccatis et ab infirmitate liberat; — Matthæum e telonio vocat; — Jairi filiam resuscitat; — mulierem a fluxu sanguinis sanat; — duos cæcos illuminat; — dæmonium mutum ejicit.

In Galilæa.

Circa *finem mensis Martii*, e Galilæa Jerosolymam proficiscitur.

§ IV.

Annus secundus prædicationis Christi, seu acta Christi a secundo paschate usque ad tertium.

Secundo prædicationis anno, *paschatis tempore*, Jesus, Jerosolymis ad Probaticam piscinam, sanat paralyticum, et calumniantes Judæos redarguit.

In Judæa.

Sub initium Maii, in Galilæam revertitur; et in itinere discipulos, spicas vellentes, contra Pharisæos defendit.

Manum aridam sanat in Sabbato. — Pharisæi Christo necem machinantur.

Duodecim Apostolorum electio. — Quilibet infirmi contactu Domini sanati. — *Sermo in monte :* qui mons, ut videtur, situs est prope Capharnaum, atque idem ubi Christus pernoctaverat orando.

Sermonem subsequuntur miracula : leprosus in agro Capharnai, — centurionis servus in ipso illo oppido sanatus.

Ad portam civitatis Naïm, filius viduæ ad vitam revocatus.

His auditis Joannes in carcere duos discipulos mittit ad Jesum, *mense Junio*, paulo ante Præcursoris necem; cum esset Dominus in oppido Naïm. — Ibidem Christus Magdalenam pœnitentem, a multis peccatis absolvit.

Capharnaum reversus, *initio mensis Julii*, dæmoniaco, qui surdus et mutus erat, liberato, calumniantes Pharisæos refellit. Deinde loquitur de signo Jonæ prophetæ, de Blasphemia in Spiritum sanctum; ostendit quomodo novissima hominis fiant pejora prioribus; respondet mulieri exclamanti de turba. — Et venientibus ad se cognatis suis, carnalem cognationem spirituali postponit.

E navicula, ad oram maris Tiberiadis, cœlestis doctrinæ excellentiam declarat octo parabolis : 1) seminantis, -2) zizaniorum, -3) seminis sensim crescentis, -4) grani sinapis, -5) fermenti, -6) thesauri, -7) margaritæ, et -8) sagenæ missæ in mare.

Nazarethi docens, a concivibus suis contemnitur.

Altera vice Galilæam circuit, comitantibus Apostolis et piis mulieribus.

Apostolos mittens binos et binos documentis instruit, et contra futuras persecutiones præmunit, *circa finem Julii.*

In Galilæa.

Acta porro Domini et Apostolorum *per octo circiter menses* non referuntur; de Herode tantum dicitur, eum, audita Evangelizantium fama, putavisse Jesum esse Joannem a se occisum, qui a mortuis surrexisset.

Mense Martio, appropinquante Paschate, Apostoli a missione redeuntes ducuntur a Domino in desertum, littori orientali maris Tiberiadis adjacens; quo subsecutæ turbæ, quinque scilicet millia virorum, multiplicato pane nutriuntur. — In Galilæa.

Sequenti nocte Jesus super mare ambulat fluctusque tranquillat. — Exinde appulsus ad occidentale littus, terram Genesareth perambulat, et contactu fimbriæ morbidos curat. — Reversus autem Capharnaum, de cibo Eucharistico sermonem habet.

§ V.

Annus tertius prædicationis Christi, seu acta Christi a tertio paschate usque ad resurrectionem Lazari, initio Martii anni quarti.

Tertii paschatis tempore in Galilæa remanet Dominus, ibique Pharisæos de pravis eorum traditionibus arguit.

Inde in fines Tyri et Sidonis profectus, Chananææ filiam liberat.

Ad mare Galilææ reversus, hominem surdum et mutum sanat, — quatuor hominum millia iterum miraculose pascit, — Pharisæis et Sadducæis denuo signum Jonæ annuntiat, — discipulos contra Pharisæorum fermentum præmunit, — et Bethsaïdam appulsus, sputi collyrio cæco visum restituit. — In Galilæa.

Sub finem Julii, in partes Cæsareæ Philippi egressus, Petrum fore Ecclesiæ suæ fundamentum ac principem pollicetur; simulque passionem suam primum prænuntiat, et crucem ferendam docet. — In regione Cæsareæ Philippi.

Inde mox, *die* nempe *sexta Augusti,* in Galilæam revertitur.

Transfiguratio. — Lunaticus surdus ac mutus liberatus. — Passio prædicta iterum.

Didrachmum solutum Capharnai. — Ibidem Christus Apostolos exemplo parvuli de humilitate monet. — Ibidem docet, signa facientes in nomine suo, non esse prohibendos ; — a scandalis cavendum ; correctionem fraternam exercendam. — Ligandi et solvendi potestatem discipulis omnibus communicat. — Ostendit quam sancta sit congregatio plurium in nomine suo.

Parabola divitis stulti, et debitoris immitis.

In Galilæa.

Mense Septembri, Dominus ascendit Hierosolymas ad festum Tabernaculorum, inde non ante sex menses, id est, non ante resurrectionem suam in Galilæam reversurus.

In itinere a Samaritanis hospitio prohibetur : hinc Jacobi et Joannis zelus immodicus. — Decem leprosi mundati.

In itinere.

Jerosolymæ, diebus Scenopegiæ, *ineunte Octobri*, in templo prædicat se mundi lucem esse, et in cruce exaltandum ; Judæis interim frustra eum comprehendere et occidere conantibus.

Mulier adultera liberata.

Cæco nato, quem illuminavit, ejecto e synagoga, et velut ove perdita a Judæis habito, docet Christus, se esse Ecclesiæ ostium, verum ac bonum Pastorem.

Oves porro suas ut colligat, septuaginta duos discipulos, monitis instructos, mittit per Judæam sicut antea per Galilæam destinarat Apostolos. Ipse interim cum duodecim, regionem Judææ peragrat ; et mox discipulos, cum exultatione revertentes, modestiæ admonet.

Mandatum magnum, dilectio Dei et proximi. — Parabola boni Samaritani.

In Judæa.

Mense Novembri, in Bethania a Martha et Maria hospitio excipitur.

Deinde, prædicationem per Judæam prosecutus, aliquando oratione peracta, tradit discipulis orationis normam; — additque parabolam amici, media nocte panem petentis.

Ad Pharisæi prandium vocatus, Pharisæorum et Legisperitorum vitia insectatur, populumque commonet ut ab eorum hypocrisi caveat.

De constantia loquitur in fidei confessione: — de impietate et blasphemia in Spiritum sanctum.

Litem de hæreditate decidere Dominus renuit; sed condemnat avaritiam, eleemosynam commendat.

Parabola servorum expectantium Dominum suum. — Dispensator fidelis et prudens. — Ignis Christi accendendus. — Pœnitentia mature facienda: quod Galilæi a Pilato occisi, homines turri Siloe obruti, et parabola ficus sterilis plantatæ in vinea, demonstrant.

In synagoga quapiam Judææ mulierem inclinatam sanat.

In Judæa.

In itinere Jerosolymam versus, loquitur de angusta porta, deque ingratæ Jerosolymæ futuro excidio. — Sabbato in convivio principis Pharisæorum hydropicum sanat, — humilitatem, misericordiam erga egenos docet, — parabolam proponit de vocatis ad cœnam. — Dein, concursanti turbæ declarat necessitatem abnegationis omnimodæ, additque parabolas turris exstruendæ, — belli ducis, — ac salis.

In itinere per Judæam.

Mense Decembri, Jerosolymam ad festum Encæniorum reversus, palam edicit *se et Patrem unum esse*. Quare iratis Judæis cedere coactus, in Bethabaram trans Jordanem proficiscitur, et ibidem commoratur usque ad *initium Martii* sequentis anni.

In Bethabara trans Jordanem.

Illic Pharisæis, obloquentibus quod etiam cum publicanis et peccatoribus convivaretur, respondet tribus parabolis : -1) de ove perdita, -2) de drachma perdita, -3) de filio item perdito atque invento.

Præterea parabolas profert de villico iniquo, — deque Lazaro ac divite epulone.

Docet matrimonii indissolubilitatem, et cælibatus præstantiam; — discipulos monet de scandalo vitando, de condonandis injuriis, de secundo suo adventu.

Parabola judicis iniqui et viduæ ; — item Pharisæi et Publicani.

Discipulos docet, necesse esse ut fiant sicut parvuli.

Adolescens dives discedens. — Sessio judiciaria et centuplum promissa.

Parabola de operariis vineæ.

In Bethabara trans Jordanem.

§ VI.

Duo ultimi menses prædicationis Christi, seu acta Christi a suscitatione Lazari, usque ad ascensionem in cœlum.

Mense Martio ineunte, reversus in Judæam Dominus, Lazarum mortuum resuscitat in Bethania ; quamobrem in necem conquisitus a Judæis, in civitatem Ephrem, septem leucis distantem secedit.

Inde cum iterum ascenderet in Jerusalem, instantem mortem tertio prædicit ; — filiorum Zebedæi ambitionem coercet; — et transiens per oppidum Jericho, duos cæcos illuminat, — atque ad Zachæum divertit.

Feria sexta ante Dominicam Palmarum, venit Bethaniam, ubi postero sabbati die, in domo Si-

In Judæa.

monis leprosi, Magdalena unguentum in caput ejus effundit, obmurmurante Juda.

Postridie, id est Dominica die, Jerosolymam solemniter ingressus, super ingratam civitatem lacrymatur; — in templo cæcos et claudos sanat; — cœlesti voce manifestatur, — et vespere redit Bethaniam.

Sequenti biduo docet in templo, noctesque orando transigit in monte Oliveti.

Feria secunda, ficulneæ maledicit; — et altera vice vendentes in templo ejicit.

Feria tertia, qua postrema die in templo concionatus est Christus, prolixum habuit sermonem cum principibus, Scribis, Pharisæis, et Sadducæis. — Quæstio de baptismo Joannis. — Parabolæ de duobus filiis, patri dissimiliter obedientibus, — de vinitoribus homicidis, — de nuptiis regiis et veste nuptiali.

Sub hæc, odio flagrantes Pharisæi et Sadducæi. captiosas objiciunt quæstiones : de tributo Cæsaris, de resurrectione mortuorum, de summo legis mandato. — Sciscitatur ab eis ipse Christus de Messia, cujus filius sit; iterumque eorum perversitatem graviter redarguit. In Judæa.

Duo minuta viduæ.

Eadem die, feria tertia, in reditu Bethaniam, Apostolis magnificum templi ædificium destructum iri prædicit; — et mox, concionando (ut videtur) fatigatus, sedet cum duodecim in monte Olivarum, longumque iterum de futura Judæorum clade, de secundo suo ad Judicium adventu, rebusque novissimis, sermonem instituit.

Hinc infert, in hac vita vigilandum esse assidue, quod parabolis explicat decem virginum, — et talentorum seu minarum; — ac denique adventum suum gloriosum et extremi Judicii formam ob oculos ponit.

Addit postremo, se post biduum in die Paschatis, morte crucis consummandum.

Feria quarta et quinta Bethaniæ manet, neque ultra ad docendum in templum ascendit. Porro eadem feria quarta, fit concilium principum in atrio Pontificis, et Judæ cum eis pactio.

Feria quinta cœnaculum præparatur; quo, post solis occasum, Dominus sese cum duodecim Apostolis confert.

Peracta ultima Cœna, et egresso proditore, reliquos Apostolos de prioritate contendentes, iterum compescit; — eos novum mandatum docet; — Petrum de futura sua negatione præmonet; — omnes denique discipulos suos supremis documentis instruit et solatur.

Finito sermone post Cœnam, hymno gratiarum actionis dicto, eadem nocte cum suis, pro more, ad montem Oliveti vadit, ibique inchoat passionem suam, — quam postridie in cruce consummat, anno 19 imperii Tiberii Cæsaris, feria sexta, die 15 mensis Nisan (25 Martii), die prima azymorum, solemnique Paschatis, hora tertia pomeridiana, annos natus 33 cum tribus mensibus (1).

In Judæa.

Die tertia, id est dominica sequenti (27 Martii), ante solis ortum, a mortuis resurgit, et redivivus apparet :

Ipso resurrectionis die
- 1° Magdalenæ.
- 2° Aliis mulieribus.
- 3° Petro.
- 4° Discipulis in Emmaus euntibus.
- 5° Decem Apostolis, absente Thoma.

6° Post octo dies, rursus Apostolis, Thoma præsente.

(1) Juxta Patrizi, anno æræ vulgaris 29°.

7° Post azymorum dies peractos, Petro et sex aliis discipulis, in Galilæam regressis et piscantibus.

8° In monte Galilææ, apparuit multis, imo plusquam quingentis fratribus, id est, fidelibus (I Cor. XV, 6). Ibi Apostolos per orbem tanquam legatos suos destinat.

In Galilæa.

9° Apparuit apostolo Jacobo, minori, qui vocatur frater Domini (I Cor. XV, 7).

10° Novissime discipulis in Cœnaculo Jerosolymitano prandentibus se videndum præbet, eosque jam mundi doctores Fideique fundatores constitutos, de propria incredulitate redarguit; ut eis Fidem, quam aliis prædicare debent, intimius commendet. Tandem, Spiritu sancto eis denuo promisso, Bethania visitata, e monte Oliveti, sublatis manibus cunctis benedicens, in cœlum ascendit, quadragesima post resurrectionem die, 5ª Maii.

In Judæa.

PRÆCIPUÆ LOCORUM DISTANTIÆ

AD DOMINI ITINERA PERTINENTES (1).

Nazareth in Galilæa, ab Hebron in Judæa distat leucis circiter	33
Nazareth a Bethlehem.	32
Bethlehem a Jerosolyma	2
Bethlehem ab Heliopoli in Ægypto	100
Nazareth a Jerosolyma.	30
Nazareth a Jordane prope Jericho.	30
Jordanis a deserto quadragesimæ.	2
Desertum quadragesimæ a Bethabara	5
Bethabara a Cana Galilææ	31
Capharnaum a Cana	15
Capharnaum a Jerosolyma	38
Jerosolyma a Sichar in Samaria	24
Jerosolyma a mari Tiberiadis	36
Capharnaum a Naïm	17
Capharnaum a Nazareth	16
Capharnaum ab oppido Bethsaida citra stagnum.	2
Capharnaum a vico Bethsaida, sito trans stagnum prope Corozaim	3

(1) Tabula hæc desumpta est ex opere : *Les voyages de J.-C., ou description géographique des principaux lieux et monuments de la Terre-Sainte, par C. M. D*. M*.* Paris, Rusand 1831. — Leucæ sunt mensuræ communis gallicæ, tribus circiter milliariis æquivalentes.

Capharnaum a Tyro	19
Capharnaum a monte Thabor	15
Bethsaida a Cæsarea Philippi	13
Bethabara ad Jordanem, a Bethania	8
Bethania ab Ephrem	7
Ephrem a Jericho	5
Jericho a Bethania	7
Bethania a Jerosolyma.	1/2

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. XXI, 25-33. Dixit Jesus discipulis suis : Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur, et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate. His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam et omnes arbores : cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas; ita et vos, cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis : quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt.

Matth. XXIV, 29-35. Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur : et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas ; ita et vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

Marc. XIII, 24-31. In illis diebus... sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum : et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes

Explicatio prima.

Hodierna sancti Evangelii lectio, quæ adventum exhibet Christi judicis in fine mundi futurum, ideo ab Ecclesia proponitur, quia huic diei, quæ est Dominica prima Adventus, optime congruit.

Adventus dicitur solemne illud quatuor hebdomadarum tempus, quod festa natalitia Domini præcedit, et ab Ecclesia celebratur tanquam præparatorium ad Nativitatem, quæ est *adventus Christi* in misericordia.

Duplex enim Christi adventus distinguitur, primus et secundus : seu, adventus Christi in misericordia et adventus in justitia. Prior contigit visibiliter in stabulo Bethlehem ; posterior continget in fine mundi, sicut profitemur in Symbolo : *Inde venturus est judicare vivos et mortuos.*

At vero præter adventum visibilem, habetur adventus Christi invisibilis, tum in misericordia, tum in justitia. Prior efficitur in animabus fidelium quotidie, præcipue vero in festo Nativitatis, quando Christus per gratiam ad suos venit et mansionem apud eos facit; — posterior omnibus hominibus in hora mortis occurrit.

Porro adventus Domini in fine mundi, si cum adventu ejus in Nativitate comparetur, partim cum eo convenit, partim ab eo differt. Convenit in eo, quod idem Christus Jesus adveniat in terram ad homines, et quidem visibiliter cum angelis suis; — differt autem in eo, quod adventus Domini nascentis sit humilis, absconditus et ad faciendam misericordiam ordina-

---

quæ in cœlis sunt, movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa et gloria. Et tunc mittet angelos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cœli. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas : sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

tus : secundus vero gloriosus, manifestus omnibus erit, et ad faciendam vindictam institutus, ut *ponat Christus inimicos suos scabellum pedum suorum* (Ps. CIX) : i. e, ut eos puniat, qui ipsum venientem in misericordia recipere noluerint.

Jam vero fidelibus, adventum nascentis Domini celebraturis, opportune Ecclesia proponit Evangelium de secundo Christi adventu : quia hæc consideratio efficacissima est, ut ad festa Natalitia digne ac ferventer se disponant.

His præmissis, ut ad ipsam Evangelii lectionem deveniamus, die vigesima secunda Martii, anni quarti prædicationis Domini, triduo nimirum ante passionem ejus; cum de secundo suo adventu locutus esset, et a discipulis de tempore hujus adventus interrogaretur, dicentibus : *Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi* (Matth. XXIV, 3)? sedens Dominus super montem Oliveti, circumstantibus discipulis respondit, eaque vaticinia edidit quæ hodierno Evangelio præleguntur. Tria autem in his distingui possunt (1) :

I. *Signa prævia adventus Domini.*
II. *Ipse adventus.*
III. *Fidelibus commendata dispositio.*

Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur.

En signa prævia adventus Christi judicis, et extremi judicii (2) : quorum alia in cœlo apparebunt, alia in terra. Hæc signa, quæ fient ante universalem omnium hominum mortem

(1) Hæc divisio, quia ad Evangelium distinctius capiendum confert, visa est præmittenda; cum tamen explicatio subsequens ab ea ut plurimum non dependeat, ideo in ipsa explicatione omittetur.

(2) De extremo seu universali judicio vid. *Adjumenta Oratoris sacri*, Argum. 21; de judicio particulari vero, Argum. 20. — Item cf. *Elementa theologiæ dogmaticæ*, tom. 2, tract. 19, nn. 38 et 186 seqq.

et resurrectionem, non tantum mystice et metaphorice intelligenda sunt, ut ea interpretatur Augustinus (1), sed etiam maxime et primario litteraliter ac proprie; erunt ergo terribiliter sensibilia (2).

Signa cœlestia erunt præsertim in astris : *in sole, et luna, et stellis :* de quibus singulis dicendum.

1° De sole. *Sol obscurabitur* (Matth.), quo verbo, ut communius tenent interpretes, veræ tenebræ, et quasi extinctio solis intelligenda est. Non enim solis facies tantum velabitur, sive per umbram lunæ, quod tempore eclipsis accidit; sive nubibus, ut quandoque fit exorta procella : sed splendore suo privabitur, et obscuritate afficietur, sicut longe antea annuntiavit Joel propheta, dicens : *Dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (Joel. II, 30). — Quod quidem vaticinium impleri cœptum tempore mortis Domini, ad finem mundi plenam impletionem accipiet (Maldonat.). Nam cum moreretur Dominus *sol obscuratus est* (Luc. XXIII, 45), et *tenebræ factæ sunt super universam terram* (Matth. XXVII, 45); similiter circa finem mundi, sole velut exstincto, diris tenebris orbis terrarum obvolvetur. — Ad obitum Christi, sol obscuratus est in signum luctus, ob mortem Filii Dei, et in signum horroris, ob deicidii impietatem; ad finem autem mundi obscurabitur in signum vindictæ et minarum, quasi instantem Dei justitiam impiis nuntiaret.

2° De luna. *Luna non dabit lumen suum* (Matth.) : obscurato namque sole, luna consequenter lumine, quod a sole mutuatur, carebit. Fortassis antea luna velabitur nube aliqua rubicunda, qua fiet ut sanguinea videatur, juxta hæc vaticinia : *Luna vertetur in sanguinem* (Joel. II, 30); et : *Luna tota facta est sicut sanguis.* Apoc. VI, 12.

3° De stellis. *Stellæ cadent de cœlo* (Matth.) : i. e. juxta Patres fere omnes, stellæ obscurabuntur, et lumen suum retrahent, nec apparebunt, quasi e cœlo decidissent. Quod clare

(1) Epist. 80 ad Hesychium.

(2) Maldonat. in Matth ; Suarez *De Incarnat.* part. 2, disput. 56, sect. 3 et 4.

significat Joel : *Stellæ*, inquit, *retraxerunt splendorem suum* (Joel. II, 10). — Addere possumus radiantissima fulmina casura, et terribiles cometas conspiciendas, atque sic etiam futurum ut stellæ cadere videantur. In hunc sensum intelligunt interpretes hæc Joannis verba : Et stellæ de *cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, quum a vento magno movetur* (Apoc. VI, 13). Per stellas enim accipiunt cometas, fulgura, aliaque meteora ignea instar stellarum ; qualia multa erunt in fine mundi, eaque prodigiosæ magnitudinis, formæ et motus : quæ Deus velut horribilia fulgetra et tonitrua jaculabitur.

4° De virtutibus cœlorum. — Quod dicitur : *Nam virtutes cœlorum movebuntur* (Luc.), causam indicare videtur perturbatæ naturæ. — Per *virtutes cœlorum* alii intelligunt ipsa astra eorumque influentias ; alii angelos (1), cœlorum motores, quasi mutaturos cœlestium motuum ordinem ; alii demum ipsum robur ac firmitatem cœlorum, adeo ut sensus sit : cœli firmitas ejusque velut cardines et fundamenta deficient, atque inde tota firmamenti compago vacillabit ; cœlique omnes ita concutientur, ut e suis polis atque cardinibus convulsi, deorsum ruere videantur.

Signa terrestria in motibus aeris, maris et terræ consistent. *In terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum : arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.*

In aere contingent insolita tonitrua, fulgura, fulmina ; in mari terribiles procellæ et sonitus aquarum et inundationes, quæ vocantur *confusio sonitus maris et fluctuum ;* in terra ingentes terræmotus et hiatus, locorumque eversiones, atque hinc immensa inter homines consternatio : *In terris pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore.....* Hujusmodi terror præcipue incumbet impiis ; justi enim et vere fideles, fide sua ac fiducia in Deo confirmabuntur.

(1) S. Thom. *Supplem.* q. 73, art. 3. — Cf. Suar. *De Incarn.* part. 2, disput. 56.

Tunc parebit signum Filii hominis (Matth.).

Tunc, i. e. post mundi conflagrationem, et subsecutam mortuorum resurrectionem. — *Signum Filii hominis,* est crux Domini, quæ vere signum ejus est atque vexillum. *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit* (Liturg. offic. S. Crucis).

Quænam autem et qualis crux apparebit? — R. Vel ipsissima illa crux lignea, in qua Salvator mundi pependit, ut quidam valde probabiliter censent; — vel, ut alii malunt, veræ illius crucis imago fulgidissima, in cœlo efformata. — Hoc porro vexillum, ut Chrysostomus et Augustinus docent, ab angelis deferetur ante conspectum Christi judicis descendentis ad judicium, quasi trophæum victoriæ, utque insigne regale summæ potestatis et imperii. — Insuper, non desunt doctores, qui cum Salmeronio credunt, una cum cruce etiam columnam, flagella et reliqua passionis instrumenta apparitura.

Cur autem crux Domini apparebit? — R. Causæ sunt tres : prima, ut significetur Christum per crucem sibi hanc gloriam et potestatem judiciariam meruisse; secunda, ut indicetur Christum pro salute omnium fuisse crucifixum, ac proinde ingratos esse et inexcusabiles, qui tantam ejus gratiam et charitatem neglexerint; tertia, ut ostendatur omnes Christi crucifixi cultores, jam cum ipso esse exaltandos in cœlum, et omnes ejus contemptores dejiciendos in gehennam.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate.

Filium hominis videbunt, i. e. hominem per excellentiam, Christum, Regem humani generis, cernent homines omnes : tum illi qui obediverint, tum qui restiterint imperio ejus.

Videbunt *venientem cum potestate magna et majestate;* seu, ut alii Evangelistæ habent, *cum virtute multa :* intellige cum magna potestatis demonstratione et majestate : quæ præsertim apparebit, tum in præviis tubis, tonitribus ac fulguribus, tum in immenso humanitatis ejus splendore, tum in angelo-

rum omnium ipsum stipantium multitudine et decore. *Quum venerit*, inquit Matthæus, *Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ* (XXV, 31).

Videbunt *venientem in nube*, seu nube vectum de cœlo descendentem, sicut nube vectum in cœlum ascendentem olim spectarunt Apostoli : *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (Act. I, 11). — Porro nubes illa erit coruscans, dignaque sedes Regis gloriæ, totumque firmamentum sua claritate replebit.

Causæ cur nube utatur Dominus, sunt : -1) quia nubes est symbolum arcanæ deitatis; -2) quia nubes cœlestem quemdam thronum præbet, æque ac vehiculum et umbraculum dignum Regis cœlorum. Hinc passim in vetere Testamento, Deus Moysi et prophetis apparebat in nube.

Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum (Matth.).

1° Quod mittet Christus angelos, potestatem plane divinam, adeoque divinitatem ejus demonstrat : qui enim mittit angelos, et quidem tanquam suos, Deus est.

2° Mittit angelos suos *cum tuba et voce magna :* intellige *cum tuba sive voce magna.* Probabilius enim angeli, Christo jubente, in tubæ similitudinem clamabunt, sonumque mirum spargent, qualem Joannes audivisse se testatur, scribens : *Audivi post me vocem magnam, tanquam tubæ, dicentis...* (Apoc. I, 10).

Missi autem angeli tuba canent bis : -1) antequam descendat Christus, ut mortuorum resurrectionem operentur, hæc vel similia verba personantes : *Surgite mortui, et venite ad judicium* (Hieron. Reg. monach. c. 30) ; et mox iidem angeli *congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum* (Matth.) : i. e. a finibus usque ad fines, ab Oriente usque ad Occidentem, ab omnibus orbis partibus ac locis, angeli electos redivivos colligent de medio

impiorum; velut aurum, quod de mediis cineribus post incendium colligitur.

-2) Iterum tuba canent angeli in ipso Domini adventu, Christum Regem præcedentes, et hæc vel similia verba clangendo emittentes : *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei* (Matth. XXV, 6). — Causæ cur angelicæ tubæ ante Christum sint insonituræ, censentur duæ : -*a*) quia inter homines tuba canitur ante reges, majestatis causa; -*b*) quia tuba adhiberi solet ad annuntianda publica mandata, ad convocandos cœtus; ad terrendos hostes in bello, ad celebrandam victoriam. Quæ causæ omnes in adventu Regis gloriæ concurrunt.

His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem...

In persona Apostolorum alloquitur Dominus justos, qui novissimis temporibus vivent, dicens : Quum signa proximi judicii videbitis, nolite terreri vos, servi mei, nec amittite fiduciam; sed potius caput oculosque ad me levate, et animum in spem ac gaudium erigite: non enim *appropinquat* perditio, sed *redemptio vestra.* — Quæ ut clarius sub oculos ponat, Dominus sequentem affert similitudinem : *Et dixit illis similitudinem.*

Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis (Matth.). Ut melius intelligatis quomodo in illis adjunctis vos gerere oporteat, parabola seu similitudine utar : ubi videtis ficulneam folia producere et fructus parare, cum certitudine et gaudio cognoscitis hiemem transiisse, et adventare æstatem; similiter, ubi videritis signa a me prædicta jam apparere, cum certitudine et fiduciali gaudio adventum meum proximum exspectate.

Amen, dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Sensus est quasi diceret: Verba mea firmissima fide tenete, atque in omni eventu et vicissitudine præ oculis habete. Etenim *generatio hæc*, i. e. hæc gens judaica, vel potius, genus humanum universum, quantumvis in peccando liberum et audax, justitiam Dei non evadet, nec injudicatum abibit. Ego dico, ego affirmo.

Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Ego id assevero, ego æterna Veritas, cujus verba infallibilia, necessario et sine ulla mutatione implenda, firmiora sunt quam cœlum et terra. Hæc enim secundum præsentem statum peribunt (1), verba autem mea, ne minima quidem ex parte deficient, aut effectu carebunt. Ergo tanquam ad eventum certissimum, simulque gravissimum vobis, ita ad adventum Filii hominis jam nunc remote vos disponite.

Dispositionem porro remotam, quæ ab omnibus requiritur, ut Christum judicem cum fiducia exspectare et aliquando excipere possint, Dominus explicat sequentibus apud Lucam verbis : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa.*

Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.

Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Apud Matthæum (XXIV, 36 seqq.) Dominus addit : *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.*

Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.

Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et

(1) Cf. II Pet. III, 10; Apoc. XXI, 1 ; item *Elem. Theol. dogm.* t. 2, tract. 19, n. 219 seqq.

bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam,

Et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.

Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur.

Duæ molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur.

Vigilate ergo : quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

Illud autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

—

Explicatio secunda.

Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium...

En terribiles effectus peccati. Etenim signa in toto mundo corporeo apparentia, propter peccatum fiunt, cujus respectu habent rationem pœnæ et rationem symboli. — Pœna sunt, quia homines terrent et affligunt ob sua peccata, et quidem modo peccatis accommodato. — Symbolum sunt, quia imaginem referunt mundi moralis, atque totius humani generis per peccatum turbati ac perditi; nec non status uniuscujusque peccatoris.

Signa in cœlo et in terra, peccati vastationem, tum in anima, tum in corpore repræsentant.

1° *Sol obscuratus*, est sol animarum per hominis malitiam obnubilatus vel exstinctus. — Porro sol animarum est -1) Christus, cujus in luce peccator ambulare noluit; -2) gratia sanctificans, quam peccando mortaliter exstinxit; -3) fides, spes, charitas, quas vel penitus suffocavit, vel vitiorum caligine obtexit.

2° *Luna non dans lumen suum*, est -1) Ecclesia, quæ a Christo veluti Sole justitiæ, splendorem mutuatur, ut homines viatores per hujus vitæ tenebras deducat : quæ lumen præbere desinit -*a*) non defectu prædicantium, qui Evangelicam veritatem annuntiabunt usque in finem ; sed -*b*) culpa audientium, qui aures oculosque a veritatis luce avertunt.

-2) Luna est anima, quæ per gratiam sanctificantem splendet, et per gratiæ defectum omni claritate destituitur.

-3) Luna est B. V. Maria, quæ Christi lumine induta, tanquam refugium peccatorum affulget ; quæ vero non invocata, vel despecta, peccatores in tenebrosa nocte relinquit.

3° *Stellæ de cœlis decidentes*, sunt -1) fideles sancti, et præsertim Ecclesiæ ministri, tanquam luminaria fulgentes ; sed, quia non firmiter Deo adhæserunt per orationem, etc., sanctitate excidentes. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (Luc. X, 18).—*Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor. X, 12). — *Qui spernit modica paulatim decidet* (Eccli. XIX, 1). — Non autem decident *qui ad justitiam erudiunt multos ;* sed *fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates* (Dan. XII, 3).— -2) Stellæ sunt virtutes, fides, pietas, castitas, etc. quæ sunt ornatus animæ, quæque per vitia contraria velut e firmamento animæ decidentes, eam in horrore derelinquunt.

Virtutes cœlorum movebuntur...

En vis perturbatrix peccati, quod vere principium destructionis vocari potest. Etenim sicut aliquando cœli, ordinisque naturalis cardines movebuntur ; ita quotidie firmissima quæque, et omnia ordinis moralis fundamenta nutant per peccatum... — E contra, quamdiu homo adhæret Deo, ejusque legi constanter insistit, non commovebitur, etiamsi circa ipsum omnia corruere videantur : *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion.* Ps. CXXIV.

...Præ confusione sonitus maris et fluctuum.

En passionum, superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, etc., tumultus et strepitus. *Impii quasi mare fervens quod quiescere non potest, et redundant fluctus ejus in conculcationem et lutum* (i. e.

ejicientes spumam et lutum). *Non est pax impiis dicit Dominus Deus* (Isai. LVII, 20). — Istis commotionibus fiunt naufragia luctuosa : *Morietur in tempestate anima eorum* (Job. XXXVI, 14). — E contra, anima justorum est tanquam speculum aquæ tranquillæ, in quo imago resplendet Dei pacis cui obediunt, quique fluctus et ventos suborientes compescit.

Arescentibus hominibus præ timore...

En audacia peccatorum fracta. Qui Deum modo non timent, nec minas ejus, aliquando *videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis* (i. e. attoniti salutem suam esse desperatam subito agnoscent). In die scilicet judicii timebunt impii, quia in vita sua non timuerunt Deum offendere... timuerunt autem homines, respectui humano servientes ; — timuerunt confiteri peccata, aliasque pœnitentiæ ac divini servitii molestias : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (Ps. XIII). — Justi e contra, qui unice Deum, ejusque offensam ac justitiam timuerunt, nequaquam vero homines, nec vanas eorum comminationes aut persecutiones propter justitiam, illi inquam justi nunc nihil timendum habent : sed *habitant in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorantur* (Ps. XC), manentque in pace.

Tunc parebit signum Filii hominis.

Signum Filii hominis, i, e. crux ignominiosa humillimi Jesu, cui olim in terris affixus est, tunc gloriosa parebit in cœlo. — Crux illa Domini *signum* est tripliciter : nimirum 1° quia vexillum est seu signum militare ; 2° quia indicium est seu symbolum ; 3° quia diagnosticum est seu signaculum Christi.

1° Signum crucis *vexillum* regium est ac militare Christi, quod extolletur, ut -1) circa illud congregentur omnes Christi commilitones, qui dum in terra degerent, crucem amarunt et secuti sunt : i e. legem evangelicam servaverunt in patientia. -2) Ut per illud debellentur omnes inimici crucis, quam impugnarunt sequendo signa diaboli, quæ sunt hujus mundi aureæ floridæque coronæ... Hæ nunc in conspectu crucis non

apparent amplius : *Transierunt omnia illa tanquam umbra.* Sap. V, 9.

2° Signum crucis est signum *symbolicum* Christi, totiusque legis evangelicæ : crux enim symbolum est humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ, charitatis, omniumque virtutum.

3° Signum crucis diagnosticum est, seu *signaculum*, character, quo Christus Dominus insignitus est, et omnes ejus fideles insigniri debent : sicut olim filii Abrahæ circumcisionis charactere signabantur. Quapropter Christi discipuli in Apocalypsi (capp. VII et IX,4) exhibentur ut habentes signum Dei vivi in frontibus suis.

Omnes quidem Christiani crucis signo in corpore signantur, cum crucis signaculum manu efformant, etc. ; in anima vero non omnes illud signum gerunt, sed illi soli, qui humilitate, mortificatione, tribulationum patientia, Domini crucifixi legem ac voluntatem perficiunt. — Peccatores, signum Christi respuentes aut erubescentes, signo notantur diaboli, habentque *characterem bestiæ in dextera manu sua, aut in frontibus suis* (Apoc. XIII, 16). Istud porro signum, est quodcumque vitium, præsertim hostilitas adversus Christi Ecclesiam.

Et tunc plangent omnes tribus terræ (Matth.).

Omnes scilicet reprobi, videndo crucem Domini, amarissime dolebunt. En pœnitentia peccatorum aliquando futura, sed sera et inanis.

1° Quinam enim visa cruce plangunt et ejulant? Nonne illi qui tempore vitæ pœnitentiam, cruce figuratam, agere noluerunt? Crux illa, quam tunc vel inviti aspicere cogentur, eis suam ingratitudinem, malitiam, stultitiam exprobrabit, quasi dicendo : En salus æterna quam amisisti, cum per merita crucis Domini tam facilis tibi esset.—En salus æterna, quam neglexisti, licet Christo tam magno pretio steterit, ut debuerit crucifigi... Propter te Filius Dei homo factus, tormentis ac morte affectus est : tu vero, quid ei rependisti?... Ubi est fructus dolorum, fructus sanguinis ejus?

2° Plangent, i. e. pectora tundent, præ pœnitentia tarda nimis, cum pœnitentiæ salutaris tempus abierit. *Pœnitentiam*

agentes, et præ angustia spiritus gementes... ergo erravimus!... (Sap. V, 3). — Nonne oportet nunc, cum pœnitentiæ spatium conceditur, mature sibi prospicere? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* II Cor. VI, 2.

Videbunt Filium hominis venientem in nube, cum postestate magna et majestate.

Videbunt venientem Judicem omnes, mali et boni, sed animo longe diverso.

1° Videbunt *boni* cum ingenti gaudio Dominum illum, quem olim non videntes dilexerunt (I Pet. I, 8) : scilicet fide credentes et cognoscentes eum coluerunt, adorarunt, visitarunt, loquentem audiverunt : nimirum in Eucharistia, in persona sacerdotis, confessarii, pauperum... — Quem olim velatum conspexerunt nube fidei, tunc revelata facie cernent, super nubem tanquam super thronum sedentem ; — eum, qui humilitatis causa se vocavit Filium hominis, et in paupertate ac simplicitate inter homines conversatus est in terris, tunc videbunt gloria et honore coronatum, ut Regem humani generis de cœlis venientem... — Itaque *si moram fecerit, exspectemus illum : quia veniens veniet et non tardabit* (Habac. II, 3). Exspectemus eum, cujus solius est potestas ac majestas vere magna : *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe!...* Omnis enim humana potestas et magnitudo, quæ adveniente Christo evanuerit, inanis esse comperietur... — Adhæreamus ergo Regi nostro in paupertate nascenti...

2° Videbunt Christum *mali,* quicumque sint, reges, principes, divites, peccatores omnes... Videbunt eum in quem credere noluerunt, vel saltem, cui tanquam Regi servire detrectarunt ; — quem contempserunt, persecuti sunt, crucifixerunt sive in seipso, sive in ipsius fidelibus aut ministris : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (Apoc. I, 7). — Tunc agnoscere majestatem Christi Jesu vel inviti cogentur : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (Phil. II, 10). — Tunc demum videntes credent Evangelio, sed sicut dæmones, qui et ipsi *credunt et contremiscunt* (Jac. II, 19). — Nonne melius nunc, dum tem-

pus est, agnoscere Regem venientem in misericordia? *Et nunc, reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram... nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (aberrantes), *cum exarserit in brevi ira ejus.* Ps. II.

Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos.

2° En quomodo Rex gloriæ potestatem suam exerceat, pro suis electis, et contra inimicos. Quamvis nunc impios sæpe triumphare permittat, quum venerit hora, *in die iræ suæ, conquassabit capita in terra multorum.* Ps. CIX.

2° *Mittet angelos* tunc visibiliter, quos nunc ad convertendos peccatores et confirmandos justos mittit invisibiliter...— Satanas angelos suos, i. e. dæmones et pravos homines, qui animas nunc seducunt et perdunt, in die illa jam non mittet. Seductores isti ubi tunc erunt? ubi fallaces promissiones eorum?...

3° Mittet angelos *cum tuba et voce magna.* Ecce, appropinquante judicio, jam silet vox clamorque mundi et peccatorum : tuba famæ, vox typographiæ pravæ, vox mendacii, vox risus lascivi, vox superbiæ, calumniæ, etc., jam conticescit. *Omnis iniquitas oppilabit os suum* (Ps. CVI); vox Domini solius auditur, terrenda impiis, jucunda electis : *Venite benedicti... discedite maledicti...*

4° Angeli *congregabunt electos*, scilicet dispersos inter peccatores, quique hactenus quasi in oblivione latuerunt; eos vocabunt et cum honore deducent... — Peccatores quilibet, etiam olim purpurati, recedite retro, date locum Christi famulis, pauperibus... Vos apparete, justi, olim absconditi, qui officia status vestri, oculis Dei, qui videt in abscondito, adimplestis... qui humiliorem locum elegistis... apparete, ascendite superius : *Non in finem oblivio erit pauperis : patientia pauperum non peribit in finem* (Ps. IX). — E contra, mundanorum erit oblivio, et patientia eorum peribit in finem.

His fieri incipientibus...

Fieri hæc incipiunt in quacumque hujus vitæ tribulatione, quandoquidem tribulatio, seu crux quælibet, imago sit ac figura tribulationis supremæ, adventum Christi annuntiaturæ. — Quare in quacumque tribulatione, id faciendum quod Dominus hodierno Evangelio commendat.

Respicite, et levate capita vestra...

En spes ac fiducia, cum urgent adversitates, in animo excitanda. Vult enim Dominus, ut tunc respiciamus ad redemptionem nostram quæ propinqua est. In omni nempe tentatione, in tribulatione quacumque, non est despondendus animus, neque oculi fidei claudendi, nec caput inclinandum ad consolationes terrenas brutorum more captandas; sed cor erigendum est in spem, oculi, totusque animus attollendus in Christum auxiliatorem, remuneratorem... qui non est longe ab unoquoque nostrum, nobiscum manens in suo præsepio, in sua Eucharistia... nobiscum in tribulatione nostra : *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum* (Ps. XC). — Nec diu remunerationem differet : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est.* Apoc. XXII, 12.

Ab arbore autem fici discite parabolam (Matth.).

En spei nostræ fundamenta firmissima. Vult enim Christus, ut in tribulatione certissimam habeamus de propinqua salute fiduciam, qualem verno tempore de adventante æstate fiduciam habemus. Quemadmodum folia et gemmæ in ficulneis erumpentes, signa transactæ hiemis et instantis jucunditatis æstivæ, simulque pignora fructuum præbent; ita tribulationes justorum, seu cruces, signa sunt instantis mercedis, ejusque pignus : adeo ut nobis quasi vocem Domini referant dicentis : *Tristitia vestra vertetur in gaudium... Modicum, et videbitis me... et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Joan. XVI, 19, 20, 22.

Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.

En certitudo infallibilis verborum Domini, quæcumque sint, sive promissiones, sive comminationes enuntient. Si enim sensum hujus eloquii inspiciamus, Dominus dicit : 1° Omnia verba mea, tum erga bonos, tum erga malos, infallibiliter implebuntur : nec boni mercede, nec mali vindicta carebunt. — Etsi ergo moram facere, imo quasi obdormire videatur Dominus, nihilominus in tempore suo veniet, *et reddet unicuique secundum opera ejus* (Matth. XVI, 27).—Non sic plerumque implentur verba hominum...

2° Addit Dominus : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt :* i. e. quæ firmissima sunt in creaturis, delabi, hominumque certæ promissiones inanes fieri possunt; verba autem mea atque promissa sunt prorsus infallibilia. — Transibunt cœlum et terra, omnesque homines, opera ac divitiæ eorum... transibunt peccata et gaudia mundanorum... transibunt pœnitentiæ et tribulationes justorum ; — sed verba Domini, quæque ex verbis ejus bona opera et thesauri spirituales conficiuntur, — item præmia justorum, et pœnæ peccatorum non peribunt.... — Diabolus, mundus et mundani homines in verbis ac promissis suis fallaces sunt valde ; Christus autem fidelissimus : *Veritas Domini manet in æternum* (Ps. CXVI). — Quapropter veritatem Domini unice amemus, unice sectemur ; accedentesque ad thronum gratiæ, ad præsepe Bethlehem, ex ore Infantis divini verba æternæ vitæ recipiamus.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

—

Matth. XI, 2 — 10. Cum Joannes audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Et respondens Jesus ait illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam ? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Luc. VII, 18-27. Et nuntiaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Quum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te, dicens : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum.) Et respondens dixit illis : Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes

Explicatio prima.

—

Evangelica lectio legationem refert a Joanne Baptista ad Christum missam, qua adventus Domini primus egregie declaratur.

I. *Interrogatio Domini.*
II. *Ejus responsio.*
III. *Ejus encomium de Joanne.*

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi...

Sub initium mensis Junii, anno secundo prædicationis Domini, cum ipse esset in civitate Naim, ubi filium viduæ a morte suscitaverat, et alia quotidie miracula patrabat, tantorum operum fama ad Joannem Baptistam delata est. Sanctissimus enim Præcursor captivus tenebatur in arce Macheruntina (1), in finibus Galilææ et Arabiæ sita; cumque ibidem a discipulis inviseretur, audiebat ab eis mirabilia opera Christi. Videbat autem non sine dolore, discipulos suos de divina Christi missione nequaquam esse persuasos; quin imo, eos nimia quadam erga se reverentia occupatos, invidia potius moveri, quod Jesus magis quam Joannes, ipsorum magister,

---

evangelizantur. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. Et quum discessissent nuntii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid exîstis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exîstis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt. Sed quid exîstis videre? prophetam? Utique dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

(1) Flav. Joseph *Antiqq.* l. 18, c. 7, 2.

claresceret. Itaque zelo plenus cupiebat sanctus Præcursor discipulos illos, quos propter Christum assumpserat, Christo revera lucrari ; idque eo magis, quod forte non ignoraret sibi mortem proxime instare, et timeret, ne post suum obitum, vacillantes illi discipuli, sparso a Pharisæis rumore de Jesu, quasi dæmonium haberet et impostor esset, misere seducerentur. Quapropter duos ex eis ad Jesum delegat,

Mittens duos de discipulis suis...

Cur Joannes, cum in discipulos tanta auctoritate polleret, eos ipsemet non docet? — Quia viderat testimonia sua de Christo, ab iisdem discipulis tam sæpe audita, animos illos simplices et præjudiciis occupatos convincere non valuisse. Quare eos prudenter mittit ad Jesum, ut ipsimet suis oculis et auribus efficacius veritatem percipiant.

Ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?

En quæstio a legatis discipulis, nomine sui magistri Christo proponenda : utrum nempe vere sit exspectatus Messias, seu Christus. Non quod Joannes dubitaret ; sed, ut modo dictum est, quia dubitabant discipuli. Præcursor Domini firma utique fide stabat, et testimonium quod de Christo perhibuerat, immutabiliter sustinebat : vir tantæ constantiæ, ut propter veritatem ac justitiam, vincula mortemque contemneret. Cum autem discipulos videret dubitantes, eos ad Jesum mittit, ut sui magistri nomine interrogent id, quod ipsi proprio nomine interrogare non essent ausi ; utque simul Dominum propius videntes, ejusque verba audientes, pro Messia agnoscant : atque ita disponantur ad Christo tanquam summo Magistro adhærendum.

Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? — Interrogatio clara et simplex, nec dolosa sicut Pharisæorum interrogationes esse solebant : denotat legatorum intentionem rectam adhærendi Messiæ quem exspectant, ubicumque eum invenerint.

Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Antequam legatis responderet Dominus, perrexit aliquamdiu opera facere in quibus tunc occupabatur, infirmos nempe sanare et varia miracula patrare : *In ipsa hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum* (Luc.) ; deinde convertens se ad interrogantes, ait : *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis....*

His autem verbis quæstioni utrum ipse Messias sit, cum non videatur respondere, quæri potest cur non respondeat? — At vero, Dominus quidem non respondet directe, dicendo : *Ego sum, qui loquor vobiscum*, sicut respondit mulieri Samaritanæ, quam optime ad credendum dispositam videbat; respondet autem indirecte, nimirum factis, quæ altius loqui solent quam verba, patratis miraculis iis, quæ juxta prophetas propria sunt Messiæ signa : ut ita legatorum animos convincat. — Intellexit enim Dominus quare a Joanne essent missi, ideoque juxta Joannis mentem eos prudenter tractat et sanat, eorum infirmitatem dissimulando, responsionem quasi ad Joannem dando ; et quidem talem responsionem, quæ Messiani sui characteris demonstrationem contineat : *Cæci vident, claudi ambulant*, etc. ; quasi diceret : Ego utique Christus sum, cum in me Isaiæ vaticinium impleatur : *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* Isai. XXXV, 5, 6. Cf. LXI, 1.

Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Quod dicit *scandalizatus in me*, i. e. scandalizatus in mea doctrina, in meis miraculis et in mea vivendi ratione ac paupertate, prout scandalizantur Pharisæi. Hi enim in me scandalum accipiunt, doctrinam meam mala fide vituperando, miracula sinistre interpretando quasi potestate diabolica fierent; et pauperta-

tem meam, ut Christo Rege parum dignam, despiciendo : cum tamen hæc omnia prophetiis evidenter respondeant. Beatus ergo qui non scandalizatur, sed docili animo veritatem in me agnoscit. — Hæc, ut videtur, verba Dominus adjecit propter Judæos adstantes; et forte etiam propter legatos, qui scandalizabantur eo quod Domini ratio vivendi, quæ specie minus erat austera, ejusque verba et opera, multum ab iis differrent, quæ viderant in Joanne magistro suo.

Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne...

1° Laudes Joannis enuntiat Dominus coram turbis, -1) ut eas a scandalo infirmorum præservet : ne scilicet putent, Joannem illud, quod de Christo perhibuit testimonium retractasse. -2) Ut eas ædificet, ex Joannis laude ostendendo quam verum sit testimonium ejus; et sic audientes inducendo, ut Præcursoris testimonio fidem adhibeant et Christum agnoscant.

2° Non incipit autem loqui antequam legati discesserint, ne coram discipulis magistrum adulatorie laudare videatur.

Quid exîstis in desertum videre? arundinem vento agitatam?... hominem mollibus vestitum?...

Sensus est : Nolite putare Joannem retractasse testimonium, aut dubitare cœpisse utrum ego vere Christus sim : quasi esset homo inconstans et versatilis, quales esse solent mundani, molles ac sensuales. Nequaquam sane talis est ille, qui in deserto vixit, vestitus pilis camelorum, nutritus locustis et melle silvestri. Vosmetipsi vidistis et agnovistis, eum nequaquam esse hominem sicut reliquos, levem, qui humano ac fallaci spiritu motus est, ut me Christum crederet; neque sensualem, qui, ob carnalia commoda, adulatorie me Christum prædicarit; — sed e contra, vidistis eum esse Spiritu Dei plenum, omnia terrena commoda conculcantem, constantissime increpantem Pharisæos et principes, adeo ut nihil nisi veritatem præ oculis habuerit.

Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.

Joannes propheta et plus quam propheta prædicatur, quia non modo Christum venturum annuntiavit, sed etiam præsentem demonstravit, eumque via pœnitentiæ ad populum suum introduxit. Quod quidem in ipsa Joannis nativitate, pater ejus Zacharias mirabiliter prænuntiaverat, his cantici verbis : *Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis ; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Luc. I, 76.

Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Sensus est quasi diceret : Hic est Præcursor Messiæ, a Malachia his verbis descriptus : *Ecce ego mitto angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam* (Malach. III, 1).—Quod si apud Malachiam non legitur : *ante faciem tuam*, sed : *ante faciem meam*, differentia sensus non est : nam illic Verbum de se loquitur, hic Pater de Verbo. — Aptissime verba Malachiæ Judæis recitantur, qui Joannem quidem ut prophetam habebant ac Dei legatum, non tamen tanquam Messiæ Præcursorem agnoscebant ; quare docentur a Jesu, Joannem esse illum Præcursorem, qui jam missionem implevit præparando viam Messiæ : cumque non alteri viam præparaverit Joannes quam Jesu Nazareno, in Jesu persona Messiam agnoscere debent.

—

Explicatio secunda.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis...

1° Sanctus Domini Præcursor exemplum præbet constantiæ, cum in vinculis maneat et persecutionem patiatur propter justitiam. Dixerat enim Herodi : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui...*

2° Exemplum præbet zeli prudentissimi, quippe qui captivitatis suæ quasi oblitus, de discipulis unice sollicitus, eos consulto ad Dominum Jesum mittat, certus, fore ut ab ipso confirmentur in fide, secundum illud : *Accedite ad eum et illuminamini.* Ps. XXXIII.

3° Exemplum præbet curæ et charitatis, quam habere debent pastores erga oves suas, et parentes erga liberos.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

1° En rectitudo cordis qua veritas quærenda est. Quicumque veritatem, seu, quod idem est, Christum cognoscere cupiunt, quærant eum ex animo, sicut scriptum est : *In simplicitate cordis quærite illum* (Sap. I, 1). Quærant et interrogent, sicut isti Joannis discipuli, ex animo parati ad Christum, ubi invenerint, agnoscendum et sequendum : sic enim dispositi procul dubio docebuntur. — Secus autem, si corde malevolo eum quærant, sicut Pharisæi, in clarissima etiam luce non videbunt eum. Quare cum ei dicerent Pharisæi : *Si tu es Christus, dic nobis*, respondit Dominus : *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Luc. XXII, 67.

2° Christum vocant *eum qui venturus est, quem exspectant;* ut discamus, Christum Dominum eum esse, qui vere est omnis spes et exspectatio humani generis, desideratus cunctis gentibus, quique omnia desiderabilia cordis nostri in se contineat... — Nos interrogare jam non debemus : vidimus enim, novimus, possidemus Christum Jesum ; cur ergo non ex animo ei adhæremus, ejus legem ac sanctissimam voluntatem amplectendo?...

Renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis.

1° His docet nos Christus modestiam, in nostrimetipsorum commendatione servandam. Interrogatus enim Dominus de summa sua dignitate, utrum esset Messias, Rex mundi : non respondet se illum esse, sed ex doctrina et operibus suis judicandum relinquit, utrum sit verus Messias, nec-ne.

2° Docemur, consideranda esse verba et opera Christi, ut fidem nostram nutriamus : *Quæ audistis et vidistis.* Atqui,

quæ audivimus et vidimus de Christo, ea sunt non tantum quæ in Evangelio legimus; sed etiam quæ in Ecclesia a Christo fundata, a novemdecim fere sæculis divina Christi virtute peracta sunt; hæc enim omnia testimonium perhibent de illo : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* (Ps. XCII). Hæc in sacra concione, in lectione, in meditatione pie recolenda, recogitanda, et annuntianda sunt, ad fidem in anima propria et aliorum promovendam.

3° *Quæ audistis et vidistis :* en officium pastoris, seu præpositi cujusvis ecclesiastici, qui ex duplici hoc capite, *doctrina* quæ auditur, et *operibus* quæ videntur, sicut Christus commendari debet. Sic Paulus, Christi imitator, scribit : *Quæ audistis et vidistis in me, hæc agite; et Deus pacis erit vobiscum* (Phil. IV, 9); et ad Timotheum : *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione.* I Tim. IV, 12.

Cæci vident, claudi ambulant...

1° En Christi potentia et ineffabilis bonitas : omnes infirmitates curat, non tantum corporales, sed etiam illas quæ corporalibus figurantur, spirituales : *Qui sanat omnes infirmitates tuas* (Ps. CII). — Hujusmodi curationes, præsertim spiritualiter sumptæ, ita Christi propriæ sunt, ut signum ejus constituant et certum indicium, atque ubicumque fiant, ibi Christus esse cognoscatur.

2° En variæ animarum nostrarum infirmitates per Christum curandæ : cæcitas, surditas, claudicatio, etc.

Atqui spiritualiter cæci, claudi, leprosi, surdi, mortui, pauperes dicuntur, qui tales sunt secundum vitam spiritualem gratiæ, qua privantur. Nimirum :

Cæci sunt, qui defectu fidei, vel rerum divinarum ignorantia laborantes, oculos clausos, vel terreno luto obscuratos habent; quique propterea salutis veritates, vera bona, veraque mala non vident.

Similiter, *claudi* sunt, qui non sicut oportet ambulant: nimirum non digne Deo, non secundum legem, nec secundum vestigia Christi. Debemus enim *sicut ille ambulavit, et ipsi ambulare* (I Joan. II, 6). — Item, illi qui offendunt in scandala, qui peccato mortali vel veniali deliberato, a via discedunt; qui

lente, magna defatigatione incedunt; qui non simpliciter Deo servire, sed simul aliquid mundo obsequi volunt. *Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* III Reg. XVIII, 21.

Leprosi, qui lepra peccatorum mortalium, venialium, passionum non mortificatarum, oculis Dei fœdati apparent.

Surdi, qui verbo Dei, conscientiæ, confessarii, superioris non auscultant... voci carnis, mundi, diaboli potius attendentes...

Mortui, qui per peccatum mortale vita gratiæ privati, jacent oculis Dei tanquam cadavera in sepulcro...

Pauperes, qui, licet bonis corporalibus abundantes, animæ divitiis destituuntur, sine pane, sine vestimentis spiritualibus... et insuper debitis gravati... — Hi omnes a Christo in hoc tempore gratiæ ac misericordiæ juvantur; postea vero, in tempore justitiæ, i. e. in judicio, in inferno, non juvabuntur : illic est mors secunda ac perpetua, cæcitas æterna, etc. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Hebr. IV, 16.

3° *Spiritualis cæcitas, surditas*, etc. in bonam quoque partem sumi potest. Nam spiritualiter, seu potius mystice cæci, surdi, etc., etiam dicuntur illi, qui tales sunt secundum vitam carnalem veteris hominis, quam in se mortificant : qui nimirum concupiscentiam, atque omnem inordinationem oculorum, gressuum, tactus, etc. reprimunt; quo sensu ab Apostolo dicitur : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo* (Coloss. III, 3). — Qui cæci, claudi, etc., hoc modo sunt secundum exteriorem hominem, illi Christi virtute videbunt, ambulabunt, etc. secundum hominem interiorem; quo sensu a vitæ spiritualis magistris statui solet : Ut quis spiritu ac vita Christi impleatur, eum cæcum, surdum, mutum, mortuum effici oportere.

Pauperes evangelizantur.

Christus inter miracula et signa Messiæ enumerat, quod non fastosi divites, nec superba ingenia, nec subtiles et acuti

homines Evangelium suscipiunt ; sed humiles, mansueti, parvuli ac pauperes spiritu : quo docemur paupertatem spiritus, i. e. humilitatem ac submissionem cordis, solum et proprium esse doctrinæ cœlestis capiendæ medium.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Hic docemur, 1° quid verus Christianismus requirat. Christianus enim ille verus est, qui non scandalizatur in Christo, qui *non erubescit Evangelium*, qui nihil a se alienum putat quod Christi est, et patientiam atque humilitatem ejus non respuit.

2° Quinam autem sunt qui scandalizantur in Christo? — R. Non tantum infideles et increduli, qui scandalizantur propter Christi doctrinam, quam credere nolunt ; sed etiam multi fideles, qui scandalizantur propter virtutes et exempla Christi, quæ sequi nolunt. Scilicet Christus, secundum Simeonis vaticinium, *positus est in ruinam et in resurrectionem*, seu in scandalum et in ædificationem *multorum* (Luc. II, 34) ; mysticus nempe lapis, qui aliis nimirum ei resistentibus, efficitur lapis scandali, seu offensionis ac ruinæ ; aliis vero, puta ei obedientibus, lapis ædificationis, firmitatis ac salutis. — Superbæ mentes offenduntur fastidiendo, 1) humilitatem atque abnegationem evangelicam ; 2) miracula atque mysteria ejus, quibus intellectum et voluntatem cum simplicitate submittere deberent.

Illis abeuntibus, cœpit Jesus dicere de Joanne...

1° Christus laudaturus Joannem, non id facit nisi post discipulorum ejus discessum : ut discamus adulationem esse vitandam, neminemque esse adulatorie laudandum, vel coram, vel apud familiares qui omnia ei postea, cum spirituali detrimento vel periculo referrent.

2° Christus Joannem laudat, ut discamus quisnam oculis Dei laude dignus habeatur, nempe humilis. Joannes enim a Domino laudatur, quia semetipsum humiliavit... *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*. Luc. XIV, 11.

Quid exîstis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

1° Hic discere possumus quomodo fortitudo animi, libertas spiritus, et constantia servanda sit in rebus tristibus, in veritatis defensione, in recto et honesto tenendo. Christus enim suo encomio celebrare voluit hasce virtutes Joannis, eo quod sanctus Præcursor Herodem officii sui monuerit, et tempori non cesserit ad regis libidinem se conformans, et denique quod constanter etiam in vinculis perseveraverit. Arundo enim vento agitata homines significat vitiis contrariis laborantes : hominibus placentes, tempori servientes, ad omnem tentationis pulsum cedentes et animum mutantes. *Quid per arundinem*, ait Gregorius, *nisi carnalis animus designatur, qui mox ut favore vel detractione tangitur, statim in partem quamlibet inclinatur.*

2° Arundinis symbolo alia nobis suggeruntur documenta : præcipue vero, quid homo sit ex semetipso sine gratia, quid vero per gratiæ virtutem efficiatur. Nam -1) arundo sterilis, vacua, infirma, ventorum, i. e. passionum ludibrium, est ex semetipso omnis homo, in deserto hujus mundi natus..... Arundo, inquam, est, quamvis extrinsecus aliquando ut cedrus exaltatus videatur... — Arundo peculiari sensu est ille, qui respectu humano movetur, etc.

-2) E contra per gratiam Dei, justus, flamini hujus mundi resistens, et Spiritu sancto repletus, quantumvis tenuis ac infirmus extrinsecus videatur, oculis Dei cedrus est, columna est : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Apoc. III, 12.

-3) Imo arundo in manu Christi Regis fit sceptrum potentiæ : i. e. si quis vera humilitate agnoscat se esse arundinis instar infirmum, Dominus ad illun inclinabitur, et extendet manum suam, ut eum virtute sua impleat, et tanquam instrumentum brachii sui adhibeat... —At vero ad hoc necesse est, ut homo sinat se a terra, i. e. a terrenis rebus avelli, foliis ac cortice spoliari, totumque se divinæ manui ac voluntati permittat.

-4) Joannes, licet in deserto et in ripa Jordanis oculis mundanorum pauperculus fuerit, et quasi arundo contemptibilis, nequaquam talis est; sed e contra, ob hoc ipsum quod in solitudine, in pœnitentia, etc., vixerit, Spiritus sancti virtute ac robore repletus est. *Quum infirmor, tunc potens sum... Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* II Cor. XII, 9.

Hominem mollibus vestitum ?...

Christus Joannem etiam ab hac parte laudat, quod in ipso vestitu sobrietate, imo et asperitate usus sit : quo Joannis encomio indirecte nos monet, ut a vita molli et sensuali (1), speciatim vero a vestium intemperantia caveamus.

1° *Sensualitas fugienda.* Nam sicut Joannes, indutus pilis camelorum, vilissima alimenta comedens, longeque a se rejiciens delicias sæculi, propterea Spiritu Dei, lumine ac robore cœlesti repletus est; ita *qui in domibus regum sunt*, i. e. divites hujus mundi, qui molliter vivunt et carnis blandimenta sectantur, ideo spiritualia dona accipere nequeunt. — Quapropter qui mundana et carnalia oblectamenta quærunt, quantumvis divites, fortes, constantes extrinsecus appareant : intrinsecus, et oculis Dei miserabiles sunt, egeni, et, sicut fortunæ rota, versatiles... — Exuamus ergo mundanam superbiam, mollitiem, ac totum veterem hominem, ut induamus Christum ac virtutem ex alto.

2° *Vestitus intemperantia fugienda.* Nam sicut illa Joannis in vestitu asperitas, singularis virtus est, etsi non necessaria; sic vestimentorum mollities et luxus, a Christiano spiritu alienus est, Deoque displicet, et multorum malorum vel causa vel effectus existit. Quare apposite S. Gregorius : *Nemo*, inquit, *existimet in luxu et studio pretiosarum vestium peccatum deesse; quia si hoc culpa non esset, nullo modo Dominus Joannem de vestimenti ipsius asperitate laudasset.* Homil. 6 in Evang. Cf. I Tim. II, 9.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 3, § 5 ; arg. 15 et 33.

Prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.

En fructus christianæ mortificationis. Joannes enim in solitudine vitam cœlestem agens, eam a Deo gratiam accepit, ut prophetas superaret : cum prophetæ Christum longo tantum intervallo distantem viderint, ipse vero eum præsentem habere meruerit. Similiter, qui sicut Joannes vivunt, a mundanis obstaculis, etc., segregati ; illi Christum non a longe vident, sed e propinquo, per vivam fidem et ardentem charitatem possident : *Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Eph. III, 17.

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

1° Hic docemur, exemplo Joannis, angelicam vitam æmulari. Scilicet Joannes angelus esse dicitur, tum quia innocentissime vixit, tum quia minister ac legatus Dei fuit, viam Messiæ venienti præparans. — Qui Joannem innocentia, humilitate, mortificatione, etc. imitantur, evadunt velut angeli faciei Domini : id est, digni *ministri ejus, potentes virtute, facientes verbum illius* (Ps. CII.), illudque tum lingua, tum exemplo prædicantes, atque ita corda hominum Christo ejusque gratiæ aperientes...

2° Docemur, in hominibus a Deo missis Dei angelos seu legatos agnoscere. Etenim angelum quoque suum ad nos mittit Dominus, ut cor nostrum venturo Christo præparet : nimirum quemcumque Ecclesiæ ministrum, Dei nomine monentem nos, *ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Tit. II, 12, 13.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

—

Joan. I, 19-28. Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus est, et non negavit; et confessus est : Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respondit : Non. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus eis qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogaverunt eum et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est : cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

—

Explicatio prima.

Evangelista testimonium exponit a Joanne Baptista de se ipso et de Jesu solemniter præstitum, atque auctoritate publica Judæorum receptum : quæ res contigit paucis post

baptismum Domini mensibus, cum Joannes esset in Bethabara trans Jordanem.

I. *Testimonium Joannis de se.*
II. *Testimonium Joannis de Jesu.*

Miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum.

En legatio publica et honorifica ad Joannem Baptistam missa, ut interrogetur an ipse sit ille vir qui exspectatur, quique totius humani generis erit dignissimus, imo princeps, Messias. — Qui hanc legationem mittunt *Judæi*, sunt principes Judaicæ gentis, summum consilium, senatum, seu Synedrium constituentes, quod suam sedem habebat Jerosolymis; ideo dicitur : *Miserunt Judæi ab Jerosolymis.* — Hi cum de rebus religiosis cognoscere deberent, et Joannem viderent virum prorsus mirabilem, qui sese divinitus missum esse diceret; juridice inquirendum existimarunt quis Joannes esset, et utrum forte, ut multi opinabantur, ipse esset Messias seu Christus, tunc temporis exspectatus : ideoque legatos ad eum miserunt. — Legati ad Joannem missi, sunt *sacerdotes et levitæ*, viri selecti, in Scripturis versati, atque idonei ut de rebus religiosis agant. Joannem itaque legati interrogant, dicentes :

Tu quis es ?

Sciebant quidem Joannem esse Zachariæ filium; neque rogant quis sit quoad originem; sed quis et qualis sit, quoad munus ac missionem, scilicet an sit Christus : *An tu es Christus?*

Diserte ut in re juridica interrogatus, diserte Joannes testatur et respondet : *Quia non sum ego Christus.* Idque gravissime negat : *Et confessus est, et non negavit* (non dissimulavit); *et confessus est.* — Non sum, inquit, *ego* Christus, quasi insinuando, alium jam adesse qui vere Christus sit. — Legati autem ulterius rogant :

Elias es tu?

Viri Scripturarum periti non ignorabant Eliam, qui vivus de terra sublatus est, venturum esse ante magnum Messiæ adventum, prout Malachias (IV, 5) prædixit his verbis : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis : et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* Hanc prophetiam, quæ secundum Christi adventum respicit, cum cognoscerent, sed erronee existimarent implendam esse in Ejus adventu primo, rogant utrum Joannes forte prædictus Elias non sit.

Et dixit : Non sum.

In sensu interrogantium respondet : Non sum ille quem dicitis : non sum Elias *re* atque *persona*. Quæ responsio vera erat : cum Joannes tantum esset Elias *spiritu*, virtute et officio : *Præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ* (Luc. I, 17). — Quo fere sensu ipse Christus de Joanne ad Judæos dixit : *Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est* (Matth. XI, 14) : scilicet Elias est effectu et officio, quia, si vultis Joannem recipere et ei credere, vos ad Deum convertet; si non vultis, non erit vobis Elias.

Propheta es tu? Et respondit : Non.

Juxta sententiam probabilem, sensus foret : An forte tu es unus ex antiquis prophetis, in novo corpore redivivus? Sicut nimirum postea de Christo dixerunt, eum esse *unum ex prophetis* (Matth. XVI, 14). At probabilius, juxta Toletum, Prophetam intelligunt illum insignem, de quo Moyses, Deut. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Propheta ille, erat ipse Messias, a Moyse tam solemniter annuntiatus, sed eum legati perperam a Messia distinguebant.

Et respondit : Non. In sensu nempe interrogantium, Propheta ille magnus non erat; virtute tamen, gratia et spiritu vere propheta, i. e. divinus interpres, divinus legatus erat, prout Zacharias significavit dicens : *Et tu puer, propheta*

Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus (Luc. I, 76). — Scilicet eminentiore modo propheta erat, cum esset Præcursor Messiæ; quæ sublimis missio triplici erat implenda munere : prædicatione, baptismo et testimonio de Christo.

Interrogantes autem, negativis responsionibus parum contenti, instantius Joannem urgent, dicentes : *Quis es, ut responsum demus eis qui miserunt nos? Ait :*

Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

Quod dicitur *vox clamantis*, i. e. *vox personæ clamantis*, vel, *vox clamans*. — *Dirigite viam Domini*, i. e. animos per pœnitentiam recte disponite. De Judæorum animis præparandis hic spirituali sensu dicitur id, quod Isaias sensu litterali dixit de via paranda Domino per desertum venturo, ut populum suum a captivitate Babylonica liberaret : *Vox*, inquit, *clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Isai. XL, 3.

Qui missi fuerant erant ex Pharisæis.

Ad Pharisæorum sectam sacerdotes, et homines quilibet pertinere poterant. Hos autem legatos Pharisæos esse, idcirco prævie adnotat Evangelista, ut subsequentis quæstionis objurgatoriæ rationem reddat. Pharisæi namque viri erant in Scripturis versati, æque ac versuti et captiosi, atque aliunde generatim Joanni Baptistæ contrarii. Ideo objiciunt sequentia :

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?

Reprehensio hæc est et objurgatio. Noverant baptismum prædictum esse his Ezechielis verbis : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... et dabo vobis cor novum et spiritum novum* (Ezech. XXXVI, 25. Cfr. Zachar. XIII, 1) ; et secundum traditiones suas tenebant, nemini, præter Messiam, Eliam, vel magnum Prophetam, licitum esse baptizare. At baptismus Joannis nequa-

quam erat ille de quo prophetæ agebant, collaturus nempe remissionem peccatorum, et a solo Messia conferendus. — Joannes mansuete respondet :

Ego baptizo in aqua,

Sensus est quasi diceret : Baptismus meus non est nisi symbolum vel umbra baptismi Messiani : ego baptizo tantum aqua, et corpora solummodo lavo ut pœnitentiam vos doceam, qua præparati recipiatis eum qui post me venturus est. Monet enim vos baptismus meus, ut quemadmodum aqua corpus abluit, ita vos curetis animos vestros abluere a peccati maculis. Christus autem baptizabit *aqua et Spiritu sancto*, nec tantum corpora, sed etiam animas lavabit infusione gratiæ.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.
Ipse est qui post me venturus est, qui ante
me factus est : cujus ego non sum
dignus ut solvam ejus corrigiam
calceamenti.

Ille autem Christus jam adest, licet adhuc incognitus; moxque *post me venturus est*, prædicans quoque et baptizans, sed modo longe excellentiore quam ego : quippe *qui ante me factus est*, i. e. qui tanto excellentior me existit, ut ego inter infimos ejus servos annumerari non merear : *Non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Est enim unigenitus Dei Filius!

Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem,
ubi erat Joannes baptizans.

Bethania (domus obedientiæ), seu, ut alii legunt, *Bethabara* (domus transitus), trans Jordanem sita, alia est a Bethaniæ castello prope Jerusalem. — Locum Evangelista designat, non tantum ut historice fidem faciat; sed etiam, ut testimonium Joannis quam plurimos habuisse testes ostendat. Frequentissimus enim ille locus erat quem Joannes ad baptizandum

elegerat, quia ibidem ob trajectum Jordanis magnus erat transeuntium concursus.

—

Explicatio secunda.

Miserunt Judæi ad Joannem...

Judæorum legatione ad Joannem plura nobis documenta suggeruntur. Docemur enim, 1° inquirendum esse de rebus salutis, prout Judæi faciunt. Ante omnia scilicet cognitio salutis et religionis, sine qua res nulla nobis prodesse possit, comparanda est. At plerumque nonne unice de rebus temporalibus quæritur? Nonne sola peritia profana æstimatur? Nonne quæstio primaria et sæpe unica hæc esse solet : *Quid inde lucri, quid pecuniæ proveniet* (1)?

2° Docemur inquirendum esse de rebus salutis animo recto, ut eas amplectamur et observemus; prout Judæi non fecerunt, cum Christum sufficientissime cognitum recipere noluerint. *In simplicitate cordis quærite illum* (Sap. I, 1). — *Sapientia facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.* Sap. VI, 13.

3° Docemur mundanæ existimationis vanitatem. Etenim ad Joannem, Christi Præcursorem, mittunt Judæi legationem honorificam; ad ipsum vero Christum Dominum nunquam legatos miserunt, nec unquam eum nisi captiose an Christus esset, interrogarunt : eo quod Dominum præ Joanne contemptibilem existimarent, licet tanto majora essent ejus opera et verba quam Joannis. En mundi judicia.

Tu quis es?

Quæstio brevis sed gravissima, quæ congrue tum mundo, tum Christo Domino, tum nobismetipsis accommodari potest, ut salutaris cognitio mundi, Christi ac nostrimetipsorum acquiratur.

1° Tu quis es, o munde? tu, qui me invitas ad tua gaudia... qui me terrere contendis tuis ludibriis, etc.

(1) Cf. *Adjumenta,* Argum. 2 et 3.

2° Tu quis es, o Christe Jesu? qui me quoque invitas ad labores et præmia...

3° Unusquisque a semetipso quærat : *Tu quis es* (1) ? Nimirum, quis es -1) secundum naturam? Unde venis, quo vadis, quæ est origo, quis finis tuus? — Creatura Dei es .. paupercula... sed ad excelsam gloriam vocata per gratiam.

-2 Quis secundum gratiam? Christianus es, filius adoptivus Dei.... At vero, num talis es vita et moribus?...

-3) Quis es oculis hominum, quis oculis Dei?... *Domine, noverim me, noverim te.* S. Aug. — Memento homo *quia pulvis es et in pulverem reverteris* (Gen. III, 19). — *Charissimi, nunc filii Dei sumus* (I Joan. III. 2). — *Agnosce, Christiane, dignitatem tuam.* S Leo.

Et confessus est, quia non sum ego Christus.

1° Joannes egregium præbet exemplum humilitatis, vanam sui existimationem fugientis. Nam etsi vir dignissimus esset, de sua præstantia nequaquam loquitur; sed statim confitetur candide, aperte et simpliciter se hujusmodi titulum et qualitatem non habere; nec sibi ullam dignitatem fictam vult arrogare, aut ab hominibus haberi melior quam est.... En humilitas, quæ simul est sincerissima veritas. Sic homo humilis magis sollicite curat ne etiam de veris virtutibus glorietur, quam homines vani, ut gloriam et laudem quavis occasione captent. — Quam longe aliter mundanus spiritus agit et loquitur ac Joannes! Homo mundano spiritu imbutus, nequaquam confitetur candide se non esse doctum, peritum, nobilem; sed fictam sibi arrogat magnitudinem, etc.

2° Illud *non sum*, quivis humilis discipulus Christi sibi accommodare potest. Nam sicut Joannes, omnes confiteri debemus Deo, imo etiam hominibus, nos esse infirmos, miseros, omni bona dote ex nobismetipsis carentes; et dicere : *Non sum,* nihil scilicet sum, nisi miserrimus peccator. Quo sensu Christus ad S. Catharinam Senensem dixit : *Ego sum qui sum; tu vero es illa quæ non es.*

(1) Cf. *Adjumenta*, Arg. 1.

Quid dicis de te ipso?

Eximia Joannis modestia hac quæstione manifestatur. Nam legati insistere coguntur, ut de semetipso Joannes loquatur, i. e. ut positive quidpiam boni de se dicat. — Non ita homo superbus et jactabundus, qui non latere, sed apparere gestit. Homo vero humilis ac modestus de se non loquitur, nisi necessitate coactus; et tunc quidem summa utitur moderatione, sicut Joannes.

Ego vox clamantis.

1° Joannis responsio verum prædicatoris verbi officium enuntiat. Omnis enim minister verbi Dei, est vox clamantis, adhortantis, comminantis, objurgantis, consolantis; non vero molliter palpantis, et auribus hominum servientis. Clamare necesse est ad eos, qui vel procul absunt, vel difficulter audiunt : quales sunt omnes peccatores...

2° Joannis responsio novum exemplum humilitatis continet. Nam inter omnes titulos quos sibi jure assumere poterat, adhibet humillimum : *Ego vox*. Scilicet vox res quædam est tenuissima, inconsistens, quæ ne oculis quidem cernitur, et citissime, nullo relicto vestigio, transit; — res dependens omnino a persona loquente, cujus spiritu producitur.

3° Joannis responsio magnitudinem veræ humilitatis ostendit, cum illud *ego vox* titulum contineat in sua humilitate magnificum. Est enim *vox Dei clamantis*, i. e. homo spiritu Dei animatus, et quasi totus spiritualis, cum Deo arctissime conjunctus, a Deo tanquam organum seu instrumentum sensibile adhibitus, et quidem ad effectus maximos producendos. *Vox Domini in virtute*, *vox Domini in magnificentia*, *vox Domini concutientis desertum*. Ps. XXVIII.

4° *Ego vox*, i. e. nihil nisi vox. En idea quædam vitæ vere sanctæ ac christianæ : hujusmodi vita tota *vox* est, tum ad laudandum Deum, tum ad humiliandum se, tum ad ædificandum proximos loquens. Sic Joannes totus vox erat, non tantum prædicatione, sed facie, oculis, manibus, victu, vestitu, ac vita tota, quæ omnia pœnitentiam regnumque cœlorum loquebantur.

Vox clamantis in deserto.

Hic docemur quid sit vocatio gratiæ atque misericordiæ Dei. Dicitur enim Dominus *clamans in deserto,* ut intelligamus eum magna vi loqui ad animas salvandas : -1) in hoc mundo, qui miserum desertum est, desolatione desolatum quia nemo recogitat corde; -2) in anima peccatoris, quæ desertum est sterile, ubi tantum spinæ, et serpentes, et lapides scandali; -3) in anima justorum, quæ sacra solitudo est, mundanis cupiditatibus vacua, a mundano strepitu remota, sancta recollectione tranquilla... Illic clamat, et voce sua, quæ in silentio auditur, mutat solitudinem in paradisum. — Quid autem clamat?...

Dirigite viam Domini.

En præparatio, ex parte nostra necessaria, ut Christi gratiam et redemptionis beneficium recipiamus. Hoc enim clamavit illa vox in deserto, hoc clamant omnes verbi Dei præcones ad suorum temporum peccatores : *Dirigite viam Domini.* Idipsum unicuique nostrum inclamat Deus, ut præparemus corda nostra Domino per pœnitentiam et emendationem vitæ : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum* (Isai. LV, 7). — *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra* (Ps. XCIV). — Longe aliter clamat mundus, cupiditas, diabolus, ut via cordis Domino venturo occludatur, qui tamen veram pacem affert recipientibus se. — Nec tantum peccatores, sed justi quoque viam Domini dirigere debent : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Apoc. XXII, 11.

Ego baptizo in aqua.

Hic docemur qualem dispositionem a nobis requirat Deus, ut nobis gratiam suam concedat : dispositionem nempe humilis pœnitentiæ, secundum illud : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (Ps. L.) (1). — Baptismus enim solius

(1) Cf. *Adjumenta,* argum. 24.

aquæ bonam hanc dispositionem repræsentat, -1) quia aqua est symbolum lacrymarum pœnitentiæ; -2) quia aqua fluens, non ascendit sicut fumus; sed descendit, semperque descendit, infimum locum petens : atque ita est symbolum humilitatis, qua quis miseriam et peccata sua sincere agnoscit, lacrymis deflet, et veniam meretur. *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum?* (Jerem. IX, 1). — Quicumque baptismum aquæ, i e. humilis pœnitentiæ adhibere vult, et sincere pectus percutit cum publicano, dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori;* ille mox a Christo baptizabitur Spiritu sancto et igne : i. e. præstantissimis gratiæ donis cumulabitur.

Medius vestrum stetit quem vos nescitis.

1° Hic docemur spiritum vividæ fidei, qua velut interiori oculo, Christum absconditum agnoscere debemus. Quod enim Judæis dicit Joannes : Messias ille, lux et thesaurus mundi, quem quæritis, jam adstat, et quidem *medius vestrum;* sed eum sub humili veste atque simplici habitu non agnoscitis : idem multis Christianis dici potest. Nam similiter hodiedum plurimi Christum non agnoscunt, cum tamen in medio nostrum maneat : nimirum in templo suo atque in altari Eucharistico, imo in corde nostro per Spiritum suum. *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* I Cor. III, 16.

2° *Quem vos nescitis.* En Christus ignoratus ab ipsis Christianis. — *Quem vos* adhuc *nescitis*, etsi tanto Ecclesiæ lumine manifestum! etsi omnia vobis bona offerentem! O miseranda ignorantia! talis foret ignorantia pauperis, qui thesaurum negligeret, quem esse vilem lapidem existimaret...

Ipse est qui post me venturus est...

Sensus est quasi Præcursor diceret : Qui post me venit, tantæ est excellentiæ ac dignitatis, ut ego inter vilissimos ejus servos annumerari non merear. — Quibus Joannis Baptistæ verbis docemur supereminentem ac divinam Christi Domini excellentiam; atque hinc, ex parte nostra ipsi debitam reve-

rentiam ac fiduciam. Nam quanto nos homines viliores sumus et miseriores, tanto Christus Dominus celsior est et ditior, qui paratus est, ut quæcumque desunt nobis sua plenitudine suppleat : hinc accipiemus omnia, dummodo indigentiam nostram humiliter agnoscere velimus. Dicamus ergo ex animo : O Domine, ego peccator miserrimus, non sum dignus, ut me ad humillimum ministerium admittas ; et magnum mihi honorem duco, quod sandalia pedum tuorum, i. e. pauperes, et minimos e proximis meis, obsequio aliquo attingere possim.

Tale est testimonium Joannis de Christo, ut semetipsum quasi penitus deleat ad Christi splendorem manifestandum ! vere *lucerna ardens et lucens*, qui semetipsum in Christi gloriam penitus consumit.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

Luc III, 1-6. Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha; sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ Prophetæ : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus : omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur ; et erunt prava in directa, et aspera in vias planas : et videbit omnis caro salutare Dei (1).

Matth. III, 1-3; 7-10. In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini ; rectas facite semitas ejus.... Videns autem multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham ; dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

(1) *Sic porro prosequitur Lucas usque ad versic.* 18. Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum, quis

Explicatio prima.

—

Evangelica lectione exponitur Joannis Baptistæ prædicatio, qua Christo vitam publicam inchoanti sanctus ille Præcursor vias præparavit. — Duæ partes distingui possunt :

I. *Prædicationis circumstantiæ.*
II. *Ipsa prædicatio.*

—

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris....

Accuratissime determinatur tempus, designantur personæ ac loca, ut historica veritas quam clarissime pateat. Agitur enim de eventu magno, de prædicatione Joannis Baptistæ, Præcursoris Messiæ, seu potius de adventu ipsius Messiæ qui cum Præcursore conjunctus est : in quo facto historico tota religio, totaque spes humani generis est sita. Religio scilicet in facto historico consistit, in celebri nempe eventu Revelationis, i. e. in eo quod Deus humano generi, per

ostendit vobis fugere a ventura ira ? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ dicentes : Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus ? At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum et milites dicentes : Quid faciemus et nos ? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis ; et contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Joannes dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus : ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni : cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.

Christum præsertim, locutus est legemque constituit. — Ideo religio lumen non fugit, quia umbra seu fictio non est, quæ claritate atque examine dissipetur; sed lumen quærit, quia veritas est atque historica realitas, quæ examinis luce magis magisque apparet. Non ita hæresis, vel humanum quodvis systema, aut error quilibet : hæc enim in vago, in obscuritate, in ignorantia vivunt, in eaque manere debent, ne evanescant.

Tetrarcha Galilææ Herode....

Non ille Herodes Ascalonita dictus, qui occidit pueros in nativitate Domini; sed illius filius, Herodes Antipas, qui Joannem Baptistam decollavit, et Christum in passione sua sprevit.

Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha.

Sub principibus sacerdotum, i. e. sub summis sacerdotibus seu pontificibus Anna et Caipha. — *Principes sacerdotum* dicuntur, modo principes viginti quatuor familiarum sacerdotalium, in quas Aaronica stirps a Davide fuerat distributa, ut per vices hebdomadarias, templi ministerium implerent; — modo, eodem nomine designantur summi Pontifices, sicut hoc loco Annas et Caiphas.

Juxta mosaicas leges, unus tantum *sacerdos summus* seu *pontifex* erat, Aaronis successor, peculiari consecratione initiatus, peculiari vestimento insignitus, qui semel in anno in adytum seu Sanctum Sanctorum ingrediebatur, aliaque munia Aaronis propria implebat; idque non temporarie, sed usque ad mortem. — Tempore autem Christi, pontificia dignitas, pro Romanorum arbitrio, ab uno ad alium transferebatur; imo, uti videtur, Annas, ejusque gener, Caiphas, ambo simul tunc pontificatum obtinebant, ita ut alternis annis pontificales functiones exercerent, prout indicat illud Joannis (XVIII, 13), de Anna dicentis : *Erat socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius* (1).

(1) Censet e contra Lucas Brugensis cum aliis, innitens auctoritati Flav. Josephi, Caipham fuisse pontificem stabilem; et idcirco tantum Annam nominari cum ipso, quod Annas cum antea pontifex fuisset, pontificis retinuisset nomen.

Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans...

Sensus est : Joannes, Zachariæ filius, qui in deserto vivebat, voce ac verbo Domini, sive per internam revelationem, sive per angeli apparitionem loquentis, jussus est prædicare. De hoc verbo seu mandato Domini, sic ipse Joannes alibi loquitur : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit...* Joan. I, 33.

Joannes scilicet, Præcursor Domini, miraculose natus, et ab utero matris suæ sanctificatus, a pueritia in solitudine degerat, ut patet ex Lucæ verbis (cap. I, 80) : *Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.* Illic autem vitam duxerat angelicam, orationi vacans, et exercitio deditus pœnitentiæ, quæ in externo ejus habitu spectabilis, sic a Matthæo describitur : *Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre* (Matth. III. 4). Locustarum intellige peculiarem speciem, quam, ut S. Hieronymus testatur, orientales populi et incolæ Lybiæ solent manducare.

Quum ergo ætatem attigisset triginta annorum, qua tantum ætate publicum ministerium inchoare licebat, verbo seu mandato Dei vocatus est ut prædicationem inciperet. Cui mandato obtemperans statim cavernam reliquit, et venit ad ripas Jordanis ex parte Judææ et Jericho, in locum qui vocabatur Bethabara, ubi ministerium suum obivit : ita tamen, ut non in uno semper loco prædicandi et baptizandi causa consisteret. — Juxta sententiam probabiliorem, prædicare cœpit circa finem mensis Septembris.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

En prædicatio Joannis. Adhortabatur omnes, ut baptismo recipiendo pœnitentiam agerent, qua remissionem peccatorum consequerentur. — *Pœnitentiam agite*, hæc summa et

substantia inflammatæ prædicationis ejus erat. *Facite*, aiebat, *fructus dignos pœnitentiæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur :* per Christum scilicet judicem futurum, *cujus*, inquiebat, *ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (Luc. III, 8 seq.). — Cumque interrogarent eum turbæ, dicentes : *Quid faciemus?* omnibus secundum cujusque statum opera justitiæ indicabat (Cf. Luc. III, 11 seq.).

Baptismus quem prædicabat Præcursor, erat simul signum et actus pœnitentiæ. -1) Signum erat pœnitentiæ internæ : denotabat enim, quemadmodum corpus abluebatur aqua, ita animas esse a maculis abluendas per detestationem peccati. —2) Erat actus pœnitentiæ externæ : quia qui baptizabantur, hoc ipso sese peccatores esse profitebantur, et ad satisfaciendum paratos : *Baptizabantur confitentes peccata sua.* Matth. III, 6.

Baptismus Joannis erat *baptismus pœnitentiæ*, essentialiter diversum a Baptismo regenerationis, quem Christus instituit, et hujus sacramenti tantum figura. Adumbrabatur enim novæ Legis Baptismus clariore quodam modo per baptismum Joannis, sicut fuerat olim, minus tamen distincte, figuratus per transitum maris rubri, quo mersi sunt Ægyptii, servati Hebræi : *Baptizati sunt in nube et in mari.* I Cor. X, 2.

Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ :
Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini,
rectas facite semitas ejus : omnis vallis
implebitur, et omnis mons et collis
humiliabitur ; et erunt prava in
directa, et aspera in vias
planas...

Indicat Evangelista, vaticinium Isaiæ in Joanne impletum esse, et Joannem illum Præcursorem esse, qui a Deo mittendus esset ut viam Messiæ præpararet. — Quod autem apud Isaiam sensu litterali dicitur de via in deserto paranda, ut

Dominus veniat liberaturus populum suum e captivitate Babylonica; id sensu spirituali intelligendum esse Lucas significat, de Judæorum animis ad Christi adventum disponendis; quos animos suos, incultos ac lapideos, jubentur Judæi pœnitentia colere et mollire, humilitate explanare, fide dirigere : ut Christus ad eos venire, eosque in cœleste regnum suum perducere possit.

Et videbit omnis caro salutare Dei.

Omnis caro, i. e. omnis homo; videbit *Salutare Dei*, i. e. Salvatorem, vel salutem quam Salvator operabitur. Sensus igitur est : Ita fiet, ut omnes homines Salvatorem Christum oculis videant; vel etiam, ut in se sentiant et experiantur salutem et vim gratiæ, a Christo afferendam.

—

Explicatio secunda.

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris...

1° En fidei nostræ certitudo, ejusque historica fundamenta immutabilia. — Quanta consolatio nobis, testimonia videre certissima, et inconcussa facta, quibus religio ac spes nostra innititur! *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam.* II Pet. I, 16.

2° En distantia temporis, quæ, utut longinqua, facta historica labefactare non potest. Quam longe enim remotus a nobis est ille annus! sed eventus manet in æternum : non enim per temporis distantiam cujuspiam eventus veritas minuitur; quodque hic narratur, non minus verum est hodie quam ipso die quo contigit, quamvis mente nostra obscurius apprehendatur... Quare ab illa illusione cavendum est, quæ a temporis distantia oriri solet.

3° En humanarum rerum fragilitas, et temporis transitorii brevitas. Tiberius, aliique principes tunc regnabant, florebant; nunc vero, ubi sunt cum regnis suis?... Similiter nostrum tempus, nosmetipsi transibimus. Solus Christus, regnumque ejus non transit : *Jesus Christus heri, et hodie, ipse*

et in sæcula (Hebr. XIII, 8). Quicumque ipsi adhærent immortalitatis ejus efficiuntur participes.

Factum est verbum Domini super Joannem.

1° Joannes ab infantia sanctificatus, qui vitam angelicam simulque austeram duxit per triginta annos in deserto : vir a peccato segregatus, orationi et mortificationi deditus, in humilitate fundatus, in solitudine absconditus, ab omni ambitione alienus, ipse est qui a Deo ad celsissimum ministerium assumitur.—Ex quo docemur, quales homines Deus tanquam instrumenta soleat adhibere.

2° Hinc quoque discimus, quam grata Deo sit vita humilis et abscondita. Nam Joannes dum in solitudine delituit, Deo, qui videt in abscondito, placuit.—Joannes pauperculus a Deo assumitur, dum Scribæ et doctores superbi negliguntur.

3° *Factum est super Joannem verbum Domini :* en divina vocatio, seu divinæ voluntatis manifestatio, quam attente observare debemus. Nam similiter fit verbum Domini super nos, quando Dominus ad aliquem statum nos vocat; — aut per superiores ad aliquod ministerium vel officium deputat ; — vel quando nobis præcepta sua et mandata injungit ; — vel quando nos ad prædicandum mittit, sive verbo sive exemplo : *Mandavit illis unicuique de proximo suo.* Eccli. XVII, 12.

In deserto.

In solitudine sancta, longe a mundanis scandalis, oblectamentis, distractionibus ; in loco silentii, orationis, obscuritatis, pœnitentiæ, Joannes sanctitate crevit, ibique Deum sibi loquentem audiit. — Hinc intelligimus solitudinis bonum, ei præsertim necessarium, qui Deo specialius servire vel plenius frui cupit. Conversatio enim, vel saltem affectio mundana, cum Dei speciali servitio et favore consistere non potest.

Venit in omnem regionem Jordanis prædicans.

1° En obedientia vocationi ac voluntati divinæ præstanda. Joannes Dei mandato statim obedivit, sicut sagitta obediens

manui sagittarii : *Posuit me sicut sagittam electam* (Isai. XLIX, 2). Missionem suam perfecte, maxima constantia et efficacia implevit, exemplum fidelitatis nobis relinquens.

2° Regio Jordanis repræsentat transitorium hunc mundum, ubi flumen delabitur generationum humanarum, quæ, sicut fluctus invicem perpetuo succedentes, velociter cum sonitu et vanitatibus suis transeunt, atque in oceanum æternitatis ruunt... Ad hujusmodi generationes, et ad homines singulos sic transeuntes, prædicatio præcursorum, i. e. ministrorum Domini dirigitur.

Prædicans baptismum pœnitentiæ.

1° Pœnitentiæ necessitas (1). Baptismus pœnitentiæ, qui a SS. Patribus *laboriosus baptismus* vocatur, omnibus est necessarius : omnes enim peccatores sumus, qui peccata præterita expiare, et futura cavere debemus : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (Luc. XIII, 3). Ergo alterutrum eligendum est : vel baptismus pœnitentiæ in hoc sæculo, vel baptismus gehennæ in futuro...

2° Pœnitentiæ dilatio. Pœnitentia non differenda : *Jam enim securis ad radicem arboris posita est :* i. e. jam instat punitio, et tempus urget : *Adesse festinant tempora* (Deut. XXXII, 35). Arbor excidenda, quia sterilis est : *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur... — Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* (Matth. III, 8) : scilicet, vere detestando peccata, relinquendo occasiones, peccatorum radices, i. e. vitia extirpando, passiones impugnando, atque ita securim ad arborem peccati ponendo : ne Deus arborem peccatoris, i. e. ipsum peccatorem succidat.

3° Pœnitentia christianæ religionis partem quamdam præcipuam constituit, atque essentiale officium. Idcirco enim pœnitentia initium prædicationis est, quia totius christianæ vitæ, omnisque sanctitatis basis existit et fundamentum. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. IV, 17.

(1) Cf. *Adjumenta,* argum. 24.

4° Joannis prædicatio necessitatem quoque et efficacitatem boni exempli ostendit. Nam prædicare pœnitentiam ideo Joannes convenienter poterat, quia erat ipse pœnitentiæ cultor eximius, qui non tantum verbis, sed etiam exemplo victus, vestitus, etc. efficacissimo homines adhortaretur.

Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

1° En præparatio cordis necessaria, ut Christum Dominum ad nos venturum digne excipiamus. Sicut enim adventanti temporali regi via parari solet, eam obtaculis expediendo,— sordibus purgando, — eam dilatando, — ornando ; — ita Christo, venturo Regi, via animarum et ingressio cordium paranda est.

2° Quomodo Christus ad nos venit, et quodnam est bonum adventus ejus? — Rex noster, Christus, venturus est, tum corporaliter in sacra Communione; tum spiritualiter per gratiam sanctificantem, ut in cordis nostri templo habitet : *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. XIV, 23). — Venturus est afferens pacem et dona pretiosissima, — liberaturus nos a captivitate diabolica, — mirabilia in nobis operaturus, nisi obstacula opponamus.

Quod si bonum adventus Domini cognosceremus, illud quam ardentissime concupisceremus. Quicumque ergo tam ingenti bono gaudere exoptat, obstacula tollat, viam cordis aperiat.

Rectas facite semitas ejus.

En justitiæ ac virtutis viæ, per quas in hac vita ambulandum est. Hæ vocantur viæ seu *semitæ Ejus*, i. e. Dei, quia -1) secundum Deum sunt, -2) quia Deum auctorem habent, -3) quia ad Deum ducunt. — Sunt viæ *rectæ* in se, quia non aberrant, neque ad dexteram propter spem temporalem, neque ad sinistram propter metum temporalem. — Sunt viæ quoad nos *rectæ faciendæ*, per labores nostros. Laboriosa enim est via virtutis, via pœnitentiæ, via crucis Christi ; quæ alia non est quam semita recta, per quam justos suos deducit Dominus.

Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, aspera in vias planas.

En modus quo via cordis Domino præparanda est : valles, montes, circuitus et asperitates corrigendæ sunt : i. e. 1° Omnia quæ divinæ legis, divinæque voluntatis regulæ contraria sunt, emendanda ; quæcumque obstacula christianæ vitæ removenda : ut peccati occasio, injustitia nondum reparata, respectus humanus, defectus fidei, defectus orationis, defectus eleemosynæ, etc.

2° In particulari, valles pusillanimitatem significant, seu inanem timorem difficultatum, atque ignaviam in via virtutis ; — montes vero superbiam, circuitus duplicitatem, asperitates, iracundiam denotare possunt.

3° Illud : *Erunt aspera in vias planas*, etiam Christi gratiam, et mandatorum facilitatem quam divina ejus unctio nobis præstat, insinuat.

Et videbit omnis caro salutare Dei.

En fructus bonæ præparationis, in supra dictis commendatæ : visio Dei ac Domini nostri Jesu Christi. Quicumque enim vias Domini paraverit, *videbit salutare Dei.*

1° Videbit Christum Salvatorem, hic in terra et postea in cœlis ; hic in lumine fidei et gratiæ, postea in lumine gloriæ.

2° Videbit vivida fide Christum in stabulo natum, — in Eucharistia absconditum, — in sacramentis operantem, etc.

3° Gustabit et videbit quoniam suavis est Dominus : experietur scilicet, quam facile sit, quamque jucundum, cum auxilio gratiæ, Christi Domini mandata servare...

4° Videbit *salutare Dei*, id est, Jesum corde suscipiet et possidebit, nempe spiritualiter, per gratiam, per fidem, spem et charitatem vividam : quæ charitas vivida differt a languida, sicut ignis sub cinere ab igne flammante discrepat. Porro Jesum non omnes eodem modo suscipiunt aut possident : sed alii, sicut Bethlehemitæ, eum ab hospitio repellentes : hi sunt

mali Christiani; — alii, sicut animalia in stabulo, quæ ei non nocent, imo locum cedunt, sed eum non cognoscunt : hi sunt Christiani in statu gratiæ viventes, at tantummodo peccatum mortale vitantes; — alii, sicut pastores, Dominum ad præsepe adorantes, et mox ad officia status sui, etsi communia, pie revertentes : hi sunt ferventes Christiani; — alii demum, sicut Maria et Joseph, semper Jesum possidentes et secum ferentes : hi sunt Christiani perfecti, qui toto corde, totisque viribus, omnino et non ex parte Deo et Christo Domino vivunt.

IN NATIVITATE DOMINI.

SCHEMA PRÆVIUM

DE MYSTERIO NATIVITATIS DOMINICÆ.

Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Luc. II, 12.

Hodie in oppidulum Bethlehem, in infantulum nascentem, pauperculum, universus orbis oculos intendit... Nullius regis nativitas tantum attulit populo gaudium, neque tantam celebritatem nacta est... Hujusce parvuli Bethlehemitici ortum omnes Sancti contemplando cœlestia gaudia invenerunt : eadem et nos ut inveniamus, idem mysterium contemplemur, considerantes :

I. *Quisnam sit ille parvulus natus in Bethlehem?*
II. *Quomodo nascatur?*
III. *Quare nascatur hoc modo?*
IV. *Quid hæc nativitas requirat a nobis?*

I. *Quisnam est ille parvulus natus in Bethlehem?* — 1° Si levi intuitu et specie tenus eum aspicio, est infans communis, pauperrimus...

2° At si eum aspectu altiore intueor, infantem video totius mundi nobilissimum, excellentissimum... veram margaritam mundi, florem et fructum terræ : *Terra dedit fructum suum.* Ps. LXVI.

3° Est infans antiquitus *promissus* protoparentibus in paradiso : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius* (Gen. III, 15). — Antiquitus *figuratus*,

in Isaac, in Moyse nascente ; — annuntiatus per prophetas : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (Gen. XXII, 18). — *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Isai. VII, 14). — *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis.* Isai. IX, 6.

4° Est infans, quem ipsi angeli notum faciunt. *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (Luc. I, 31, 32). — *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. I, 21). — *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Luc. II, 10.

5° Est *Verbum caro factum*, i. e. secunda persona SS. Trinitatis, Deus Filius, pro nobis incarnatus...

6° Est ille Infans, qui vocatus est *Jesus*, qui crevit ætate et sapientia et gratia apud Deum et homines... qui miraculis, et doctrina, et exemplis Judæam primum, et inde universum mundum illustravit ; — qui mortuus est in cruce, et resurrexit, et ascendit in cœlum ; — qui Ecclesiam fundavit, quam nos videmus, cujus membra sumus ; — qui nobiscum est, quemque oculis fidei videmus et possidemus in Eucharistia ; — quem mox, transacta brevissima vita, in sua specie et revelata facie videbimus in regno suo...

Talis ac tantus est ille Infans, quem cœlum et terra mirantur...

II. *Quomodo nascitur?* — 1° Modo prorsus diverso ab eo quem humana cogitatio finxisset... Quomodo enim Deum ingressurum in terram homines putassent?...

2° Non nascitur in humana magnitudine, opulentia, commoditatibus... — Non ex parentibus magnatibus, non in aula ac magnificentia regali...

3° Sed in paupertate, in humilitate, in dolore ac vitæ asperitatibus...

4° Si respiciamus eventum historicum : appropinquante nativitatis die, Maria et Joseph adeoque ipse divinus Infans nasciturus, obedientes edicto hominis, Augusti Cæsaris,

media hieme, veniunt in Bethlehem, ubi multi morabantur hospites, quibus omnibus locus in diversoriis erat; sanctæ vero Familiæ locus nullus erat. — Repulsæ ergo ab hominibus, personæ sanctissimæ inveniunt apertum stabulum, ubi in noctis silentio et obscuritate et solitudine, dormientibus hominibus, nascitur Infans, princeps ac vita mundi... et pannis involutus reclinatur in præsepio. Interim autem angeli gaudentes nativitatem beatam nuntiant pastoribus...

5° Considerari potest ipse Infans, qualis appareat extrinsecus, et qualis sit intrinsecus...

6° Considerari possunt ea omnia quæ divinum Infantem circumdant, sive personæ, sive res et apparatus, quæ omnia humilitatem etc. spirant.

7° Considerari potest, quomodo differat illud stabulum sacrum a domibus, sive Herodis, sive Bethlehemitarum : ubi peccatores, in rerum omnium abundantia secundum corpus, miseri manent et inopes secundum animam...

8° Considerari potest, quid ego, si transiissem per locum ubi stabulum erat, audiissem ; quidve vidissem, cogitassem!..

9° Considerari potest, quinam ad præsepium veniant, quomodo invitentur, quomodo accedant, quid videant, tum extrinsecus tum intrinsecus ; quid offerant, quid recipiant, quomodo revertantur.

10° Considerari potest, quomodo Maria et Joseph parvulum illum, sibi non incognitum, contemplati, mirati et venerati sint...

III. *Quare nascitur hoc modo ?* — 1° Nonne potuisset Dei Filius aliter in mundum intrare, alio apparatu terram suam, creaturas suas visitare?... Sicut Adamum in statu perfectæ ætatis creaverat, potuisset sane et sibi virile potius quam infantile corpus assumere... Potuisset.... imo juxta humanas cogitationes debuisset cum dignitatis ac majestatis specie, Rex mundi, in suum imperium intrare ;... decebat, imo proderat ad finem Incarnationis, ut ab hominibus agnosceretur Deus, ut doctrina ejus acciperetur, etc... At *cogitationes meæ non cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus.* Isai. LV. 8.

2° Cur ergo talem elegit ingressum? — Ut mundum purificet, eum doceat, eumque ad se per amorem ac fiduciam alliciat...

3° Vide quomodo redarguat et expiet humanam superbiam, — avaritiam, — sensualitatem.... Quomodo profunda humanæ naturæ vulnera sanet... Quomodo statim ad radicem humanæ perversitatis securim ponat...

4° Vide quomodo ab ipsis incunabulis doceat exemplo, quod postmodum docuit verbo : humilitatem,—paupertatem, — mortificationem ; seu honorum, divitiarum, voluptatumque contemptum....

5° Vide quomodo omnia idem doceant : personæ, — verba, — opera... Quæcumque in hoc mysterio occurrunt... docent ac manifesta faciunt elementa, primordia, vera ac necessaria principia vitæ Christianæ : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Joan. X. 10.

6° Christus nascens, docet typice vitæ spiritualis mysteria... Sic in animabus nostris Christus, i. e. Christi Spiritus, ac divina vita quam nobis communicat, gigni ac nasci debet, in humilitate etc. ; sic, ope Beatæ Virginis, involvi pannis operum ; sic reclinari in corde rebus terrenis vacuo ; sic, nutriri, foveri oratione etc...

7° Ita nascitur, ut homines ad se alliciat... Quid infantulo divino amabilius?... Quid ad fiduciam conciliandam aptius?... En quomodo amet me ! en quomodo invitet me !... Non regali splendore nec armorum strepitu terret pauperculos, miseros homines... *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Matth. XI, 28.

8° Ita nascitur, ut qui in infantulo divino visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

IV. *Quid hæc nativitas requirit a nobis?* — 1° Ut gaudeamus : *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.* Luc. II, 10.

2° Ut Dominum Jesum bene ac digne excipiamus : non sicut Bethlehemitæ, qui vel dormiunt, vel e somno excitati Jesum repellunt ; — nec sicut Herodes, qui eum vult occidere... — Sed sicut pastores, — sicut Maria et Joseph...

3° Ut in corde nostro dignum ei præparemus hospitium....

4° Ut adeamus eum, et agnoscamus, et adoremus, et audiamus ; nec non ei munera offeramus : cor nostrum, eleemosynas nostras ei in persona pauperum erogandas...

5° Quomodo nunc, post tot sæcula a nativitate ejus, Jesum adire, excipere, juvare possumus? — R. In fide : *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula* (Hebr. XIII, 8). — Sicut tunc visibilis a multis non videbatur, ita nunc invisibilis a multis cernitur...

6° Nativitas Domini requirit, ut Jesum imitemur, ut huic Infanti similes efficiamur... — Videamus an ejus humilitatem etc. imitemur. O si ego accedo ad hoc humile præsepium cum apparatu superbiæ meæ, quam dissimilem ab ipso me invenio !...

7° Requirit, ut salutem ab hoc Salvatore accipiamus... salutem, inquam, et pacem... quam recipient homines bonæ voluntatis : *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Conclusio. — Transeamus usque Bethlehem, et videamus, et audiamus... nec simus ex iis, de quibus dicitur : *Et sui eum non receperunt.* Sed recipiamus eum ambabus ulnis, totisque animæ et cordis potentiis, ut ad imaginem ejus efficiamur filii Dei : *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Joan. I. 12.

EVANGELIUM TRIPLEX

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

Triplex hodie Evangelium explicandum occurrit : festum enim Nativitatis Dominicæ illud habet singulare, quod illo die triplex missæ sacrificium a singulis sacerdotibus offeratur, quæ res nullo alio die ex hodierna Ecclesiæ disciplina licita est. A tempore enim Alexandri II Pontificis (1073), qui pluries de die celebrandi usum abrogavit, statutum est, ut Domini Nativitatis mysterium, idque solum, triplici missa celebretur. — Ex tribus porro missis, una fit media nocte, in memoriam nativitatis Christi, quæ media noctis hora contigisse traditur; altera ad auroram, et tertia peragitur in die.

Triplex missa, juxta S. Thomam, triplicem significat Domini nativitatem : quarum prima est ejus nativitas æterna, in sinu Patris; altera, nativitas ejus temporalis, ex utero Virginis; tertia, nativitas ejus spiritualis, in fidelium cordibus. — De generatione æterna Filii Dei Isaias dixit : *Generationem ejus quis enarrabit* (LIII, 8)? Scilicet profundum et inenarrabile id mysterium est : quod idem de secunda et tertia nativitate ejus dici potest. — Ut autem aliquatenus hæc mysteria capiamus, hodierna evangelia bene considerata egregie conferunt : quorum primum ad Nativitatem in stabulo, alterum ad Nativitatem in nostris cordibus, et tertium ad Nativitatem æternam peculiarius refertur.

Evangelium primum : DE NOCTE.

Luc. II, 1-14. In diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino. Et ibant

omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum; et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos : et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : invenietis infantem, pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

—

Explicatio prima.

I. *Adventus Mariæ in Bethlehem.*
II. *Christi nativitas.*
III. *Nativitatis annuntiatio.*

Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis.

Anno circiter quadragesimo imperii Cæsaris Augusti, cujus ditioni Judæa totaque Syria tunc suberat, edicto statutum est, ut universus orbis, i. e. imperium Romanum, quod totum fere orbem tunc cognitum comprehendebat, describe-

retur. Quod ideo factum est, ut cognito subditorum numero, uniformis tributorum ratio constitui posset ; et fortassis etiam, quæ Lucæ Brug. et Jansenii Gandav. sententia est, ut a singulis perciperetur tributum, quod ærario bellis exhausto inferretur (1). — Tempus autem quo recensio fieret tunc electum est, quia imperio in pace composito, tempus erat opportunum.

Hujus recensionis veritatem multa quoque historiæ profanæ documenta testantur ; et initio sæculi tertii, exstabant Romæ publici descriptionis codices, in quibus nomina Joseph, Mariæ et Jesu inter Bethlehemitas reperiebantur (2). Id enim Tertullianus sæculo tertio scribens, non obscure testatur his verbis : *Censum Augusti, testem fidelissimum Dominicæ nativitatis, romana archiva custodiunt.*

Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino.

Decretum Augusti in Syria exsecutioni mandatum est per præsidem Cyrinum ; fuitque hæc recensio prima. Quam explicationem Evangelista subjungit, -1) ut fides adhibeatur historiæ ; -2) ut hæc recensio distinguatur ab altera, quæ duodecim circiter annis post peracta est ; -3) ut peculiaris providentia Dei indicetur, cum præcise illo tempore, quo Christus nasciturus esset, nec antea, descriptio facta sit.

Ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam, in civitatem David quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo et familia David.

Sensus est : Omnes decreto obediebant, et proficiscebantur, ut statuto die sese ministris imperii sisterent, tanquam Cæsaris subditos, nomenque suum hac de causa darent, et forte etiam censum persolverent.— *Singuli in suam civitatem :* i. e. in eam civitatem se conferebant, ex qua cujusque familia

(1) Hoc tamen tributum, juxta alios auctores, in secunda tantum recensione impositum est.

(2) Sepp, *Vita J. C.* part. I, cap. 4.

erat oriunda; ut descriptio juxta morem et partitionem populi judaici facilius fieret. Judæi enim, non solum erant divisi in tribus, sed insuper subdivisi in familias, quæ peculiarem regionis partem et propriam civitatem habebant. Sic in tribu Juda, inter alias familias, distinguebatur *familia* seu *domus David*, cujus propria civitas atque sedes erat Bethlehem, unde David erat oriundus. Ideo dicitur Joseph venisse Bethlehem *in civitatem David, eo quod esset de domo et familia David.* — Quæ omnia Evangelista indicat, ut rationem reddat cur Maria venerit in Bethlehem, ubi Christus nasceretur.

Ut profiteretur cum Maria, desponsata sibi uxore prægnante.

Maria dicitur *uxor Joseph desponsata*, quia etsi vera uxor erat, eam tamen Joseph velut meram sponsam habebat. — Venit Joseph, non solus, sed cum Maria, quia lex imperialis omnes subditos, viros et mulieres obligabat. Non tamen fuisse legis rigorem tantum censere licet, ut Maria nono mense gravida, non potuerit manere domi, et per Joseph legi satisfacere; id vero Dei Genitrix noluit: -1) ne a sponso separaretur, quem virginei sui partus testem habere volebat. -2) Quia divina prole sua nequaquam gravabatur; nam sicut absque dolore peperit, ita sine molestia prægnans, itinere quatuor dierum in Bethlehem venire potuit. -3) Quia divino instinctui obediebat.

Factum est quum essent ibi...

Peculiari scilicet providentia contigit, ut venerit Maria in Bethlehem, ubi juxta prophetarum oracula Christus esset nasciturus; neque manserit in Nazareth, ubi secundum naturalem rerum cursum remanere et parere debuisset. — Dixi *peculiari providentia :* nam Deus, qui res humanas ad sua consilia dirigit, volebat ut ex publica descriptione toti orbi constaret, Christum, recens natum in Bethlehem, prognatum esse ex tribu Juda et stirpe Davidis, ipsumque esse Messiam quem prophetæ prædixerant. Quanquam effectum illum nequaquam intendebat, imo vaticinia nesciebat Augustus, ejus-

que præses, seu delegatus gubernator Cyrinus : homines enim isti ob fines mere politicos agebant.

Quum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

Quum primum advenissent Maria et Joseph, et probabiliter antequam censores adire possent, venerabiles peregrini instante nocte locum quæsierunt, ubi et pernoctare, et Maria parere posset. Quare adierunt diversorium, quod in parvo oppido forte unicum existebat. At ibi locus non fuit : *Non erat eis locus in diversorio :* -1) quia magnus erat concursus advenarum ; -2) quia Maria et Joseph, utpote pauperes, divitibus postponebantur. — A diversorio repulsi, ut dignum nascituræ proli tectum invenirent, alias frustra adiisse domos censendi sunt ; donec dolentes, sed Dei consilia adorantes, devenerint ad locum divina Providentia in suburbio paratum. Erat, ut videtur, spelunca in ima rupe patens, ad cujus ingressum agreste tectum adhærebat, quaque vicini pastores tanquam stabulo utebantur. Imo credibile est, sanctos hospites cum advenirent, ibidem animalia invenisse ; quod et antiquis traditionibus et Ecclesiæ cantibus consentaneum est : *O Magnum mysterium et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in præsepio. — In medio duorum animalium jacebat in præsepio et fulgebat in cælo* (In Nativ. et Circumc.). Ad illa quoque animalia, S. Hieronymus, aliique Patres, imo ipsa Ecclesia accommodat hæc Isaiæ verba : *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit.* Isai. I, 3.

Et peperit filium suum primogenitum.

Illuc, sponso suo duce, ingressa Virgo, peperit *primogenitum*, i. e. filium, ante quem non alium genuerat. Nomen enim primogeniti, Hebræorum more, respectum habet ad præteritum, nullatenus ad futurum.—Peperit autem Dei Genitrix sine dolore : quo spectat, ut S. Thomas ait (1), illud Isaiæ : *Quasi lilium germinans germinabit lætabunda* (Isai. XXXV, 1, 2).

(1) Part. 3, q. 35. art. 6.

Nullus scilicet dolor fuit, sicut nulla virginitatis corruptio.

Cum ergo esset partus dolore immunis Virgo Mater, ipsamet suis manibus divinum infantem involvere pannis, eique officia omnia præstare potuit quibus indigeret.

Hora autem tantopere a cœlo et a terra exspectata, fuit, ut videtur, hora media noctis, cum inciperet dies vigesima quinta Decembris (1), quæ probabiliter erat dies Dominica. *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens Sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit* (Dom. infra oct. Nativ.).

Qua extasi pietatis et gaudii, tum Maria, tum Joseph divinam prolem sint venerati et contemplati, Evangelium non explicat; sed tantum addit :

Et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.

Pannos, i. e. fascias lineas, pauperes quidem, sed honeste paratas, provida Mater attulerat; hisque divinam prolem suis manibus involutam reclinavit in *præsepio*, ex quo animalia cibum capere solebant, et ubi aliquid fœni reliquum fuisse traditum est, quod potuerit in lectulum accommodari; quare Ecclesia cantat : *Fœno jacere pertulit, præsepe non abhorruit.* — Sic itaque Rex mundi natus est. At ubi præcones, qui grande factum annuntient? ubi testes et adoratores? quibusnam hominibus tanta notitia primum dabitur?

Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

En Christi nativitas annuntiata pastoribus. — Erant, ut Hieronymus tradit, pastores prope turrim *Ader*, i. e. *gregis*, qui est juxta Bethlehem locus pascuus, ubi olim Jacob

(2) Sublimi quodam modo Natalis Domini in Martyrologio Romano, sub die vigesima quinta Decembris sic annuntiatur : *Octavo Kalendas Januarii, anno... ab urbe Roma condita septingentesimo quinquagesimo secundo; imperii Octaviani Augusti, quadragesimo secundo, toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate, Jesus Christus, æternus Deus, æternique Patris Fi-*

tabernaculum suum tetendit et pecora sua pavit. — *Custodientes vigilias noctis*, i. e. quatuor noctis vigilias ordine suo agentes, et forte etiam de exspectato Messia colloquentes. — Quot fuerint pastores incertum est : eos fuisse tres, sicut Magos tres venisse perhibetur, S. Bernardus auctor est.

Conveniebat ut nascenti Regi testes advocarentur : quapropter vocantur illi pastores, viri in propinquo versantes, et facile credituri. — Noluit autem Providentia Christum natum innotescere omnibus, sed tantum paucis, -1) ne redemptio humani generis impediretur; -2) ne fidei meritum minueretur; -3) ne humanitatis Christi veritas in dubium revocaretur. S. Thom., p. 3, q. 36, art. 1.

Ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos : et timuerunt timore magno.

Angelus de cœlo visibiliter superveniens, prope pastores sublimis stetit, aspectu suavis et jucundus. — *Claritas Dei*, i. e. divinus quidam splendor effulsit, ut pateret angelum lucis esse, ministrum Ejus, qui amictus est lumine sicut vestimento.

Timuerunt, — sacro scilicet horrore ac reverentia correpti sunt, tum propter visionis et splendoris novitatem, tum ob viri cœlestis majestatem; mox vero ab angelo pacis benevola voce confirmantur.

Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

Ne timeatis, pastores Deo charissimi : lætum enim vobis nuntium affero. — Tres rationes seu causas angelus adducit, cur timere non debeant : 1° quia annuntiat *gaudium*, i. e. lætum nuntium; 2° *quod erit omni populo*, i. e. quia gaudium istud publicum erit, et omnes lætificabit. Nomine *populi* Judaicus populus hic imprimis significatur. 3° Quia illud

lius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria Virgine factus Homo. — Nativitas Domini Nostri Jesu Christi secundum carnem.

annuntiat *vobis* (pastoribus) : i. e. quia non aliis, sed peculiari favore ipsis tantum nuntiatur.

Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

Natus est Salvator,—i. e. ille, qui Salvatoris nomine a prophetis promissus est : *Dicite filiæ Sion : Ecce Salvator tuus venit* (Isai. LXII, 11).—Qui est *Christus Dominus*, quo nomine Salvatorem esse *Deum* significatur. — *In civitate David :* sic angelus designat Bethlehem, ut describat Messiam, filium David.

Et hoc vobis signum : invenietis infantem, pannis involutum, et positum in præsepio.

Et hoc vobis signum. — Angelus non dicit : *Ite, adorate,* quod superfluum foret : annuntiatio enim ipsa est virtualis invitatio ; quare tantum indicat, quomodo pastores Christum adire possint. *Signum* eis dat diagnosticum, ut et veritatem suorum verborum confirmet, et simul Salvatorem ita notum faciat ut ab alio quocumque infante distinguatur. Signum autem datum, est signum propheticum, in hoc consistens, ut ubi advenerint pastores, infantem non inveniant in matris sinu, etc., sed in præsepio jacentem, nec in alio statu quam involutum pannis.—Credibile est angelum, cum diceret *in præsepio,* eis locum designasse et quodammodo digito demonstrasse.

Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum...

Militia cœlestis, seu cœlestes milites dicuntur angeli, tum quia maxime numerosi, tum quia vere Dei sunt milites, seu, quia sicut milites duci, ita Deo obediunt. — *Facta est multitudo angelorum*, qui prius quidem aderant, sed nunc fiunt subito visibiles, atque audiri incipiunt; ipsi quasi acclamantes nuntio quod prior angelus edidit, illud, laudando Deum, confirmant. — Angelorum porro Deum laudantium

vocem et cantum non minus fuisse auribus melodum existimandum est, quam claritas erat fulgida oculis.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Angelici hymni duæ sunt partes : una de Deo, altera de hominibus agens. — 1° *Gloria Deo*, i. e. laus Deo reddatur ; vel : gloria jam est in cœlis parta Deo, atque materia æterna glorificandi Deum, propter Christum natum.

2° *Pax hominibus*, i. e. jam hominibus pax existit, scilicet pax per Christum conciliata cum Deo.—Pax hominibus *bonæ voluntatis*. i. e. hominibus qui sunt objectum bonæ voluntatis, amoris ac misericordiæ Dei ; vel : quibus inest bona voluntas, cum divina nempe voluntate conformis, quam Deus per gratiam suam in cordibus producit.

—

Explicatio secunda.

Exiit edictum a Cæsare Augusto.

1° Edicto Augusti manifestatur divina providentia. Nam dum terrenus princeps imperium suum exercet, Deus de cœlo actum principis ad consilia sua divina, i. e. ad Christi nativitatem disponit et ordinat.

2° Augustus imperator rudi velut imagine Christum adumbrat. Quatenus enim pace composita universum orbem describit, umbra est Principis pacis, qui juxta Danielis prophetiam, imperium æternum super ruinas imperii Romani constituet. Ipse quoque Christus descriptionem facit universalem, ut omnes homines inscribantur in libro vitæ, i. e. in censu Ecclesiæ per Baptismum, et in albo Sanctorum per gloriam æternam.

3° Obedientia Augusto præstita, docet obedientiam præstandam Deo et Domino Jesu Christo. Nam si homines obediunt Augusto, multo magis obediendum Christo, eique nomen dandum est, quippe qui rex major, melior Augusto...

Quanta enim inter utrumque regem differentia!... — At multi dant nomen principi hujus mundi, i. e. serviunt mundo, imo diabolo, potius quam Christo... Quid ego faciam?

Ascendit autem Joseph cum Maria in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem.

1° Nativitatis oppidum humilitatem et bonitatem Salvatoris demonstrat. Etenim quare in Bethlehem Christus nasci voluit? —1) Quia oppidum exiguum, humile, ideoque gratissimum illi, qui nos docere volebat humiliorem locum eligere. Etiam per hoc, inquit S. Thomas (P. 3, q. 36, art. 7), hominum gloriam confutavit, qui gloriantur de hoc, quod ex civitatibus nobilibus originem ducunt, in quibus etiam præcipue volunt honorari. Christus autem e converso, in civitate ignobili nasci voluit, et in civitate nobili pati opprobrium.

-2) Ob mystérium nominis : *Bethlehem* enim, i. e. *domus panis*, eum recipere debebat nascentem, qui est panis vivus de cœlo descendens.... Domum panis adeamus quicumque vere cupimus satiari, et recedamus a domo famis et mortis... — Domus panis est S. Ecclesia catholica.... — Domus panis quoque est quodvis templum Domini, aut domus religiosa, et quicumque locus sacer, ubi exhortatio, etc. tanquam animæ cibus accipitur. — Domui panis opponuntur multæ domus mortis : theatra, pravæ scholæ, pravæ bibliothecæ etc. ubi scandala, venena animæ reperiuntur.

2° Bethlehem beatitudinem ostendit animarum Christum possidentium, si tamen bonum suum intelligant. Quam beatum enim oppidum Bethlehem!... At ejus incolæ non omnes sunt beati, cum thesaurum quem possident ignorent, vel etiam repellant.

Et peperit filium suum.

Sanctissimo Mariæ partu impletur vaticinium Isaiæ : *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.*— 1° Natus ille celeberrimus parvulus quis est... (1)? Quis, si consideretur extrinse-

(1) Cf. Supra, schema prævium. — Item *Adjumenta*, argum. 41, schema 2 et 3.

cus?... infirma, contemptibilia omnia præ se fert... Quis, si spectetur intrinsecus, et oculo fidei?... quantam magnitudinem, quantam opulentiam continet!...

2° Quare Salvator nasci voluit et fieri infans, cum mundum intrare, sicut primus Adam, in statu viri perfecti potuisset? -1) ut fiduciam omnibus addat, omnesque ad se suavissime alliciat. -2) Ut doceat nos fieri debere spiritualiter parvulos, per humilitatem, docilitatem, etc., et inde crescere in ætatem perfectam. -3) Ut nobis imaginem exhibeat nativitatis spiritualis qua renasci debemus in hominem novum, exuto homine vetere.

3° Quotuplex Christi nativitas distinguitur? — Triplex : -1) æterna, secundum divinitatem; -2) temporalis, secundum humanitatem seu secundum carnem; -3) nativitas qua nascitur singulis diebus secundum spiritum, nempe in templis suis : in templo lapideo, ubi nascitur super altare Eucharisticum; in templo cordis nostri, ubi nascitur in gratia, et in fide, spe, ac charitate quæ cum gratia connexæ sunt.

Pannis eum involvit.

Quare Dominus pannis involvi voluit? — 1° Pannis pauperibus, non purpura, non serico Dominus involvi voluit, ut nos contemnere doceat mollitiem et divitias.

2° Involvi voluit immaculatis manibus B. M. Virginis, ut doceat corpus suum puris manibus esse tractandum, in Eucharistia, etc.

3° Ut Virgini Matri suæ magnum favorem præstaret, nimirum pannis involvendi membra Filii Dei; at nos similiter eum pannis involvere possumus, quoties nimirum pauperes vestimus, altaria ornamus, parvulos docemus, etc.

4° Ut varia nos mysteria doceret : nam Deus pannis involutus, est figurative -1) thesaurus noster absconditus, 2) humanitas Domini speciebus Eucharisticis velata, -3) gemma divinæ charitatis ac sapientiæ, in humilitate latens, etc.

Reclinavit in præsepio.

1° Vile præsepium in stabulo, en incunabula Filii Dei, humillima, pauperrima, incommoda. En novum humilitatis documentum.

2° Præsepium docet nos spiritualem fruitionem Christi. Nam in præsepio, ex quo jumenta manducare consueverant, pro cibo animalium, ponitur panis de cœlo, cibus filiorum Dei.... Recedant ergo animalia, accedant filii Dei cum Maria et Joseph, et pascantur contemplando, amando, imitando....

Non erat eis locus in diversorio.

Quid docet diversorium a quo Christus repellitur? — 1° Diversorium in quo diversantur hospites et advenæ, est mundus iste, ubi rebus omnibus alienis locus datur; sed Christo, licet jure petenti, locus non est.

2° Diversorium est cor hominis, ad cujus ostium Christus pulsat...

3° Miseri et cæci Bethlehemitæ, qui sanctissimos hospites repellunt; felices hi, qui repulsam accipiunt humiliter, patienter, sine querela....

4° Non est locus *eis* in diversorio, i. e. in corde mundanis desideriis, etc. repleto; sed locus est in paupere stabulo, i. e. in corde a mundi pompa et a mundanis affectibus, qui oculos Domini offenderent, vacuo.

Pastores.

Quare Dominus, testes nativitatis suæ requirens, non eligit Pharisæos et Judæorum principes, sed pastores? — R. 1) Quia pastores homines simplices et ad fidem dispositi, — vigilantes et officio sui status, non verò vanitatibus etc. operam dantes inveniuntur. -2) Quia ille qui nascitur, supremus pastor est, utque talis appareat, pastores ad se vocat. -3) Quia pastores ovium typum gerunt pastorum Ecclesiæ, qui primi ad Christum accedere, et inde reliquos homines ad Christum adducere debent (1).

(1) Cf. S. Thom., p. 3, q. 36, art. 3.

Et ecce angelus Domini.

Quid docet nos persona angeli? — 1° Angelus est cœlestis nuntius, hominibus afferens lumen, necnon omne bonum ac verum gaudium.

2° Hujusmodi angelus est quicumque divinitus ad nos mittitur : qualis est imprimis ipse Christus Dominus, magni consilii Angelus ; deinde quivis sacerdos Ecclesiæ, qui *angelus Domini exercituum est* (Malach. II, 7) ; necnon superiores legitimi, parentes etc.

3° Angeli lucis officium implet, quicumque verbo vel exemplo proximum docet, atque ad virtutem hortatur, aut pauperes beneficentia lætificat.... — Angeli tenebrarum sunt, qui subditos vel proximos quoscumque a fide vel virtute avertunt : mali parentes, pravi socii, libri....

Nolite timere.

1° En indoles divinæ visitationis ac boni spiritus. Ad animas enim rectas angeli pacis non veniunt ut terreant, sed ut solentur.

2° *Nolite timere*, ex pusillanimitate. Sæpe terremur ubi Evangelii veritas affulget, quia difficultates, carnisque molestias formidamus ; sed cœlitus dicitur nobis : *Nolite timere :* natus est enim Salvator, qui per gratiam suam difficultates omnes levabit.

3° *Nolite timere*, ob respectum humanum, etc. ; *ostendam autem vobis quem timeatis...* (Luc. XII, 5).

4° *Nolite timere*, vos, servi Dei ; terreantur mali, qui noctes transigunt in crapula, qui peccatum mortale in corde portant... hi terreantur, etsi mundus fallacibus verbis eos studeat confirmare.

Evangelizo vobis gaudium magnum.

En *gaudium* quod in Christo solo invenitur. — 1° Gaudium annuntiat cœlestis nuntius : ergo merito gaudere possumus, sed in Domino : *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* (Phil. IV, 4). Mundanum gaudium, quod non in Domino

quæritur, sed in peccato, etc., falsum est : *Extrema gaudii luctus occupat.* Prov. XIV, 13.

2° Gaudium *magnum*, pro vita præsenti, in divino servitio et conscientia pura ; et pro futura vita, in gloria cœlesti.

3° *Quod erit omni populo*, i. e. omnibus, quantumvis miseris secundum corpus et animam : *Venite ad me omnes...* Matth. XI, 28.

Quia natus est vobis hodie Salvator.

His verbis causa omnis gaudii ac lætitiæ explicatur. 1° Causa gaudii est Salvator, causa certa, causa unica...

2° *Salvator*, qui salvat ac liberat a malis omnibus, præteritis, præsentibus et futuris ; bonisque omnibus locupletat...

3° Salvator, qui -1) venit de summo cœlo, ut nobis animæ salutem afferret. Quid est ergo animæ salus ?... Quantum motivum salutem nostram operandi !... -1) Venit nos adjuvare exemplo suo et gratia. Quam efficaciter tale exemplum nos excitare debet !

4° Natus est *vobis*, i. e. præsertim vobis fidelibus, vobis pauperibus, vobis humilibus : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

5° *Hodie*, i. e. omni die, singulis diebus nos vocat : hodie nos invitat, hodie respondeamus ; cras est dies incerta.

6° *Hodie*, i. e. in hac vita, Salvator adest ; *cras*, i. e. post mortem, erit judex.

Et hoc vobis signum : invenietis infantem, pannis involutum, et positum in præsepio.

En signum et insignia Christi Domini.—1° Signum Regis humilium non est humana magnificentia, sed omnimoda exinanitio.

2 Signum Christi sunt infantia, panni, præsepium : i. e. humilitas, contemptus divitiarum, et benefica charitas ; — e contra, signum tyranni hujus mundi superbia est, divitiarum cupiditas, suimetipsius ac proprii commodi amor.

Gloria in altissimis Deo; et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

En exaltatio humilitatis, et bona a Christo humili Salvatore promanantia in homines bonæ voluntatis.

1° Dum Jesus sese humiliat celebratur ab angelis : quia Deus humiles exaltat.

2° Per ipsum *gloria Deo* contingit, quæ quidem ex ejus humilitate, obedientia, etc. oritur; ut intelligamus, quo magis homo humiliatur, etc., eo magis Deum glorificari.

3° Per ipsum hominibus *pax*, i. e. cessatio belli et discordiarum : pax cum Deo, cum proximo, cum semetipso, ob edomitas passiones. — *Pax*, i. e. conscientia tranquilla, qualis esse debet hominibus bonæ voluntatis, quamvis eos inimicus perturbare moliatur. — *Pax*, i. e. omne bonum, quo cordis desideria vere replentur : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ps. CII.

4° *Hominibus bonæ voluntatis*, cujusmodi sunt qui Christo obedire volunt, ejusque mandata servare, suam voluntatem cum divina voluntate conformare, et quibus hæc perpetua cordis aspiratio est : *Pater... fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra !*

IN NATIVITATE DOMINI.

Evangelium secundum : AD AURORAM.

Luc. II, 15-20. Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes : et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt : et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

—

Explicatio prima.

I. *Pastores eunt in Bethlehem.*
II. *Salvatorem inveniunt,*
III. *Revertuntur.*

—

Pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem...

Postquam cœlestis concentus reticuit, et mirabilis angelorum visio atque aërea claritas evanuit, pii homines e mentis excessu ad se reversi, se invicem aspicientes, et deinde loqui incipientes : Quid, inquiunt, audivimus ! Quid vidimus ! O beatos nos, quibus primis talia nuntiantur ! *Transeamus usque Bethlehem...* Statim scilicet pastores ad divinum monitum dociles, de visendo Christo deliberant.

Et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

Videamus hoc verbum, id est, videamus rem totam quæ nobis indicatur a Deo. 1° Sensus est quasi dicerent : Ne Deo ingrati simus, quandoquidem tantum in nos ille contulit beneficium, ut natum nobis Salvatorem per angelos ostenderet. Transeamus ergo, festinemus, sequamur quo vocat, Deum. — Sic etiam apud se dicere oportet eos, qui a Deo ad meliora vocantur.

2° Non dicunt : quod angelus ostendit ; sed : *Quod Dominus ostendit nobis*, quia in voce angeli vocem Dei agnoscunt.

Et venerunt festinantes.

Ardens desiderium aspiciendi tandem illum, qui erat expectatio gentium, et cupido videndi quomodo intraret in mundum, qui veniebat regnare in mundum, eorum gressus excitant.

Et venerunt festinantes et invenerunt.

1° Duo his verbis Evangelista indicat : pastorum diligentiam, cum festinantes venisse dicit; et eorum quæ ab angelo dicta fuêre veritatem, cum dicit eos invenisse puerum positum in præsepio, sicut angelus significaverat.

2° Notaverunt Origenes, Ambrosius et Beda, quod litterale simul et morale est, ideo pastores invenisse Christum, quia festinantes venerunt.

Et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

Circa auroram, ut non improbabiliter existimatur, pervenerunt ad stabulum, et reverentia sanctoque timore pleni, lento pede, ore silente, corde palpitante ingrediuntur speluncam, et vident primum *Mariam et Joseph*, deinde *infantem in præsepio*. — Quomodo fuerint a sanctis Domini parentibus excepti, quomodo adoraverint Salvatorem, quomodo Mariæ narraverint visionem angelicam etc.; Evangelista implicite

tantum includit sequentibus verbis; cum magis intendat Messiæ veritatem demonstrare, quam pastorum ostendere pietatem.

Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

Sensus est : Reipsa compererunt vera fuisse, quæ sibi angelus dixisset : scilicet, non solum natum esse talem puerum qualem angelus descripserat, sed etiam eumdem esse Salvatorem Christum Dominum.

Et omnes qui audierunt, mirati sunt : et de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos.

Qui scilicet audierunt pastores, postquam, ut infra dicitur, reversi sunt, glorificantes Deum, et narrantes procul dubio quæcumque mirabilia, jucunda, pulchra et amabilia viderunt et audierunt. — Pastores enim, quod facile, etsi non diceret Evangelista, intelligi potuit, non tacuerunt; sed mirabilia hujus noctis, apparitionem ac verba angelorum, et spectaculum præsepii inter suos evulgarunt, ita ut omnium admirationem excitarent. — Sed, inquit Lucas Brug., admirati tantum leguntur auditores novitatem rei, non etiam visisse et inquisivisse; quod si fecerint aliqui (quod non est absimile vero), at conspecta pueruli, loco adeo vili nati, paupertate, fidem omnem auditis, et illi, et secundum illos alii mox abrogarunt.

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

Maria scilicet conservabat omnia verba pastorum; vel potius, omnes res, tum quæ a pastoribus de Christo narrabantur, tum quas ipsa Virgo in tota Christi nativitate accidisse animadvertit. Observabat illa omnia, non quasi Filii sui ignara mysterii; sed quasi læta novis signis pastorumque testimoniis confirmari, quæ ipsa prius ex Gabriele didicisset. Hoc enim est quod Evangelista dicit : *Conferens in corde suo :* i. e. mente

sua sequentia cum præcedentibus comparans, et omnia ad ejusdem mysterii confirmationem et fidem concurrere animadvertens. Quin etiam, cum sacras Scripturas legisset et prophetias sciret, conferebat quæ legerat, et comparabat his quæ audiebat et videbat. — Quod dicitur *in corde suo,* indicat Mariam apud se omnia servasse, nec declarasse pastoribus magnifica illa quæ ipsamet ex angelo intellexerat, etc. : singulari sane humilitatis atque modestiæ virginalis exemplo, ut notat Ambrosius.

Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

Videri poterat non magnopere necessarium, ut Evangelista diceret pastores ad suum gregem rediisse; sed propterea dixit, ut ostenderet omnia fuisse completa quemadmodum illis ab angelo fuerant nuntiata; et ut ex eorum gaudio ac veluti testimonio declararet, vera fuisse omnia, quæ cœlitus audiverant, quando tam læti, quasi compotes voti, rediissent. Hoc est quod dicit : *Glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos:* i. e. celebrantes laudem et gloriam Dei, de omnibus quæ audierant ab angelis, et ipsi suis oculis viderant consentanea auditis.

—

Explicatio secunda.

Pastores loquebantur ad invicem.

Magna nobis virtutum exempla pastores exhibent. 1° Angeli monitio illis irrita non fuit, qui statim de visendo Christo deliberant, ejusque præsepium adire constituunt. En bonum propositum, quod nos facere et frequenter renovare debemus. Omnes inspirationes bonæ totidem angeli sunt, qui nobis Christum Salvatorem nostrum nuntiant : quibus auditis cunctandum non est; sed propositum firmum conci-

piendum, illudque prompte exsecutioni mandandum, ne injecta in animam sancta desideria refrigescant.—Statim quærendus Christus, qui non nisi in Bethlehem, i. e. in Ecclesia catholica; et in præsepi, i. e. in summa paupertate, in summa humilitate invenitur.

2° Pastores obedientes divino monito, adeuntes Jesum diligenter, et inde reversi laudes Dei spargentes, exemplum præbent veræ pietatis.

3° Loquebantur : non ad disputandum, aut dubia movenda de miro illo nuntio; animi enim recti et simplices verbo Dei acquiescunt, simul ac sufficienter constat Deum locutum esse: *Quod Dominus* (non *angelus*) *ostendit nobis.*

Transeamus usque Bethlehem, et videamus.

1° En colloquium bonum, cujusmodi præcipue illud est quod proximos ædificat, i. e. quod ad Bethlehem et ad Jesum inducit;—colloquium vero vanum vel pravum longe alio tendit... Transeamus usque ad domum gaudii, et videamus spectacula theatralia etc., en vox mundana...

2° *Transeamus :* en exhortatio fraterna, quæ plurimum juvat, et invenitur in piis sodalitatibus, quarum membra se invicem contra scandala et humanum respectum tuentur : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Prov. XVIII, 19.

3° *Transeamus et videamus :* en illuminatio spiritualis, quæ apud Christum invenitur. Quicumque transit in Bethlehem, i. e. ad templum, ad mensam Eucharisticam, ad bonam lectionem, ad Jesum quomodocumque accedit, ille videbit, et illuminata mente magnificentiam ac thesauros fidei spectabit : *Accedite ad eum et illuminamini* (Ps. XXXIII). Qui eo non *transeunt*, quique a mundi vanitate relicta, ad locum sacrum non accedunt, illi non vident...

Quod Dominus ostendit nobis.

1° En motivum fidei nostræ ac fundamentum firmissimum: quod *Dominus*, non angelus vel homo, sed ipse infallibilis Deus ostendit ac locutus est nobis...

2° Quod jam firma fide tenemus, quia a Deo revelatum est et per Ecclesiam tanquam per angelicum præconium nobis proponitur; illud per sacras conciones, etc., fide vividiore, quasi clara luce spectare incipimus.

3° Quanta consolatio tenere veritatem, et viam sequi quam *Dominus ostendit nobis! — Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis* (Baruch. IV, 4).

Venerunt festinantes et invenerunt.

Exemplum diligentiæ in divino obsequio. — 1° *Venerunt*, nec, sicut invitati ad nuptias (Matth. XXII), varios ob prætextus venire noluerunt; sed relinquentes gregem etc., et ab omnibus sese expedientes, quo vocabantur a Domino se contulerunt.

2° *Festinantes*, non moras nectentes, nec differentes usque mane : quo docemur, ea quæ Deus a nobis postulat non esse procrastinanda. *Qui cito dat, bis dat*, commune effatum est; et, ut Ambrosius ait : *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* — Porro, festinandum est primo mane, cum causa tarditatis frequentissima sit quod somno indulgeatur. — Festinandum, -1) quia decet ut Deo cum promptitudine serviatur;-2) quia tempus breve est;-3) quia tendimus ad summum bonum : *Festinemus ergo ingredi in illam requiem* (Hebr. IV, 11). Proh dolor! tam veloces sumus ad mundana, tam tardi ad divina...

3° *Et invenerunt :* en diligentiæ merces : qui promptitudine usi, nec viæ difficultates, nec frigus aut tenebras timuerunt, ideo inveniunt thesaurum animæ suæ. — Sunt qui non inveniant; quia scilicet non diligenter quærunt... — Peccatores, alia via gradientes, etiam inveniunt, non tamen thesaurum, neque id quod cupiunt...

Invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio.

1° O quale, quamque cœleste spectaculum! Vere, oculis fidei, cœlum aperitur, et stabulum istud aula cœlestis efficitur...

2° Invenerunt Jesum, thesaurum mundi, margaritam vivificam, in humilitate latentem.

3° Invenerunt Jesum, at non sine Maria et Joseph, per quos Jesum recipere debemus. Maria præsertim mediatrix est, per quam thesaurum hunc certissime obtinebimus : *Qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino.* Prov. VIII, 35.

Videntes cognoverunt.

En cognitio rerum divinarum quæ credentibus datur. 1° Nonne timendum fuit ne pastores, videntes spectaculum humillimæ abjectionis, fidem abjicerent, dicentes : istene pauperculus infans Rex Israel est, et Salvator potens promissus?... At qui in Bethlehem veniunt, nequaquam fidem amittunt; sed ejus mysteria melius cognoscendo fide confirmantur.

2° Cognoverunt, non tantum hunc esse puerum ab angelo designatum, sed etiam eum esse talem, qualem prædicavit angelus, nempe Christum Dominum, Filium Dei...

3° Ergo aliud viderunt exterius, aliud interius...

4° Viderunt et cognoverunt, respiciendo stabulum, præsepe, animalia, infantem, mirabilem illam Matrem et sanctum Joseph, in extasi suum puerum contemplantes... hæc, inquam, aspiciendo pastores magna mysteria cognoverunt.

5° Cognoverunt in pannis istis involutum esse omne bonum...

6° *Cognoverunt*, ergo et adoraverunt, et amarunt, et sua obsequia, dona, etc. obtulerunt; nam Jesum prope spectare, et hæc omnia non facere possibile non est. *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Ps. XLV.

Omnes qui audierunt mirati sunt.

Cavendum est ab admiratione sterili. Cum enim hominum admiratio ab Evangelista perhibetur, non additur, eos qui mirati sunt ad præsepe accessisse : quod si admiratio manserit sterilis, quid proderit eis ad salutem? — Neque nos, audientes et contemplantes mysterium Bethlehemiticum, steriles

maneamus; sed fructus imitationis producamus : imitemur pastores, imitemur Mariam et Joseph, imitemur Jesum...

Quæ dicta erant a pastoribus.

1° Fides principium boni sermonis. Nam ideo pastores locuti sunt, quia crediderunt : *Credidi, propter quod locutus sum* (Ps. CXV) ; et *ex abundantia cordis os loquitur*. Matth. XII, 34.

2° Pastores locuti sunt de Jesu deque rebus cœlestibus, præfigurantes Pastores Ecclesiæ, per quos usque ad finem mundi, Nomen Jesu prædicandum, ejusque doctrina explicanda est.

Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

En exemplum boni usus divinæ gratiæ, nec non meditationis operum et beneficiorum Dei.

1° Quod dicitur *verba hæc*, i. e. mysteria et mirabilia Jesu ; — alia vero et quæcumque vana, mundana, peccaminosa e sanctuario cordis excludebat.

2° Quod dicitur *omnia*, i. e. sive grata, sive ingrata contingerent, eadem colligebat reverentia, tanquam verba et beneplacita Dei.

3° *Conservabat*, i. e. veluti thesaurum memoria retinebat, et abscondebat humiliter, nemini res sibi tam honorificas manifestando. Exspectabat scilicet tempus congruum quo Deus hæc manifestari vellet; nec nisi post multos annos, volente Deo, huic Evangelistæ manifestavit.

4° *Conferens in corde suo :* i. e. meditans, atque hujusmodi meditationis pabulo animam nutriens. O quantum luminis et roboris ex illis meditationibus Virgini accessit ! Quantum evasit *conformis imaginis Filii sui* quam assidue corde contemplabatur !

Reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum.

En fructus visitationis sacri præsepii, seu sanctæ celebrationis Nativitatis Christi. Quicumque enim sicut pastores ad

divinum infantem accedunt, sicut pastores inde revertuntur.

1° Quales autem pastores Bethlehemitici reversi sunt? Exterius quidem iidem, pauperes et inglorii ; interius vero mutati, locupletati, vivificati, gratiam, adeoque Christum ipsum cordibus reportantes : quam internam mutationem externis effectibus manifestant, *glorificantes et laudantes Deum*, non tantum verbis, sed et operibus omnibus.

2° Quo revertuntur? Ad gregem suum, ad officia sui status (1), quæ deinceps cum gaudio obibunt propter Deum ; atque in spiritu fidei, patientiæ et charitatis sanctificabunt, semper puerum Jesum præ oculis habendo.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 31.

IN NATIVITATE DOMINI.

Evangelium tertium : DE DIE.

Joan. I, 1-14. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre : plenum gratiæ et veritatis.

—

Explicatio prima.

—

1° Singularis hujus Evangelii excellentia. — Initium Evangelii S. Joannis incarnationem Verbi, seu quid sit incarnati Verbi mysterium, quantum humana lingua potest, exponit. Sublimissima est hæc omnium Scripturarum pagina; simulque continet totius fidei nostræ compendium, et præcipuarum hæresum condemnationem. Quapropter maxima semper religione hoc Evangelium fideles venerati sunt, adeo ut antiquitus multi suspensum de collo ferrent; et quidem hodiedum, eadem veneratione permota Ecclesia Evangelium Joannis, peracto Sacro, tanquam alterum fidei symbolum recitare consuevit.

2° S. Joannis scopus. — Quo melius Evangelistæ verba intelligantur, præ oculis habendus est scopus quem sibi in scribendo præfixit: ut nimirum Verbi incarnati, Christi Jesu, divinitatem adversus varios tunc exsurgentes errores declararet. Quod suum propositum ipsemet aperit dicens : *Hæc scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* (Joan. XX, 31). — Aliunde, ex Irenæo aliisque Patribus discimus, Joannem, rogantibus Episcopis Asiæ scripsisse Evangelium, ut fideles adversus errores Cerinthi, Docetarum etc. confirmaret. Statuebant hæretici illi, ex Deo seu divina essentia varios spiritus (Eones) emanasse, quos nomine *unigeniti*, *logou*, *vitæ*, *lucis*, etc., appellabant. *Logon* (Verbum) docebant esse filium *Unigeniti; Vitam* et *Lucem* asserebant esse spiritus, superiores illo quem vocabant *Christum;* hunc eonem Christum descendisse in Jesum Nazarenum, quem de cætero merum hominem dicebant. — Hujusmodi figmenta Joannes jam ab initio Evangelii confutat, exponendo Verbi divini mysteria, quæ ab ipsius Verbi ore didicit : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Joan. I, 18).

Quæ de Verbo divino in hac Evangelii lectione traduntur ad tria capita revocari possunt (1).

I. *Quid sit Verbum in se.*
II. *Quid egerit Verbum in ordine naturæ.*
III. *Quid egerit in ordine gratiæ.*

—

I. Quid sit Verbum in se spectatum.

Verbum in se spectatum est Deus, persona tamen a Deo Patre distincta, nempe Deus Filius, secunda persona SS. Trinitatis.

In principio...

Sensus est : In initio, seu ante initium creaturarum, ante omnia, antequam tempus inciperet, seu ante omnia sæcula, in æternitate, adeoque ab æterno erat Verbum. — Non eodem sensu dixit Moyses : *In principio* creavit Deus cœlum et terram : significat enim *initio temporis*, adeoque *in tempore* mundum creatum esse.

Erat...

In principio *erat*, i. e. tunc jam erat actu et in esse, jam existebat Verbum. — Illud *erat* dicitur simpliciter et absolute, ita ut significet, *habebat esse plenum et essentiale;* scilicet *esse* proprium solius Dei, qui propterea hoc nomen assumit : *Ego sum qui sum.*

Verbum.

Quatuor hic quæri possunt : 1° quid nomine *Verbi* significetur? 2° cur Deus Filius ita nominetur? 3° cur *Verbum* potius dicatur quam *Sermo?* 4° cur hoc loco nomen *Verbi* adhibeat Evangelista?

1° *Verbum*, *Logos*, i. e. cognitio, dictio, non est hic aliqua dictio *accidentalis,* seu locutio communis; sed *substantialis*, i. e. aliqua persona, nempe secunda Persona SS. Trinitatis,

(1) Expositio hujus Evangelii, juxta Maldonatum, Patrizi, S. Thomam, aliosque theologos ac doctores adornata, ex rei natura quædam abstrusiora complectitur. Patet autem, ex iis non esse populo proponenda, nisi quæ pro circumstantiis ad eorum captum esse videbuntur.

Deus Filius ; quæ Persona in Antiquo Testamento nomine *Sapientiæ* venire solet.

-1) Verbum *accidentale*, quod prius intelligere debemus, est *rei repræsentatio, quæ mente efformatur, voce exprimitur, aut etiam opere terminatur atque consummatur.* Quæ descriptio innuit, verbum esse posse *internum* vel *externum*, mere *speculativum* vel *etiam practicum.* — Internum est, quatenus in mente manet ; externum, quatenus voce aliove signo exprimitur. — Est mere speculativum, quatenus sistit in nuda rei intellectæ imagine ; practicum, quatenus refertur ad opus, sive ordinandum sive exsequendum : et tunc vocatur *exemplar* aut *mandatum.* Sic architectus structuram firmamenti intellectu contemplans, speculativum quoddam verbum concipit ; inde effingens ædificii formam, mentale exemplar producit opere imitabile ; id exemplar si in charta delineaverit, externum et visibile facit ; quod si mandaverit opificibus ut marmore exstruant, ponit mandatum opere consummandum. — Et hoc quidem est verbum accidentale humanum, quod excellentissimam humanæ naturæ operationem constituit.

-2) Verbum *substantiale*, est verbum Dei, notionaliter (1), ut aiunt, acceptum, quod existit in Deo, non tanquam mera operatio, sed tanquam propria subsistentia seu Persona, cum humano verbo aliquam analogiam habens. *Verbum*, inquit S. Thomas (P. I, q. 34, a. 2.), *proprie dictum in divinis personaliter accipitur, et est proprium nomen personæ Filii. Significat enim quamdam emanationem intellectus ; persona autem quæ procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius, et hujusmodi processio dicitur generatio.*

2° Cur secunda Trinitatis Persona dicitur *Verbum?* — Quia hujus Personæ proprietates et operationes, sive in se, sive respectu nostri consideratæ, nomine *Verbi* per analogiam cum verbo humano apte demonstrantur. — Sicut enim verbum humanum procedit a mente et in mente manet, estque spiritualis ac viva imago rei intellectæ ; ita Verbum divinum a Patre semetipsum intelligente procedit, ejusque vivam imaginem refert : *Imago Dei invisibilis, — et figura substantiæ*

(1) Cf. *Elementa theol. dogm.* t. I, tract. 6, cap. 2, n. 161, 145 seqq.

ejus (Coloss. I, 15; Hebr. I, 3). Hinc intelligitur quomodo Dei Filius dicatur et sit, non tantum *Verbum*, sed etiam *Sapientia* Patris. — Respectu nostri, nomen *Verbi* ostendit, quomodo secunda illa Persona causa nostræ creationis et sanctificationis existat.

Nam -1) per Verbum suum, tanquam per formam et *exemplar*, Deus mundum creandum concepit, et per idem, tanquam per *mandatum*, reipsa creavit : *Dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt* (Ps. XXXII). — 2) Per Verbum suum mundum salvavit; quia per illud, tanquam per os suum remissionem peccatorum et doctrinam fidei hominibus locutus est. Et quidem adeo Salvator *verbum* fuit, ut omnia in ipso, non tantum labia, sed exempla, miracula, totaque persona, præsertim vero sanguis effusus, locuta sint et loquantur : *Accessistis ad..... Testamenti Novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel* (Hebr. XII, 24). *Quia ipse Christus Verbum Dei est : etiam factum Verbi* (i. e. quæcumque ejus operatio), *verbum nobis est.* (August., Tract. 24 in Joann.) — 3) Ex mente Richardi Victorini, *Verbum* vocatur Filius, ut ad æternum ejus colloquium, continuum det creatura silentium.

3° Cur potius Verbum dicitur quam Sermo? — Quia *sermo* significat orationem totam, multis verbis constantem; *verbum* vero dictionem unam ac simplicem, quod melius secundæ Trinitatis personæ congruit. Hæc enim non multis verbis rebusque, sed una simplicique natura sua, quidquid est in Patre declarat et exprimit, utpote plena et perfectissima imago ejus : *In uno Verbo omnia.*

4° Cur hoc loco ab Evangelista nomen *Verbi* potius quam *Filii* adhibetur? —1) Quia, ut videtur, hoc nomine ad errores disseminandos abutebantur hæretici. —2) Quia id Evangelistæ proposito aptius est accommodatum : ut nimirum divinitatem in carne, tanquam in nube tenui splendentem, atque sic homines salvantem ostendat. Nomen enim *Verbi* denotat divinitatem, humanitatem, et salvificam actionem Salvatoris. *Verbum* denotat divinitatem, quatenus spectatur ut Verbum Dei internum ac immanens, quod est ipsa veritas ac sapientia Dei, adeoque ipsa divinitas. Denotat deinde humanitatem,

quatenus spectatur ut pronuntiatum, sensibili ac tenuissima forma, sono nempe articulato indutum. Denotat demum actionem salvificam per fidem et charitatem, quia verbum producit fidei lumen in intellectu, et charitatis vitam inspirat in voluntatem.

Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Quod dicitur : *Et Verbum erat apud Deum :* i. e. Verbum erat intime conjunctum cum Deo Patre, unum cum Patre quoad naturam, distinctum a Patre quoad personam : *erat* nimirum *apud Deum,* sicut Filius apud Patrem, sicut *Unigenitus qui est in sinu Patris* (vers. 18).

Quod additur : *Et Deus erat Verbum :* i. e. Verbum erat persona divina, habens divinam naturam eamdem cum Deo Patre, adeoque persona consubstantialis Patri : a quo et generatur et propria personalitate distinguitur : *Lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.*

Hoc erat in principio apud Deum.

Id est, hoc Verbum, quod dixi esse Deum, erat in principio, seu ab æterno, apud Deum. — Evangelista, ne perperam intelligatur id *Deus erat Verbum*, quasi Verbum esset indistinctum quoad personam a Deo Patre; confirmationis et claritatis causa, compendio repetit quæ dixit, ut unitatem essentiæ simul et proprietatem personæ significet.

II. Quid egerit Verbum in ordine naturæ.

Omnia per ipsum facta sunt.

Per Verbum omnia *facta*, i. e. *creata* sunt. — 1° Facta sunt omnia *per ipsum* tanquam causam, non instrumentalem, sed principalem.

2° Facta sunt omnia *per ipsum* tanquam causam exemplarem et mandantem : quo sensu creatio peculiariter Verbo tribuitur; unde et intelligitur cur Evangelista dicat *per ipsum*, non *ab ipso :* ut nempe causalitatem notionalem et appropriativam connotet; quæ a causalitate essentiali distinguenda est.

Omnes scilicet operationes ad extra toti simul SS. Trinitati sunt communes, cum ab eadem divina essentia efficiantur; aliæ tamen aliis personis, per appropriationem, ut aiunt, peculiari titulo tribuendæ sunt. Et quidem hoc modo tribuitur Verbo creatio : nam Verbum, utpote expressio substantiæ Patris, est æterna manifestatio Dei ad intra, et qua talis, sibi tanquam proprias vindicat omnes manifestationes Dei ad extra, i. e. omnia quæ creata sunt vel revelata. — Spiritus sanctus perfectionem addit operibus ad extra; sicut ad intra, quia tertia Persona, terminus est et perfectissimum complementum personalitatum divinarum.

Per ipsum facta sunt *omnia*, i. e. visibilia et invisibilia, in ordine tamen naturæ posita. Evangelista enim hic de mundo naturali agit, ut ostendat Verbum non esse creaturam, sed ipsum Creatorem, Deum.

Et sine ipso factum est nihil quod factum est (1).

Hanc repetitionem ponit Evangelista per formam negativam *nihil*, ad excludendam quamcumque hæreticorum hypothesim. Addit, *quod factum est*, ut innuat esse alia quæ nec facta nec creata sunt, nempe processiones divinas.

Nota. Qui cum Augustino, interpunctione diversa, legunt: *Quod factum est, in ipso vita erat;* ita explicant ut sensus sit, res omnes antequam fierent, non in se, sed in Deo fuisse: sicut domus, antequam ædificetur, non in se, sed in mente artificis est; et quia quidquid in Deo est, et Deus, et vita est, ideo res omnes in Deo vitam fuisse (Aug. lib. 5. De Gen. ad litt. cap. 14, et tract. in Joan. I).

III. Quid Verbum egerit in ordine gratiæ (2).

In ipso vita erat.

Transit Evangelista ad opera quæ a creatione naturæ sunt distincta, scilicet ad opera gratiæ, quorum Verbum auctor

(1) Relicta hic interpunctionis, adeoque lectionum varietate, simpliciter lectionem Vulgatæ sequendam existimavimus. De hujusmodi disputatione videri potest Maldonatus in hunc locum.

(2) Cf. *Adjumenta*, argum. 34.

est. — *Vita* itaque supernaturalis intelligitur, et sensus est : in Verbo, tanquam in causa principali efficienti et meritoria, erat vita nostra supernaturalis, puta vita gratiæ et gloriæ, quam in mundum veniens nobis daturus erat.

Et vita erat lux hominum.

Explicat vitæ supernaturalis naturam et principium, quasi diceret : Lumen fidei, *quæ per charitatem operatur* (Galat. V, 6), hanc vitam nobis parit; et, nisi hoc lumine perfundamur, hac vita vivere non possumus : quia *justus ex fide vivit* (Gal. III, 11). — *Lux* ergo est ipsa gratia inadæquate spectata, quatenus illuminat; seu, forsan melius dixerim, est *lumen fidei* cum charitate conjunctæ. — *Vita* vero est id quod fides nobis præstat, nempe tum *gratia* sanctificans in hoc mundo, tum *gloria* in futura. Quia autem ex fide procedit, ideo illa vita dicitur esse ipsa fides seu lux, cognitio, ut eam Christus vocavit : *Hæc est autem vita æterna, ut* COGNOSCANT *te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3) (1).

Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.

Illa lux supernaturalis a Verbo tanquam a sole diffunditur inter tenebras, i. e. inter homines, post Adæ peccatum ignorantia, infidelitate, cupiditatibus et peccatis suis obcæcatos; sed ipsi obstinati (non tamen omnes), hanc lucem vivificam ac salutarem admittere noluerunt.

Nota. Per metonymiam ipse Christus dicitur *lux, vita;* et homines fide destituti, *tenebræ :* scilicet, Christus dicitur *lux*, quia est auctor lucis, et *vita*, quia est auctor vitæ; homines vero dicuntur *tenebræ*, quatenus fidei lumine carent, sicut dicuntur *lux* fideles, qui illo lumine gaudent : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (Ephes. V, 8).

(1) Patrizi *De Evang.* tom. 2. Dissert. 8, *de exordio Evangelii Joan.*

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

Joannes Baptista divinæ missionis characteribus insignitus apparuit, ut testaretur lumen Verbi adesse in persona Jesu, et Jesum esse ipsum Verbum ac lumen mundi, a quo omnem notitiam salutis accipere debeamus.

Ut omnes crederent per illum : i. e. per Joannem; nempe ut omnes Joannem audiendo crederent in Christum, et fide illuminati ac vivificati, i. e. justificati, salvarentur.

Non erat ille lux, i. e. non erat ipse Verbum, seu Christus, ut Judæorum multi fuerant suspicati, et postea hæretici nonnulli affirmaverunt. Quem errorem Evangelista hac negatione refellit : *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

Erat lux (alia videlicet a Joanne, puta Christus Jesus), *vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

1° Recte dicitur Verbum esse *lucem*, non tantum quia est lucis principium et causa, ut supra explicatum; sed etiam quia in se lucis plenitudo, adeoque *ipsa lux* est : fere sicut sol lux est in se, et illuminationis mundi principium.

2° *Lux vera*, id est, -1) lux per se, ac proprio lumine lucens : quo Christus differt a Joanne, qui non erat nisi lucerna, mutuato lumine accensa. 2·) *Lux vera*, i. e. plena atque sufficiens, ex parte sua, ad illuminandum *omnem hominem venientem* (nascentem) *in hunc mundum.* — Porro Verbum sic illuminare mundum dicitur, ut causa meritoria et appropriativa; absque præjudicio causæ effectivæ, quæ est tota SS. Trinitas.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

Sensus est : Verbum secundum divinitatem erat in mundo, ubique per scientiam, potentiam et substantiam præsens; et tamen mundus, i. e. mundi incolæ eum non cognoverunt. Quin, cum non tantum præsens esset in mundo, sed mundi factor, sui auctorem præsentem mundus ignoravit. — Deplorat his verbis Joannes humanæ infirmitatis, post Adæ lapsum, cæcitatem et ignorantiam, quod cum fide amiserint cognitionem sui Creatoris et Salvatoris, puta Verbi seu Filii Dei. — *Nota.* Vox *mundus*, in ultimo inciso : *Et mundus eum non cognovit*, accipitur non sensu proprio, ut in præcedentibus, pro *orbe terrarum;* sed sensu translato peculiari, pro mundi incolis, iisque perversis; ita ut *mundus*, Verbum non cognoscens, idem sonet ac *homines perverse agentes*, sive ex fidei defectu, sive ex vitio voluntatis; uno verbo, omnes qui Christo adversantur. Hoc autem *mundus* iste differt a *tenebris*, quod *tenebræ* solos homines fide destitutos significent ; *mundus* vero, homines qui ducuntur *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ.* I Joan. II, 16.

In propria venit...

Verbum *venit in propria*, i. e. visibiliter, per Incarnationem, visitantis instar, venit ad humanum genus, ad filios hominum universos, a se creatos; præcipue vero ad filios Israel, qui peculiari modo erant ipsius proprii et *sui.* — His verbis Evangelista, ut patet, a manifestatione Verbi per creationem et lumen fidei, transit ad ejus manifestationem personalem et substantialem per Incarnationis mysterium.

Et sui eum non receperunt.

Sui, id est, multi e suis, non tamen omnes, visitatorem divinum, Verbum de cœlo adveniens, non receperunt, credere nolentes. — Animadvertere juvat trium sententiarum convenientiam : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt; — In mundo erat, et mundus eum non cognovit;*

— *In propria venit, et sui eum non receperunt :* — quibus Joannes edicit, quæ omni hominum generi Verbum præstiterit, quam vero homines indignas beneficio vices rependerint.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.

Sensus est : Alii tamen eum receperunt, *in nomine ejus*, i. e. in eum *credendo*, ejusque fidei ac legi obediendo. Illisque *dedit potestatem*. i. e. facultatem et jus *filios Dei fieri :* nempe filios Dei *adoptivos*, per participationem et gratiam, sicut Verbum ipsum est *Filius Dei naturalis*, per suam hypostasim divinam.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Quænam sit illa filietas, seu filiatio divina, quæ hominibus offertur, explicat Joannes per antithesim inter humanam ac carnalem generationem, et spiritualem ac divinam. Nimirum, filii hominum, secundum carnem spectati, nascuntur ex sanguine, ex appetitu et concupiscentia carnali viri et feminæ; at quatenus filii Dei, nascuntur ex Deo, i. e. ex divina ac spirituali virtute *gratiæ*, quæ ex Dei voluntate, atque misericordissima charitate procedit (1). — In hac antithesi forsan Joannes alludit ad Judæos, qui in tantum filii Dei habebantur, in quantum genus ducebant ex populo Dei et ex Abraha, non vero ex ipso Deo.

Neque ex voluntate carnis.

Id est, ut modo dictum, ex appetitu carnali, sensuali. *Caro* in S. Scriptura vario sensu accipi et opponi *spiritui* solet.

1° *Caro* idem est ac *homo*, per synecdochen sumpta parte pro toto, ut in sequenti versu.

2° *Caro*, i. e. *sensualitas*, vires sensitivæ, oppositæ viribus rationabilibus ; seu, quod idem est, appetitus sensitivus,

(1) Quid sit ex Deo nasci, ipse Joannes explicat I Epist. II, 29 ; III, 9 ; IV, 7 ; V, 4, 18.

præsertim inordinatus, i. e. concupiscentia : *Caro concupiscit adversus spiritum.* Gal. V, 17.

3° *Caro*, i. e. naturales hominis vires, sive intellectus, sive voluntatis, per oppositionem ad vires supernaturales gratiæ : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Joan. VI, 64.

Et Verbum caro factum est.

Modus quo Verbum visibiliter venit, est *Incarnatio;* quasi diceret : Idcirco, ut hæc divina regeneratio fiat, et homines carnales fiant spirituales filii Dei, ideo Verbum homo carneus factum est; et *Filius Dei naturalis*, nascens secundum carnem, factus est *filius hominis.* — Ideo Evangelista videtur usus esse voce *caro*, potius quam voce *homo,* -1) quo magis adversaretur errori Docetarum, negantium Jesum Christum in carne venisse; -2) quo expressius significaret humiliationem Salvatoris, *qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Phil. II, 7.

Et habitavit in nobis.

Ut clarius patet ex textu græco, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, sensus est : Inter nos ad modicum tempus, quasi hospes et peregrinus in terra aliena commoratus est : *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch. III, 38). — Illud ἐσκήνωσεν, i. e. Verbum in carne tanquam in tabernaculo vixit, ideo forsan Joannes adhibuit, ut simul unionem hypostaticam et distinctionem naturarum exprimeret.

Plenum gratiæ et veritatis.

Quæ verba cum præcedentibus conjungenda sunt, et hunc sensum habent : Verbum ita carne indutum, habitavit in nobis, et apparuit nobis *plenum gratiæ et veritatis :* i. e. juxta quosdam, plenum gratiæ verissimæ, tanquam largitor verissimorum beneficiorum. — Communius tamen *gratia* et *veritas* ut duo distincta sumuntur ; atque ita, ut significent sine figura, id quod supra voces figuratæ *vita* et *lux;* idemque quod alibi voces similiter non figuratæ *justitia* et *fides* (Rom.

III, 22). Idque ipse Joannes mox confirmat, *gratiam* et *veritatem* opponendo *legi Moysis : Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* — Gratia magis denotat perfectionem voluntatis, veritas autem perfectionem intelligentiæ ; una communicatur per fidem, altera per charitatem. — Utriusque plenitudinem fontalem habet Christus, *de qua plenitudine nos omnes accepimus.*

Et vidimus gloriam ejus.

Id est : Vidimus, nos præsertim, qui cum ipso versati sumus. Joannes sese testem oculatum profitetur (1) supernæ illius lucis et claritatis, quam divina Christi natura humanæ affundit. — Vidimus, ἐθεασάμεθα, *studiose spectavimus, cum voluptate et admiratione contemplati sumus* novum mirumque spectaculum, ut Verbum carne velatum, in ea gloriam deitatis suæ ostenderet, per miracula, per virtutes heroicas, per sapientiam et doctrinam divinam.

Gloriam quasi Unigeniti a Patre.

Spectavimus scilicet gloriam, non qualem Moyses oculis Israel, vel qualem Cherubim et Seraphim habebant oculis prophetarum apparentes, nec qualis denotaret creaturam quantumvis sublimem ; sed qualem decuit esse *Unigeniti a Patre*, quæque Jesum esse verum Patris Unigenitum demonstraret. Hujusmodi gloria deitatis Christi, oculis hominum spectabilis fuit in ejus humanitate, per assumptam carnem, quasi per velum transparens et emicans : sicut gloria animæ ejus in Transfiguratione, tantisper extrinsecus in corpus resplenduit.

(1) Cf. Joannis Epist. I, ab initio.

Explicatio secunda.

—

In principio erat Verbum.

Verbum illud de quo mirabilia prædicantur, quid est? Quid in se? Quid respectu nostri? — 1° Verbum est secunda persona SS. Trinitatis, Deus Filius, qui pro nobis incarnatus, vocatus est Jesus Christus. *Verbum* dicitur, i. e. *Sapientia*, *scientia*, *veritas*, quia Persona illa divina ipsa Sapientia est, seu sapientiæ plenitudinem vi essentiæ suæ continet.

2° *Verbum* est antonomastice, seu per excellentiam dictum, quo uno nomine omnis veritas omnisque bonitas exprimitur : *In uno Verbo omnia*. Utinam Verbum illud unicum intelligam! *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi, Domini mei* (Phil. III, 8). — Hoc ergo Verbum est solutio omnium quæstionum ; — hoc Verbum unice cogitare, unice loqui, unice opere exsequi debemus.

3° Hoc Verbum loquuntur omnia : totum antiquum novumque Testamentum illud prædicat ; quia ad Ipsum omnia referuntur tanquam ad principium et ad finem : *Ego sum α et ω, principium et finis*. Apoc. I, 8.

4° Verbum divinum nobis præsertim manifestatum est in Incarnatione : qua Filius Dei incarnatus, i. e. Christus Dominus, vere apparuit nobis *Verbum*, erudiens nos voce, exemplo et miraculis. Omnia in ipso loquuntur, præsertim vero mirabilis ejus passio et mors in cruce, quæ veluti suprema ejus expressio est : *Clamans voce magna emisit spiritum*. Matth. XXVII, 50.

5° Verbum percipimus per auditum fidei, et docilem obedientiam; ut autem audiamus, in silentio et solitudine, ubi loquitur, manere debemus.

6° Et nos oportet esse *verbum*, Christi simillimum, ita ut omnia in nobis Christum loquantur et spirent.

Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

1° Verbum ab æterno fuit ineffabili unione cum Deo Patre conjunctum : — et nos unione cum Deo, in oratione et in omnibus actionibus, divinum Verbum imitari debemus.

2° *Et Deus erat Verbum :* Deus nempe de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus non factus, consubstantialis Patri. — Peculiari autem modo Verbum Deus *noster* est, Unigenitus Filius qui datus est nobis, ut sit noster *Emmanuel*, Nobiscum Deus. — Hinc thesaurum, quem in Christo possidemus, et Dei misericordissimum erga nos amorem intelligimus, quo *sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. III, 16.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.

Verbum cum creator sit et causa omnium, hinc omnimodam nostri ab ipso dependentiam intelligamus. — 1° *Omnia per ipsum, et sine ipso nihil :* ita ut nostra causalitas tota ab ipso derivetur. A nobis ergo quæcumque facienda sunt, fieri possunt et debent *per ipsum ;* sine ipso vero nihil efficietur, nisi ruina et peccatum : *Sine me nihil potestis facere.* Joan. XV, 5.

2° Omnia per Verbum, i. e. per Sapientiam, facta sunt : *Omnia in sapientia fecisti* (Ps. CIII). — Ergo omnia sapientissime facta, et in finem infinita sapientia dignissimum.

3° Omnia per ipsum, non tantum in *esse*, sed et in *conservari* ac *gubernari* constant : sine ipso nihil accidit, sed omnes eventus ipsius Providentia diriguntur...

In ipso vita erat.

His verbis altissimum quoddam bonum, *vita*, ejusque vera notio, mysteria et origo aperitur. — 1° Vitæ origo. In Verbo tanquam in fonte vita nostra est : *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (Ps. XXXV). — *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos* (Ps. XXXIII)? adeat fontem vitæ, eique inhæreat ; quicumque ab hoc fonte separatur, invenit mortem.

2° Illa autem vita, quæ in Verbo invenitur, quænam est?— Vita gratiæ et vita gloriæ; — vita vera, seu vita novi hominis, longe differens a vita hominis veteris; — vita bona et sancta; — vita beata; — vita plena : nempe vita intellectus, cordis, imo et corporis, quod resurrectione gloriosa reformabitur.

De vita gratiæ et gloriæ hæc scribit Augustinus : « Duas « vitas sibi divinitus prædicatas et commendatas novit Ecclesia : quarum est una in fide, altera in specie : una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis : una « in labore, altera in requie : una in via, altera in patria : « una in opere actionis, altera in mercede contemplationis. « Una declinat a malo, et facit bonum; altera nullum habet « a quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur « bonum. Una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat. »

3° In *ipso* ergo vita invenitur, non in mundo, qui frustra vitam promittit....

Et vita erat lux hominum.

1° In quo vita consistit? Vita animæ, scilicet sola vita vera et beata, in lumine fidei sita est, per charitatem operantis; non in oblectamentis sensuum, neque in peccatorum ac vitiorum tenebris : illic enim, quidquid mundus mentiatur, mors est : *Prudentia carnis mors est* (Rom. VIII, 6); — *justus ex fide vivit* (Rom. I, 17). — Quam suavis est lux fidei vivifica, qua homo Deum secum conversantem videt! — Quanta cura fovenda, ne exstinguatur, sed augeatur semper!...

2° *Vita* et *lux* conjunguntur, ut intelligamus hominem, non nisi in vera fidei doctrina invenire vitam, felicitatem et pacem.

3° Lux est id quo videmus res prout sunt : luce fidei videmus Deum, peccatum, etc.; videmus viam vitæ, veramque regulam sequendam; nostræque cogitationes, desideria, intentiones intimæ, actiones quoque externæ, hoc lumine ordinata, vitam constituunt puram ac sanctam, vitam luminis quæ tenebras non habet, ut Laurentius Martyr dicebat : *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt.*

4° Porro hujus lucis fomes est Christus, sol justitiæ, qui nos interne per gratiam, externe vero per doctrinam, miracula et exempla illuminat.

Lux in tenebris lucet.

En mysterium tenebrarum, quæ luci ac vitæ tanquam umbra mortis opponuntur. — 1° Affulget lux Christi, ut tenebras nostras dissipet. *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors et miserator et justus.* Ps. CXI.

2° Tenebræ autem nostræ quænam sunt? — Aliæ sunt tenebræ intellectus : ignorantia, infidelitas et errores; aliæ, cordis : peccata et indomitæ passiones.

3° In tenebris lucet, et non exstinguitur; quantumvis homines conspirent ut errorum tenebras spargendo, lumen veritatis opprimant.

4° Lux in tenebris, est quoque solamen in tristitia, consilium in dubio.

5. In tenebris lucet, i. e. in obscuritate humilitatis. Quicumque semetipsum agnoscit ut tenebris plenum, ille claritate Verbi illuminabitur; *Deus enim dixit de tenebris lucem splendescere.* II Cor. IV, 6.

Tenebræ eam non comprehenderunt.

En mysterium humanæ malitiæ, seu hominum rebellio adversus lucem ac vitam. — 1° Homines voluntarie obcæcati, lucem vitæ non admiserunt. Hi sunt qui videntes non vident, et audientes non audiunt... Quid superest remedii, nisi ut pro hujusmodi miseris oremus?

2° Nec tantum non admiserunt lucem Christi, sed eam omni modo impugnaverunt. At frustra : nam sicut solem exstinguere nemo potest, ita nec verbum Christi.

3° Sunt qui quasi dimidiatim lumen accipiunt : illi nimirum qui credunt quidem, sed non faciunt.

4° Quare homines rebelles fidei lumini resistunt? -1) Quia lux fidei passionibus eorum adversatur, quibus ipsi indulgere volunt. -2) Quia vitia sua, et imaginem mortis ac inferni, quæ conscientiam perturbant, tenebris occultare volunt.

Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, erant enim eorum mala opera (Joan. III, 19). -3) Quia dicunt se habere lumen sufficiens, nec indigere fide Christi quam tanquam noctem traducere audent... Sed aliquando, illusionibus morte dissipatis, inexstinguibile lumen vel inviti videbunt : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt* (Apoc. I, 7). — Nos autem lucem excipiamus : quid enim luce melius?... Quid tenebris tristius et periculosius, præsertim ambulantibus inter abyssos?...

Ut testimonium perhiberet de lumine.

En testimonia, mediaque copiosa ut homines a mortis tenebris liberentur. Quia scilicet Christus a mundo falsitatis arguitur, testimoniis opus est. — 1° Testimonia non desunt : *Non sine testimonio semetipsum reliquit* (Act. XIV, 16). Nec tantum Joannes Baptista, sed alii testes veritatis innumeri adstant : Prophetæ Veteris Testamenti, Apostoli Novi Testamenti, Martyres, Confessores, omnesque Sancti, totidem testes sunt a Deo missi, ut testimonium perhibeant de lumine.

2° Testimonium perhibet ipsa ratio, quæ mundanorum errores condemnat. *Ideoque... tantam impositam habentes nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen : adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum.* Hebr. XII, 1, 2.

Erat lux vera.

Mysterium lucis explicatur. — 1° *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I Joan. I, 5). Deus est lux spiritualis, cujus lux corporea perfectissima quædam imago est, cum sit ad instar spiritus subtilis, ubique diffusa, mundissima, nec ullam ex contactu corporum maculam contrahens...

2° Lux est præsertim Verbum, quod per æternam generationem, a Patre sicut radius a sole procedit : *Splendor gloriæ et figura substantiæ ejus.* Heb. I, 3.

3° Christus est lux mundi, lux vera, et quasi sol animarum, ex quo dimanat omnis illuminatio, et sine quo horrenda nox illabitur.

4° Lux *vera* est, non fallax, sicut lux et scientia sæculi...

Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

1° Quantum est ex se, Christus homines illuminat, et quidem omnes; omnibus generationibus suos radios offert: manet enim sicut sol immutabilis, dum homines veniunt in hunc mundum et hinc abeunt... *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* I Tim. II, 4.

2° Omnes quidem homines illuminantur, multi tamen in tenebris manent; cur?...

In mundo erat... et mundus eum non cognovit.

1° Mundani homines, licet Dei et Christi nomen audiant, tamen non cognoscunt eum neque thesauros ejus; ideo contemnunt, blasphemantes quæ ignorant.

2° Non cognoscunt, quia rebus terrenis implicati; — quia mentem obtusam habent, utpote carnales, ita ut ea quæ sunt spiritus Dei intelligere nequeant.

3° Non cognoscunt eum nunc; sed et ipse aliquando non cognoscet eos ut suos : *Quia nunquam novi vos : discedite a me qui operamini iniquitatem.* Matth. VII, 23.

4° Mundus eum non cognoscit, cum tamen in mundo sit, nec longe ab unoquoque nostrum, ubique præsens, oculo puro ac simplici ubique visibilis.—Mundus eum non cognoscit, cum tamen alia omnia, præter Christum, cognoscat...

5° Non cognoscit mundus superbus, sed anima humilis, quæ de mundo non est, Christum cognoscit: *Quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

In propria venit, et sui eum non receperunt.

Hic aperitur hominum ingratitudo erga Salvatorem.

1° *Sui*, i. e. suæ creaturæ, — sui fideles, — sui ministri, — sui peculiares amici.

2° *Eum non receperunt :* quanto tamen cum amore ad suos venit, stans ad ostium et pulsans (Apoc. III, 20), dicens : *Aperi mihi soror mea, amica mea...* Cant. V, 2.

3° Non tamen omnes repulerunt eum; sed quidam receperunt, sicut Zachæus, qui *festinans descendit, et excepit illum gaudens* (Luc. XIX, 6). — *Quotquot autem receperunt eum,* beati : nam,

Dedit eis potestatem filios Dei fieri.

En adoptionis donum ineffabile, per Christum hominibus concessum.—1° *Filios Dei fieri*, quanta sublimitas ! *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes* (Ps. LXXXI). — *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus... Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* I. Joan. III, 1, 2.

2° Homines pauperrimi fieri possunt filii Dei, Patri cœlesti simillimi, — sanctissimi, — ditissimi, — potentissimi...

3° Filii Dei, qui filialia præstare debent, et vicissim a Deo paterna beneficia accipiunt.

4° Quibusnam tanta elevatio conceditur ? — Omnibus, quantumvis miseris : *Quotquot receperunt eum*, et *credunt in nomine ejus.* O ineffabilis misericordia Dei ! quæ *suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem : ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Ps. CXII.

5° *Dedit potestatem fieri*, non *fecit :* quia illud opus non perficit Deus ipse solus sine nobis ; sed liberam voluntatem nostram et cooperationem requirit.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis...

Natura atque origo filiorum Dei indicatur. — 1° Filii Dei, non ex carne et sanguine nascuntur ; sed ex Deo, qui spiritus

est, et spirituales filios generat : *Quod natum est ex carne, caro est ; et quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Joan. III, 6.

2° *Qui seminat in carne sua* (quærens carnalia commoda et oblectamenta), *de carne et metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Gal. VI. 8.

Et Verbum caro factum est.

Incarnationis mysterium (1). — 1° Incarnatio Verbi, en mysterium mysteriorum, quod in terra nostra operatus est Deus ! Verbum, unigenitus Dei Filius, in forma Dei existens, carnem, seu humanitatem induit tanquam vestimentum ; sol nube involutus descendit de cœlo... Induit autem naturam nostram hypostatice, ita ut, etsi permanens Persona divina, verus esset homo, sicut unus ex nobis, frater et caro nostra.

2° Deus factus est homo, Filius Dei factus est filius hominis : eo fine, ut homo fieret filius Dei, ut caro fieret spiritus, ut carnalis homo creatura spiritualis efficeretur.

3° Si Verbum factum est caro, quid fieri debet caro seu homo ?... — Ecce propter nos homines, descendit de cœlis, exinanivit semetipsum... Si ergo ita se humiliavit et exinanivit pro nobis Dominus noster Jesus Christus, quid nos facere decet, quid oportet ? Nonne id quod commendat Apostolus ? *Hoc*, inquit, *sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.* Phil. II, 5.

Et habitavit in nobis.

Quomodo Verbum incarnatum, verus Emmanuel, *Nobiscum Deus,* in nobis habitare dignatus est ? — 1° Habitavit in nobis tempore vitæ mortalis.

2° Habitavit, et habitat adhuc nobiscum in tabernaculo Eucharistico, — in templo cordis nostri, — in templo vivo Ecclesiæ suæ et in persona omnium Pastorum, per quos unumquemque nostrum docet, pascit, custodit et regit.

Plenum gratiæ et veritatis.

En thesauri, en plenitudo gratiarum Christi. — 1° In ipso nihil nisi gratia et veritas : nullum peccatum, nullus error...

(1) Conf. *Elementa theol. dogm.* tom. I, tract. 8.

2° In ipso plenitudo omnis gratiæ et veritatis, de qua plenitudine, per merita ejus, omnes nos accipere possumus gratiam et veritatem, lumen et vitam animarum. Accedamus igitur, et *hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isai. XII, 3.

Et vidimus gloriam ejus.

En beata cognitio Christi Jesu, quæ offertur nobis.—1° Vidimus nos, i. e. tum coævi, tum posteri Domini ; antiquiores generationes non viderant : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt ; et audire quæ auditis, et non audierunt* (Luc. X, 23). — At multi oculos habentes non vident, et aures habentes non audiunt.

2° Quid vidimus? Gloriam Verbi incarnati, manifestatam miraculis, doctrina, exemplo sanctitatis... tum in ipso, visibiliter in terris conversante ; tum in ipsius corpore mystico, quod est Ecclesia.

Quasi unigeniti a Patre.

En celsitudo Christi super omnem creaturam. — Etenim gloria ejus non fuit quasi hominis cujuslibet insignis, sive regis, sive sapientis hujus sæculi ; — nec quasi prophetæ, quantumvis magni, ut Moysis aut Davidis ; — nec quasi justi vel sancti viri, qui ex Deo natus sit per adoptionem ; — sed quasi Filii proprii et unigeniti Dei Patris : qui *speciosus forma præ filiis hominum* apparuit, atque revera non alius quam ille de quo cecinit Psalmista : *Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Ps. VIII, XLIV.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

—

SCHEMA PRÆVIUM.

DE CHRISTO INTER HOMINES CONVERSANTE (1).

—

Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Baruch. III, 38.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,... plenum gratiæ et veritatis. Joan. I, 14.

Quandoquidem Dominus Deus noster de cœlo descendere, et inter nos homines habitare dignatus est; nihil sane convenientius, imo nihil jucundius facere possumus, quam ut ejus vitam et conversationem in mundo studiose intueamur... Quidquid enim egit, quidquid dixit Homo-Deus, totum illud sane perfectum, sanctum et sapientissimum est, ac tale, ut humano generi exemplum præbeat et documentum. — Quapropter conversationem Domini consideremus, duo inquirentes :

I. *Quomodo Dei Filius conversatus sit in mundo?*
II. *Quare sic inter homines conversari voluerit?*

—

I. *Quomodo Dei Filius conversatus est in mundo?* — seu, qualis fuit Domini inter homines conversatio? Qualis in se?— Qualis respectu Dei, — respectu hominum coævorum, — respectu omnium nostrum?

(1) Cf. *Adjumenta,* Argum. 41.

1° Si spectetur res in se, Dominus in mundo conversatus est, non ut rex terrenus, fastu circumdatus, — nec ut vir mundanus, divitiis ac deliciis affluens... — nec ut homo peccator, legem violans, passionibus serviens; — sed ut justus, sapiens, perfectus homo, ut Sanctus sanctorum, ut exemplar omnis justitiæ et sanctitatis.

2° At quomodo, vel quonam vitæ genere, Homo-Deus justitiam colit? — Non ut anachoreta in silvis absconditus... — sed ut homo communis, in via publica vitæ ambulans; — immixtus inter homines, — ut frater noster, atque ut unus ex nobis : *Et habitavit in nobis.* Joan. I, 14.

3° Vitam seu conditionem eligit pauperem, — laboriosam; — ærumnosam...

4° Externa specie atque cultu non differt ab aliis : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Joan. I, 26.

5° Respectu Dei considerata, Domini vita est obediens, pura, pia, religiosa, totaque ad Deum rectissima intentione ordinata. *Factus obediens usque ad mortem* (Phil. II, 8). — *Quis ex vobis arguet me de peccato* (Joan. VIII, 46)? — *In diebus carnis suæ preces supplicationesque offerens* (Hebr. V, 7). — *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse* (Luc. II, 49). — *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (Joan. VI, 38). — *Quæ placita sunt ei facio semper* (Joan. VIII, 29). — *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus* (Joan. IV, 34). — *Zelus domus tuæ comedit me.* Joan. II, 17.

6° Respectu hominum coævorum, conversatio Domini est communis, — benefica, — mansueta, — humilis, — prudens, — innocens, — simplex, — modesta, — fortis, — patiens.

7° Conversatur communiter : manducans et bibens, dormiens et ambulans, sicut reliqui homines, sine ullo miraculo vel ulla singularitate externa. *Venit enim Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum... Venit Filius hominis manducans et bibens* (Luc. VII, 33, 34); — *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* (Hebr. IV, 15). — *Exemplum,* inquit, *dedi vobis.* Joan. XIII, 15.

8° Non dedignatur tanta Majestas misceri cum filiis hominum, creaturis suis... cum hominibus miseris, peccatoribus... nec, quamtumvis oderit peccata, gravatur loqui, amice agere, manducare cum eis... *Non est opus*, inquit, *valentibus medicus, sed male habentibus*. Matth. IX, 12.

9° *Pertransiit benefaciendo* (Act. X, 38).—Pertransiit varias ætates humanæ vitæ, — varias conditiones et vicissitudines, — varias hominum classes, — semper et ubique *benefaciendo et sanando omnes...*

10° Conversatur humiliter et suaviter : accessus liber patet ad eum omnibus, etiam parvulis... Omnibus omnia factus.

11° Conversatur pure, peccata tollens; nec, tollendo, inquinamenta peccatorum participans...

12° Conversatur modeste, graviter, digne, paterne : visus est flere pluries, ridere nunquam...

13° Respectu omnium nostrum, conversatur exemplariter : virtutis ac perfectionis humanæ exemplar exhibens, exemplar verum et necessarium; adeo ut quæcumque virtus huic exemplari conformis non fuerit, vana sit ac falsa.—Jam vero qualem virtutem Christus in sua vita ostendit? Quibus characteribus conversatio ejus distincta apparuit?

-1) Christus nunquam semetipsum quæsivit, neque commoda sua, quæcumque illa essent, sive fortunam, sive sensuum blandimenta, sive famam respicerent... Nunquam vel unicam actionem posuit ut hominibus placeret, vel omisit ne displiceret... — Deus solus, Deique gloria, voluntas ac beneplacitum, en unicum objectum cogitationis, intentionis, affectus et studiorum ejus... unica regula, quam in agendo fuerit secutus... Patris sui negotio atque causæ se, suaque omnia, sine ulla imminutione dedidit et immolavit.

-2) Pietatem ac devotionem in internis animæ dispositionibus reposuit : nimirum -*a*) in omnimoda subjectione erga Deum ; -*b*) in abnegatione et annihilatione sui continua ; -*c*) in charitate erga homines illimitata...

-3) Præsentem vitam semper aspexit ut viam ac transitum ; ut tempus probationis, quod homini concessum est, quatenus Deo obsequium et amorem exhibeat.—Semper in æternitatem

oculos defixos habens, ea quæ æterna sunt unice curavit. — Interim naturæ, in hac mortalitate positæ, sustentacula necessaria concessit; ultra necessitatem vero, nihil... — Illa porro necessaria timentibus Deum non defutura sciens, nunquam fuit de re temporali sollicitus in crastinum...

-4) Eas res libera electione assumpsit, quas homines maxime aversari, nec admittere nisi ex naturæ necessitate solent : pauperiem, labores, etc. — Si delectationes excipias honestas, quæ cibo, quieti, etc. naturaliter adjunctæ sunt, et quarum usus severis temperantiæ regulis subjacet; quæcumque alia delectationum genera, quamvis innoxia, prorsus sibi denegavit...

-5) In verbis atque actionibus omnibus, simplex, planus, sine affectatione ulla fuit aut ambiguitate... Cumque doctrinam sublimissimam prædicaret, miracula stupenda operaretur, hujusmodi res veluti communes peragebat : ea simplicitate mirabili, quæ ipsa narratione Evangeliorum ejus, tanquam fideli imagine expressa est...

-6) Peccatores pœnitentes summa benignitate ac miseratione excepit... — Pharisæos autem superbos, hypocritas, avaros, cor suum obdurantes, fortissime et vehementissime increpavit : ut scilicet tonitru vocis duritiem eorum frangeret; vel saltem obstacula rumperet, quæ ab adversariis istis aliorum fidei et conversioni opponerentur : *Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ! quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Matth. XXIII, 13.

-7) Mira quoque bonitate ac mansuetudine vitia sustinuit et defectus hominum, præcipue rudium discipulorum .. Quamvis enim tam esset perspicax, ut omnes cordium miserias, cogitationes sinistras, etc., intueretur; tamen, quasi fere inscius, omnia prudenter, patienter, amanter dissimulavit et sustulit...

-8) Ex parte inimicorum, omnia persecutionum genera invicte semper et constanter passus est : eosque, nunquam nisi innocentia sua ac simplici veritate debellando, semper superavit et confusione operuit. — Quando vidit eos malitia obstinatos, nihil ipsis nisi silentium opposuit, violentiæ

triumphum inanem permisit, injustitiæ condonavit; pro malo bonum, i. e. redemptionem, pro ipsis moriendo, reddidit... En exemplaris vita et conversatio Domini...

II. *Quare Christus inter homines ita conversari voluit?* — 1° Conversari voluit inter homines, ut hominibus conversationis ac vitæ perfectæ exemplum daret : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis* (Joan. XIII, 15). Proinde, sic inter nos versatus est, ut nos conversationem ejus imitemur et sequamur vestigia ejus : *Ut sicut ille ambulavit, et nos ipsi ambulemus.* I Joan. II, 6.

Ad id porro necesse est -1) ut vias et conversationem mundanam relinquamus... — Quomodo differt Christi vita a vita mundanorum?... Utram ego sequor?... — -2) Ad id necesse est, ut Christi vitam, ejusque verba et opera consideremus, meditemur... In Christo enim, Verbo, Sapientia incarnata, omnia documenta sunt, omnia loquuntur, dummodo viva fide audiamus : *Beati qui audiunt verbum Dei*... Quo vividior nobis fides fuerit, eo copiosior Verbi intelligentia erit. Vita scilicet Verbi incarnati quasi codex est mirabiliter descriptus, cujus non tantum pulcherrimam scripturam aspicere, sed etiam eam legere et intelligere fidei lumine, eoque solo, possumus et debemus. *Qui videt litteras in codice optime scripto, et non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem : sed quid sibi velint illi apices, nescit; et est oculis laudator, mente non cognitor... Alii vero et facta mirati et intellectu assecuti : tales nos in schola Christi esse debemus.* August. Serm. 44, *De verbis Dom.*

2° Dominus inter homines conversatus est, ut amorem suum erga nos satiaret : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Prov. VIII, 31.

3° Tam humiliter habitavit in nobis, ut humilitati suæ satisfaceret : *Humiliavit... exinanivit semetipsum, formam servi accipiens.* Phil. II, 7.

4° Tam communi, tamque simplici conversatione usus est : 1) ut omnibus fiduciam liberumque ad se accessum faceret : *Venite ad me omnes... Sinite parvulos venire ad me* (Matth. XI, 28, Marc. X, 14). -2) Ut esset exemplum omnibus : divitibus, pauperibus, operariis; superioribus et inferioribus...

et quidem in omni vitæ vicissitudine... in omni genere virtutum; ut sciremus quomodo, sive erga amicos et inimicos nostros, sive in rebus prosperis aut adversis, etc., nos gerere debeamus. -3) Ut omnibus omnia fieret, suaque beneficia omnibus largiretur : *Venite ad me omnes... et ego reficiam vos* (Matth. XI, 28). 4) Ut doctrina, miracula et vita ejus publica essent, omnibusque, sicut aqua fontis publici, aut sicut lumen solis, vulgo paterent. -5) Ut totam terram, creaturas universas, omnesque humanæ vitæ actiones, exercitio aut contactu suo sanctificaret...

5° Tam familiariter tamque amanter nobiscum conversatus est, ut nos cum ipso conversari discamus... Conversari cum Jesu!... Nonne cui hoc daretur, quasi paradisus foret?... Et en, tanta nobis gratia conceditur per fidem : *Per fidem enim ambulamus, et non per speciem* (II Cor. V, 7). Utique cum Jesu ambulare atque conversari nobis datur, non minus quam coævis discipulis datum est : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus... Medius vestrum stetit quem vos nescitis... Ipse Jesus appropinquans ibat cum illis, oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent... O stulti et tardi corde ad credendum* (Luc. XXIV, 15, 25; Joan. I, 26; Matt. ult.). — *Flecto genua mea ad Patrem... ut det vobis Christum habitare per fidem in cordibus vestris.* Eph. III, 17.

Conclusio. — Fide igitur viva conversationem Domini intueamur, imitemur, imo præsentem nobis faciamus ut ea feliciter fruamur... *Domine, adauge nobis fidem* (Luc. XVII, 5)! — *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies... Aperiantur oculi nostri, et cognoscamus te in fractione panis.* Luc. XXIV, 31.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

—

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Luc. II, 33, 40. Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superveniens, confitebatur Domino; et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia ; et gratia Dei erat in illo.

—

Explicatio prima.

Evangelica lectio compendium continet futuræ vitæ pueri Jesu, recens nati: seu, velut ejus horoscopum, quem propheta Simeon vaticinatus est in templo, quo die divinum infantem parentes ejus secundum Legem, Domino præsentarunt.

I. *Prophetia Simeonis.*
II. *Confessio Annæ.*
III. *Reditus in Nazareth.*

Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

Propheta Simeon, cum teneret puerum Jesum in ulnis suis, Spiritu Dei correptus exclamaverat, hunc tandem esse promissum Salvatorem, *lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis Dei Israel.* Quæ cum audiissent Joseph et Maria, tam præclara nempe vaticinia de puero, futuramque ejus missionem respectu Gentium, miratione repleti sunt : *Erant mirantes super his quæ dicebantur de illo.*

Hic autem quæritur quomodo mirari potuerint Parentes Domini ea quæ jam cognoscebant? non enim miratio nisi rei novæ et prius ignoratæ esse solet. — Resp. cum Maldonato : 1° Quæ ad gentium illuminationem per puerum operandam pertinent, parentibus adhuc parum vel nullatenus erant cognita. Joseph quidem, et præsertim Maria ab angelo docti erant mysterii Incarnationis summam, non vero singulas partes, quas nec necessarium erat a Deo illis revelari. Ejusmodi ergo mysterium, cum enucleatius et distinctius audirent, admirabantur. Unde intelligitur cognitionem de Christo, in mente parentum ejus incrementa sumpsisse, prout Christus gradatim sese oculis hominum manifestabat.

2° Etiamsi quæ dicebantur, parentibus Domini ignota non fuissent, adhuc erat admirandi locus : quia, ut vetustus quidam scriptor adnotavit, *transcendentium rerum notitia, quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum*, i. e. admirationem.

Et benedixit illis Simeon.

Benedixit *illis*, i. e. Mariæ et Joseph, non puero. — *Benedixit*, i. e. gratulatus illis est tam felicem prolem; beatos illos dixit, qui talem haberent filium; sicut Elisabeth eadem gratulatione exclamavit : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* — Ex hac ergo benedictione Simeonem sacerdotem fuisse, colligi nequaquam potest.

Post gratulatoria quædam ad ambos parentes verba, ecce Propheta oculos defigit in Mariam; et mox, mutata in mœrorem facie ac voce, Virginem Matrem alloquitur.

Et dixit ad Mariam, matrem ejus.

Ad solam Mariam, relicto Josepho, se convertit Simeon, 1° quia illa vera mater, ille non verus pater est Christi; 2° quia res dicendæ non Josephum attingunt, sed Mariam.

Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.

1° Prædicit Simeon fore, ut in Christum alii non credentes offendant, et sic *cadant* atque damnentur : quales plerique Scribarum et Pharisæorum fuere; alii vero credentes *resurgant*, i. e. a peccatis liberentur.

2° Quod autem dicit, Christum esse *in hoc positum*, non significat ruinam impiorum intendi a Deo, qui *vult omnes homines salvos fieri* (1 Tim. II, 4), quique *misit Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum* (Joan. III, 17); sed eventum prædicit; ac rem ita futuram per hominum malitiam, quasi Christus in mundum venisset eo consilio, ut per ipsum alii caderent, alii resurgerent.

Et in signum cui contradicetur.

Licet puer Jesus tam sit amabilis, et omni laude omnique obsequio dignissimus; fiet tamen signum contradictionis. *Signum* hoc loco accipitur, vel 1° pro scopo, i. e. pro eo in quod solent sagittarii collimare : *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam* (Thren. III, 12). Itaque sensus est, Christum positum esse velut signum, in quod omnes fere Judæi, non solum lingua, sed etiam manu tela sua certatim conjicerent; imo, non tantum Judæi, sed omnes impii, usque ad finem mundi, *convenient in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus* (Ps. II). — Vel 2° *signum contradictionis* idem est ac *exemplum, typus* hominis afflicti et contradictionibus obnoxii.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Hæc verba, ad ea quæ præcedunt, ut videtur, referenda, significant : hujusmodi contradictionibus eventurum esse, ut verus cujusque hominis sensus manifestetur; utque, Christo

persecutiones patiente appareat, quo quisque erga illum affectu, qua fide sit animatus. Quod non apparuisset in rebus ejus prosperis : si enim regio venisset habitu, temporaliaque largitus fuisset beneficia, nemo non secutus eum fuisset; abjectum vero et afflictum non sequuntur nisi boni, recti, et vere probati. Quo fere sensu Paulus de hæresibus dicit : *Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* I Cor. XI, 19.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Sensus est : Tales ac tantas contradictiones, et quidem sub maternis tuis oculis patietur, ut et tu, mater, propter ejus tormenta, doloris gladio sis transfigenda. — Porro gladius ille est vehemens afflictio, Mariæ, Martyrum reginæ, obventura; seu potius, est illius doloris causa, passio et mors Christi, quæ eodem ictu Christi corpus et Mariæ animam transverberabit. — Hanc sane prophetiam audiendo Maria illius gladii mucronem sentire cœpit; sed summa divinæ voluntati resignatione tanquam victimam sese obtulit. Quare, quin ullum tristitiæ verbum reponat, Filium, qui causa prædicti vulneris est, novo amore recipit et pectori adstringit. — Post dolorem autem nova sequitur consolatio, ex parte Annæ prophetissæ.

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.

Quod dicit *a virginitate sua*, i. e. ut cum Luca Brug. multi tenent, *a die quo virgo nupserat*. Quibus verbis tacite indicat Evangelista Annæ castitatem virginalem ante nuptias; sicut expresse testatur castimoniam ejus conjugalem, dicendo : *Cum viro suo;* et vidualem, dicendo : *Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor.*

Non discedebat de templo, per hyperbolam dicitur, ut maxima significetur assiduitas.

Sensus integræ sententiæ est : Erat in Jerusalem mulier quædam nomine Anna, spiritum propheticum seu prophetiæ donum habens ; vidua nimirum, quæ a prima sua pubertate, i. e. ab anno circiter duodecimo nuptui data, septem annos vixerat fideliter cum viro ; quo mortuo, ab anno decimo nono circiter, usque ad octogesimum quartum vidua permanserat, frequentissima in templo, Deo per orationem et jejunia assidue serviens.

Post venerabilem Simeonem, hunc alium diversi sexus Evangelista producit testem, quemadmodum observavit Ambrosius (Lib. 2 in Luc.) : *Non solum*, inquit, *ab angelis et prophetis, et a pastoribus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accipit testimonium... ne qua aut professio deesset aut sexus.* — Ut autem omni exceptione majus Annæ testimonium habeatur, diligenter mulierem illam describit, et multis nominibus laudat. Describit, dum nomen ejus, et genus, et ætatem provectam exponit ; laudat vero, a perseverante continentia, a pietate et religione, a morum severitate, omnique vitæ sanctitate, nec non a charismate prophetiæ quo divinitus erat insignita : adeo ut testem citari nobilissimam, quæque a nemine recusari possit, appareat.

Et hæc ipsa hora superveniens, confitebatur Domino ; et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel.

Sensus est q. d. : hæc talis ac tanta femina, testisque fide dignissima, venit eo ipso momento, quo Simeon Christum in ulnis teneret ; vel quo sacerdos ante altare divinum parvulum manibus sustinens, præsentationis ritum perageret : tempore scilicet adeo opportuno, ut non nisi Spiritus sancti monito ac impulsu venisse videretur. — Quod dicit *superveniens*, ostendit ideo eam venisse, ut quæ a Simeone de Christo dicta fuerant, confirmaret. Spiritu ergo prophetico illuminata, agnovit thesaurum mundi in illo infante absconditum. Quo aspectu nequit sibi temperare quin erumpat in laudes Dei, et

affluentibus ob rerum novitatem piis Israelitis felicem nuntium communicet.

Confitebatur Domino, — i. e. laudabat Deum, agnoscens Messiam, et magnifica Simeonis encomia confirmans. — *Et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel:* i. e. loquebatur de puero Jesu, tanquam de Messia, omnibus qui majore desiderio exspectabant eum, tanquam promissum auctorem redemptionis ac salutis Israel. — Loquebatur de illo mirabilia sane : nam quamvis de infanti, etiam regio, pauca dici queant; multa tamen ac grandia dici poterant de infanti hoc divino, a tot sæculis exspectato, in quem totius cœli et terræ oculi erant conversi.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini.

Hæc addi videntur, 1° ut Mariæ et Joseph religio declaretur, qui nihil eorum quæ lege præcepta erant, prætermiserint; 2° ut indicetur, in Christo rite facta fuisse omnia, quæ in primogenito ac rege fieri oportebat.

Reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.

Dicitur 1° *reversi sunt*, i. e. exierunt e templo et e civitate : non enim prudenter diutius morari poterant; cum res extraordinariæ quæ contigerant in templo non possent non divulgari et ad Herodis aures deferri.

2° Reversi sunt *in Galilæam :* intellige, sive statim, ut inde in Bethlehem migrarent, ubi Magos exceperint; sive post fugam in Ægyptum, quam Lucas omittit.

Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.

Infra, versu 52, eodem fere sensu dicitur : *Jesus proficiebat sapientia et ætate et gratia, apud Deum et homines.* — Sensus est : Crescebat statura et robore corporali; et simul visibiliter, oculis hominum, crescebat sapientia et gratia spirituali, quæ indies magis magisque manifestabatur. — Hominum

opinionem de puero exponit Evangelista, qui gratiam Dei singularem illi inesse animadverterunt.

Plenus sapientia, i. e. eximiam pro ætate sapientiam manifestans, qua indies non minus quam ætate proficere videbatur. — *Apud Deum et homines*, id est, sapientia et gratia proficiebat verissima, quæque talis esset oculis Dei et hominum (1). — Porro per sapientiam hic intelligentia et scientia, per gratiam vero, virtus, pietas, omnisque morum sanctitas significari videtur.

Totum hunc versiculum, præcise simul atque perspicue interpretatus est S. Thomas his verbis : *Dicendum quod in sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter : uno modo, secundum ipsos habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos : et sic in eis Christus non proficiebat. Alio modo, secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit : et sic Christus proficiebat sapientia et gratia sicut ætate; quia secundum processum ætatis, perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines* (2).

—

Explicatio secunda.

Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

Hic discamus quænam vere mirabilia sint, nostraque admiratione et contemplatione digna ; discamus quoque quomodo opera et beneficia Dei meditari debeamus.

1° Mirantur Maria et Joseph ea quæ audiunt de Christo ; quandoquidem ea vere, et quidem sola vera mirabilia sunt, quæ ad Christum pertinent : *Vocabitur nomen ejus admirabilis* (Isai. IX, 6). Admirabilis scilicet in persona sua, admirabilis in doctrina, in exemplis, in humilitate, in patientia, in charitate, in gloria ac majestate sua...

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tom. 1, tract. 8 *De Incarn.* n. 253 seqq.
2) P. 3, q. 7, art. 12 ad 3.

2° Reliqua, quæ neque Christus sunt, neque ad Christum pertinent, vere mirabilia non sunt. Humana enim magnitudo, quantumvis speciosa videatur, quid est? *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri... exsiccatum est fœnum et cecidit flos : verbum autem Domini nostri manet in æternum* (Isai. XL, 6). — Ergo quidquid a Christo alienum est, nequaquam mirabile, sed contemnendum esse comperitur : simillimum nempe flori marcescenti, vel fumo evanescenti ; aut etiam sepulcro dealbato, quod nemo miratur nisi qui intuetur extrinsecus.

3° Quare Joseph et Maria mirantur? — Quia verba sacra audiunt ; porro ea audiunt in templo, in domo orationis : ut intelligamus, mirabilia Christi iis manifestari, qui in templo et in oratione verbum Dei audiunt, idque corde recogitant. Mirantur autem, etsi non plane ignota audiunt : quia ea quæ cœlestia sunt, et divina mysteria continent, quoties recogitantur toties renovant admirationem...

4° Quare multi magnalia Dei non mirantur? – Quia -1) non sat vivide credunt ; -2) non attente recogitant aut considerant mente ; -3) rebus terrenis spectandis, cogitandis et persequendis nimium distrahuntur.

Et benedixit illis Simeon.

Exemplum laudis et benedictionis Mariæ et Josepho tribuendæ (1). — Merito Maria et Joseph benedictionem *accipiunt* et beati prædicantur : beati, utique propter Jesum quem possident, in quo, et in quo solo *benedicentur omnes gentes terræ*. Gen. XXII, 18.

2° Beatus quoque Simeon, et quicumque ejus exemplo benedictionem Joseph et Mariæ *tribuunt :* vicissim enim benedictionem accipient : *Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (Gen. XXVII, 29). — Frequenter ergo et ex animo benedictionem angelicam ingeminabo, dicens : *Benedicta tu in mulieribus!*

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 46. — Item infra, *in festo S. Joseph,* die 19 Martii : et *in festo Annunt. B. M. V.*, die 25 Martii.

Et dixit ad Mariam.

Modo læta effatus Simeon, nunc, Spiritu sancto semper inspirante, dolorosa subjungit : 1° quia Deus consolationem cum desolatione, dulcia cum amaris miscendo, animam nutrire solet. — 2° Ut intelligamus, ad gloriam illam quam modo Simeon ostendit, per passionem et humiliationem perveniendum esse : *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Luc. XXIV, 26.

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.

1° Licet Christus venerit ut omnibus sit resurrectio et vita ; non tamen omnes in eo resurrectionem inveniunt : sed alii ruinam, alii resurrectionem, ruinam puta et resurrectionem animæ.

2° Quinam ruinam, quinam resurrectionem in Christo nanciscuntur?...

3° Sunt qui utrumque simul, ruinam nempe et resurrectionem in Christo feliciter inveniunt : ruinam, inquam, felicem veteris hominis, cum vitiis et concupiscentiis suis ; et resurrectionem hominis novi. Imo omnes Christi fideles, mysticam hanc ruinam et resurrectionem subire debemus : *Consepulti enim sumus cum illo* (Christo) *per Baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. VI, 4.

4° Forsitan ego in ruinam aliis fui, per malum exemplum ac scandalum ; oportet ergo ut fiam in resurrectionem multorum, per ædificationem boni exempli.

5° Aliquomodo Christum imitari possum, et in ruinam fieri et resurrectionem multorum : efficaciter nempe laborando per verba et exempla mea, ad ruinam peccati, ad extirpationem vitiorum, et ad resurrectionem gratiæ in animabus.

Et in signum cui contradicetur.

1° Quomodo Christo contradicitur? -1) Ipsi contradictum est in corpore suo reali, per Judæorum persecutiones et insi-

dias, ac demum per supplicium crucis. Ex sua autem parte Dominus *tota die expandit manus suas ad populum non credentem et contradicentem* (Rom. XV, 21). -2) Item, in corpore suo mystico, quod est Ecclesia, quodque omnes fideles constituunt, per omnigenas persecutiones : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Joan. XV, 20). Jamque Paulo, Romam advenienti, de Christi Ecclesia dicebatur : *Notum est nobis quia ubique ei contradicitur* (Act. XXVIII, 22). -3) Imo contradicitur Christo, mystice viventi per gratiam in animabus fidelium ; contradicitur, inquam, ipsi a mundo, a passionibus, sensualitate, etc. : *Caro enim concupiscit adversus spiritum.* Gal. V, 17.

2° Quinam sunt Christo contradicentes ?—Non tantum sunt Judæi et gentiles, sed omnes Ecclesiæ hostes ; — item peccatores, qui Christum in corde suo crucifigunt ; — item, qui proximo suo scandalum præbent ; — item quicumque hostes animarum et gratiæ ac virtutis : diabolus, mundus, caro ejusque cupiditates...

3° Quare Christo contradicunt ? — Non quia Christus malum affert, cum e contra omne bonum largiatur ; — sed quia Christus, qui veritas est, passionibus contradicit, mundumque cum suis erroribus ac vitiis condemnat.

4° Si vere Christi sum, et mihi contradicetur : adeo ut hoc signo dignoscere possim utrum, necne, genuinus Christi discipulus existam : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (II Tim. III, 12). — *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Gal. I, 10.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Hinc intelligere possumus, qualis sit et esse debeat vera ac solida virtus christiana : oportere nempe ut signaculo crucis ac patientiæ probetur. Nam effectus passionum Christi est *ut revelentur intimæ cordium cogitationes*, i. e. ut manifestetur, qualis virtus in cujusque corde lateat : utrum vera ac solida, — an debilis, — an nulla, et potius vitium homini insit : ut id, inquam, manifestetur facit Christi passio, atque humilia-

tio, seu, quod idem est, via crucis proposita (1). Sicut aurum probat ignis (I Pet. I, 7; Cor. III, 12), ita via crucis, ad ingrediendum aperta, veros probat Christi discipulos : alii strenue eam ingrediuntur; alii ingressi eam mox derelinquunt; alii nequaquam intrare volunt... — Et revera crucis, i. e. Christi crucifixi discerniculo, videmus homines in duas dividi partes : cum boni quilibet ad crucem accedant, mali vero ab ea recedant, vel etiam ei adversentur...

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

En mysterium *Matris dolorosæ*, seu Mariæ passionum Christi participis. — 1° Dolores Mariæ annuntiantur, quos ipsa in unione cum doloribus Filii sui gaudenter acceptat.

2° Quare matri Jesu dolores, et quidem acerbissimi imponuntur? — Non quia eos immaculata Virgo, tanquam pœnam meruit, etc.; sed quia -1) acceptissima est Deo, ideoque necesse est ut afflictione probetur (Tob. XII, 13); -2) quia, quanto quis arctius cum Deo unitur, eo magis in passione conformis illi fieri debet..

3° Quis est ille gladius? — Est -1) mors Domini, quæ simul Christi corpus et Mariæ animam percussit; -2) peccatum...

4° Quis animam Mariæ transfixit? — Non soli Judæi; sed omnes quoque peccatores.

5° Utinam et me doloris gladius transfigat, doloris de peccatis, qui non tantum in labiis hæreat, sed in intimam animam penetret, *pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus*. Hebr. IV, 12.

Et Anna..... ipsa hora superveniens, confitebatur Domino.

Multa hic exempla occurrunt : assiduitas orandi, — templa, quæ orationis loca sunt, pie frequentandi,— nec non jejunii cum oratione jungendi : quæ virtutes singulare hic præmium accipiunt : cognitionem et amorem Jesu.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum 33.

1° Beata est valde illa vidua sancta : quod sicut Simeon, præ tot aliis tunc in templo præsentibus, agnoscat thesaurum in hoc infante latentem.

2° Quomodo Anna hanc singularem gratiam meruit? — Castitate, pietate, solitudine sacra, oratione et jejunio.

3° Quamnam Deo gratitudinem rependit? — Pro viribus ad Christi honorem et cultum conferendo : *Loquebatur de illo...* Sic nos, verbis et exemplis Christi laudem promovendo, gratos nos pro acceptis beneficiis exhibere debemus.

Ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt.

Exemplum fidelitatis accuratissimæ in adimplenda lege.

1° Non prius discedunt quam perfecerint omnia : ut discamus non prius in officio implendo desistere, quam illud integre perficiamus. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Eccli. XXXIII, 23.

2° Omnia perficiunt *secundum legem Domini*, non secundum legem mundi vel passionum : lex enim et beneplacitum Domini vera est et unica perfectionis norma.

Puer crescebat et confortabatur... et proficiebat sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homines.

Exemplum adolescentiæ sanctificandæ (1). — 1° Crescebat Jesus sapientia et gratia, indies nempe magis sapientiam et gratiam, qua plenus erat, manifestando. Sapientiam præsertim monstrabat in verbis, gratiam in operibus ; quod quidem exemplum omnes, sed imprimis adolescentes imitari debent : diligenter addiscendo fidei ac religionis documenta, ut sapienter loquantur ; et fideliter implendo legem, ut recte et cum gratia operentur. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccli. I, 16.

2° Crescebat ac proficiebat *apud Deum et homines*, i. e. -1) oculis Dei et oculis hominum ; -2) tum in officiis spectantibus ad Deum, tum in officiis spectantibus ad homines : ut

(1) Cf. *Adjumenta orat. sacri.* Argum. 12. § 1, *de officiis filiorum.*

nos discamus similiter tum interne tum externe proficere. — Porro hujusmodi profectus radix est obedientia et humilitas, quod his verbis innuitur : *Et venit Nazareth, et erat subditus illis.*

3° Christus adolescentiam sanctificans, omnibus adolescentibus exemplum existit : *Bonum est viro cum portaverit jugum* Domini *ab adolescentia sua.* Thren III, 27.

4° Sicut Jesus, ita omnes pueri crescere deberent cognitione doctrinæ et observatione legis christianæ ; idque ut revera fiat, parentes omni diligentia procurare debent (1)... Sed, proh dolor!...

5° Sicut Christus crevit ætate et virtute semper, usque ad mortem crucis ; ita et nos crescere virtute debemus et progredi : etenim in via virtutis, non progredi est retrogredi. – Crescere debemus semper, sine intermissione, usque ad mortem : crescere, inquam, *in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi ; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento* (Ephes. IV, 13) ; — crescere debemus sapientia et gratia, — fide et charitate... Non vero desistere, multo minus decrescere... — Quod si plures annos sine profectu perdiderimus, damnum resarcire nos oportet *ut sapientes, redimentes tempus.* Ephes. V, 16.

(1) Cf. ibid. § 2, *de officiis parentum.*

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

—

Luc. II, 21. Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

—

Explicatio prima.

Postquam consummati sunt dies octo.

Sensus est : postquam transacti sunt octo dies, a lege statuti ; seu, cum advenisset dies octavus : qui dies circumcisioni faciendæ præscriptus erat. Gen. XVII, 12.

Ut circumcideretur puer.

Sensus est : Circumcisus est puer. — Locum ubi circumcisio facta est, fuisse ipsam speluncam nativitatis narrat Epiphanius.

Lege circumcisionis Christus non tenebatur : 1) quia erat Dominus et auctor legis ; -2) quia carebat originali peccato, ob quod expiandum, juxta multos, instituta erat circumcisio ; -3) quia, utpote Sanctus Sanctorum, nullum peccatum, nec peccati vulnus aut fomitem habebat, cujus circumcisio erat signum et quasi stigma atque cauterium.

Libere tamen legi subesse voluit propter nos, *factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (Gal. IV, 4, 5). Nimirum circumcidi voluit -1) ut characterem ferret filii Abrahæ, et non rejiceretur a Judæis

tanquam incircumcisus; -2) ut jam sanguinis sui primitias pro nobis effunderet; -3) ut nobis exemplum daret humilitatis profundissimæ, et legis observantiæ accuratissimæ; -4) ut nos in hoc mysterio documentis mysticis erudiret.

Vocatum est nomen ejus Jesus.

Apud Judæos in circumcisione, sicut apud nos in Baptismo, nomina infantibus imponebantur. — Nomen *Jesu* mutuo Josephi et Mariæ consensu, juxta angeli ad utrumque parentem mandatum, divino puero inditum est : *Et vocabis nomen ejus Jesum*. Matth. I, 21 et Luc. I, 31.

Nomen Jesu, quod hebraice significat *Salvator*, seu *Jehovah Salvator*, non est nomen metaphoricum, qualia sunt *pastor*, *ostium*, *vinea*, *via*, etc.; nec appellativum, quale est *Christus*, i. e. *Unctus;* sed est Verbo incarnato omnino proprium, sicut sanctissimæ Matri ejus proprium nomen erat *Maria*.

Nomen *Jesu* designat ejus individuam personam; nomen *Christi*, ejus munus et characterem.

Nomen *Jesu* Messiæ divinitus datum est, tanquam nomen super omne nomen, ad significandam ejus naturam et proprietates, seu Redemptoris officium quatenus Deus et Homo est; — ad demonstrandam ejus dignitatem et gloriam; — ad complectenda cætera omnia ejus nomina; — ad nos consolandos et spe vitæ æternæ animandos.

Nota. Quoniam *nomen* personæ, formaliter spectatum, est ipsa persona nominata, sicut *cognitio* personæ est ipsa persona cognita; inde fit, ut sæpe sensu latissimo *nomen Jesu* dicatur, nempe pro ejus virtute, potentia, doctrina, fide, aliisque ad Jesum pertinentibus, vel ab eo manantibus. Sic, ubi dicit Petrus, oportere omnes salvos fieri *in nomine Jesu*, significat, per fidem, invocationem et cultum Jesu Christi omnes esse salvandos.

Quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

Antequam in utero conciperetur, i. e. antequam responderet Maria : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*,

quo momento mysterium Incarnationis impletum est. Cum enim paulo ante diceret angelus : *Vocabis nomen ejus Jesum*, nondum puer in utero conceptus erat.

Explicatio secunda.

Postquam consummati sunt dies octo.

Mysterium diei octavi. — 1° Constituerat olim Deus octavum circumcisioni faciendæ diem, duplici præsertim de causa, quarum prima fuit ut mysterium significaretur. Ut enim docet Maldonatus, septem diebus temporalis vita, octavo spiritualis et æterna designari solet ; quia tota temporalis vita septem dierum circulo circumacta traducitur, octavus autem dies ultra est : quod autem ultra temporalem vitam est, spirituale et æternum existit. Cum autem circumcisio spiritualem significaret vitam, qua carnis amputanda sunt opera, ideo octavo die facienda erat. — Secunda causa fuisse creditur, quod octavus dies, transacta jam hebdomada, est simul initium hebdomadæ novæ, et dies quo Christus resurrecturus erat : ut doceremur, per cordis circumcisionem, vitam novam instituendam esse, atque ita nos cum Christo resurgere debere et in novitate vitæ ambulare.

2° Similiter, ubi inchoatur, non hebdomada nova, sed novus annus, ipsa circumstantia monemur, tum de nova vita inchoanda, tum de tempore bene impendendo : tempus enim breve est, — pretiosum est, — irrevocabile est (1).

Ut circumcideretur puer.

Mysterium *Circumcisionis*. — Christus, præter alias causas, idcirco quoque circumcidi voluit, ut nos circumcisionis mysterio erudiret. Quænam autem mystica circumcisionis significatio est ? — 1° Circumcisio, ut character filiorum Abrahæ, characterem figurat filiorum Dei, quem in Baptismo suscipimus.

(1) Cf. *Adjumenta* Argum. 17, 18, 19.

2° Est signum legis Mosaicæ, testificans circumcisum lege Mosaica esse obligatum : quo figuratur similiter, eos qui baptismali charactere signati sunt, lege Christi teneri. —

3° Est signum peccati, adeoque symbolum humilitatis et pœnitentiæ.

4° Est signum mortificationis, qua peccato et concupiscentiæ medendum est.

Vocatum est nomen ejus Jesus.

Hic discamus quid nomen *Christiani* a nobis requirat. Nomen enim Christo impositum, imago est nominis Christiani unicuique nostrum etiam divinitus dati. — Jam vero 1° nomen quid est? *Nomen*, est rei vel personæ nominatæ perfecta expressio : unde fit, ut vox *nomen Domini* frequenter pro ipso *Domino* accipiatur : sic, *sanctum et terribile nomen ejus*, significat : Dominus sanctus est et terribilis ; *sit nomen Domini benedictum*, i. e. sit Dominus benedictus. Hinc quoque fit, ut hominis mores ac dotes cum ejus nomine debeant concordare ; adeo ut qui v. g. nomen *regis* accepit, sese ut regem gerere debeat. Quare et nos præcelsum *Christiani* nomen congruis moribus honorare debemus. Propter quod necesse est imprimis illud probe intelligere (1).

2° Nomen imponitur *in circumcisione*, quia tunc ex charactere proprio, agnoscitur puer ut filius Abrahæ et verus Israelita ; ideoque nomen ejus in libro populi Dei inscribi potest. — Similiter Christianis nomen imponitur in Baptismo, quia homo christianus Baptismi signaculo agnoscitur ut filius adoptivus Dei : ideoque et nomen ejus inscribitur in libro vitæ : *Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis* (Luc. X, 20). — Illud autem notandum, licet signaculum baptismale sit indelebile, signati tamen nomen de libro vitæ infeliciter deleri posse...

Jesus. — Hoc sanctissimum ac divinum nomen, quod latine idem sonat ac *Salvator Deus*, est Verbo incarnato proprium, maxime conveniens, et omnino excellens.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 29, *De homine christiano*.

1° Est nomen proprium Verbi incarnati. Vocatur quidem aliis quoque nominibus, nimirum -1) secundum naturam divinam : *Verbum*, *Filius*, *Sapientia* ; -2) secundum humanam naturam : *Christus*, i. e. *unctus*, quia per unionem hypostaticam unctus est in Mediatorem perfectum humani generis, i. e in Sacerdotem, Prophetam et Regem ; -3) secundum humanam naturam aliis præterea nominibus vocatur : *leo*, *agnus*, *stella*, *flos*, *virga*, *mons*, *lapis*, *ostium*, *via*, *veritas*, *vita*, *lux*, *vitis* (1). Hæc autem nomina sunt metaphorica, seu attributionis, varias Domini proprietates denotantia. -4) Nomen vero *Jesu* est Verbi incarnati proprium, ipsi, ipsique soli conveniens.

2° Nomen maxime conveniens. -1) Fuit enim ab ipso Deo electum et impositum. — Similiter et nobis nomen est a Deo datum, adeoque verissimum : *Ut filii Dei nominemur et simus* (I. Joan. III, 1). Istud est nomen illud novum, de quo Apoc. III, 12 : *Scribam super eum nomen Dei mei, et nomen meum novum.*—2) Est verissima Verbi incarnati expressio, qui verus et unicus Salvator est : ipse salvare omnes potest, salvare omnes vult, et quantum est ex se, reipsa omnes salvat. *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. IV, 12.

Quomodo Jesus nominis sui significationem implevit? Nonne totam vitam in hoc consumpsit, ut salvum faceret quod perierat?... An similiter vita mea nomini Christiani, quod gero, plane respondet?

3° Nomen Jesu excellentissimum est : *Nomen quod est super omne nomen* (Phil. II, 9).—Scilicet nomen Jesu ipsi Domino gloriosum, nobis autem salutare, suave, sanctum et terribile.

-1) Gloriosum : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (Phil. II, 10). — Hanc gloriam quomodo meruit?.... Sic nos, si nomen Christiani nobis vere gloriosum esse cupimus, oportet ut Christum imitemur : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Ibid.

-2) Salutare : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. I, 21).—Virtus

(1) Cf. *Elem. Theol. dogm.* tom. 1, tract. 8, *De Incarn.* n. 369 seqq.

salutifera nominis Jesu symbolo unctionis atque olei intelligitur : *Oleum effusum nomen tuum* (Cant. I, 2). — Oleum autem, ut S. Bernardus ait, lucet, pascit et ungit ; lux est, cibus et medicina. Quare nomen Jesu per orbem diffusum, sicut oleum divinum animas *illuminat*, *sanat*, *roborat*, *lætificat*. Etenim nomen Jesu, i. e. Jesus cognitus, mentes illuminat ; Jesus exoratus, in infirmitatibus sanat ; Jesus invocatus, in periculis roborat ; Jesus cogitatus, in tristitia consolatur et lætificat : nimirum illuminat fide, sanat sacramentis et medicamento pœnitentiæ, roborat exemplis et gratia, lætificat sui amore...

-3) Suave. — Sicut suavitas datur corporalis, afficiens sensus : ita suavitas spiritualis, delectans animam, in nomine Jesu mirifice est abscondita. *In ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde nectar cœlicum. Nil canitur suavius, nil auditur jucundius, nil cogitatur dulcius, quam Jesus Dei Filius. — Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur ; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde Jubilus* (S. Bern. Serm. 15 super Cant). — Jesus *in ore*, i. e. quatenus Jesus laudatur, invocatur, prædicatur ; *in aure*, quatenus auditur sermo, vel legitur liber, de Jesu ejusque exemplis ac doctrina agens ; *in corde*, quatenus recogitatur, amatur, aut intentione recta, labore, patientia, aliisque obsequiis colitur.

-4) Sanctum et terribile. — Nomen Jesu *sanctum* est, quia -*a*) omnem sanctitatem repræsentat et in mentem revocat. Etenim nomen *Jesu* velut compendium est eorum omnium quæ sunt in Jesu, aut de Jesu possunt cognosci vel prædicari. -*b*) Quia Jesus est Sanctus Sanctorum, simul exemplar et fons sanctitatis : non tantum omnem sanctitatem, perfectionem ac virtutem in se tanquam in speculo exhibens ; sed etiam eamdem servis suis communicans... Cum sanctitate autem omne bonum, omnemque felicitatem mentis et corporis discipulis suis largitur. — Nomen Jesu *terribile* est, quia -*a*) cum invocatur, terret infernum et fugat hostes animæ.

-*b*) Quia Jesus in die mortis et judicii, terribilis erit iis qui rebelles doctrinæ ejus, gratiam ac sanctitatem respuerint.

Nomen Jesu *sanctum et terribile* est, quia Jesus vel sanctitatem confert, vel terribilem vindictam : sanctitatem et omne bonum justis ; terribilem vindictam impiis, qui nomen ejus glorificare nolunt. – Quo fere sensu tum *Agnus* vocatur, tum *Leo*.

Quomodo nominis Jesu influxum tam pretiosum accipiemus? Aut quomodo id quod debemus sanctissimo huic nomini persolvemus? — Nomen Jesu invocando, laudando, vita nostra ac moribus prædicando...

IN EPIPHANIA DOMINI.

—

Matth. II, 1-12. Quum natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis; et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et quum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui quum audissent regem, abierunt : et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Explicatio prima.

Hodierni lectione Evangelii exhibetur nobis adoratio Magorum, qui Christum natum stella indice cognoverunt et quæsiverunt. Vocatur hoc mysterium *Epiphania*, i. e. manifestatio Domini : quia tunc primum gentilibus, quos Magi repræsentabant, Christus manifestatus et agnitus est.

Cum enim, ut S. Thomas inquit (p. 3, q. 36, art. 3), salus per Christum futura ad hominum omnium diversitatem pertineret, congruum fuit, omnibus hominum conditionibus ejus nativitatem manifestari : scilicet pastoribus, Magis, Simeoni et Annæ.

I. *Magi advenientes Jerosolymam.*
II. *Magi a Judæis edocti de loco Christi.*
III. *Magi invenientes Christum in Bethlehem.*

Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis regis...

1° *Cum natus esset*, intellige paulo postquam natus esset Jesus, nimirum circa diem a nativitate Domini duodecimum, prout habet traditio communis et vulgaris, quæ Ecclesiæ usu in ordine festorum confirmatur, et a qua recedendum non est.

2° *In diebus Herodis regis.* Herodes, qui nascente Christo regnabat, idem non est qui Joannem Baptistam occidit, et Dominum in passione sua irrisit; sed hujus pater, qui Herodes primus, Herodes magnus, aut Ascalonita dictus est, et cui primo populus Romanus regis Judææ titulum dedit. Cum autem esset alienigena, natione Idumæus, eo regnante sceptrum de tribu Judæ ablatum fuit, impletumque tempus, quo Christus esset venturus, juxta vaticinium Jacob : *Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium.* Gen. XLIX, 10.

Ecce magi ab Oriente venerunt.

Ecce, subito nempe et inexspectati venerunt *Magi*, i. e. viri sapientes, gentiles, veri Dei adoratores, qui spectandorum siderum arte pollebant. — Juxta traditiones pias ac venerandas, Magi erant tres : Melchior, Gaspar, Balthasar; et quidem, si minus reges, saltem viri principes ac magnates. Venerunt autem *ab Oriente*, i. e. ex Arabia, vel, ut alii malunt, ex Perside.

Venerunt Jerosolymam.

Ingressi sunt *Jerosolymam,* in urbem regiam : quia merito existimabant, illic facilius notitiam, qua indigebant de Christo, se inventuros. At ex parte Providentiæ, aliæ suberant causæ : -1) ut Magis percontantibus, Judaica gens de ortu Christi certior fieret; -2) ut Judæis hac re commonefactis, occasio daretur consulendi oracula prophetarum, interque hæc atque inter nuntium a Magis perlatum consensus patefieret; -3) ut ex tali consensu Judæis et Magis validius argumentum exhiberetur veritatis rei, quam hi illis nuntiabant.—His de causis Providentia Magos Jerosolymam venire voluit, ideoque non recta eos stella prævia ad Christum perduxit. — Ingressi itaque civitatem regiam, inquirunt dicentes :

Ubi est qui natus est rex Judæorum?

Sensus est quasi dicerent : Ubi est Messias quem natum esse scimus? — Non rogant Magi, ubi sit *filius regis* Judæorum, quem facile in domo regia invenirent; sed *ubi natus Rex*, i. e. Messias, qui rex Judæorum est per excellentiam dictus, et a Gentilibus adorandus. — *Ubi est?* non autem : *An* vere natus est? de nativitate namque certi sunt, de loco tantum inquirunt.

Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.

1° Rationem suæ petitionis reddunt : *Vidimus stellam ejus*, hoc est stellam, qua juxta vaticinia Messiæ ortus signandus est, cum in orientali nostra patria essemus, vidimus.

2° Magi ex visa stella Christi nativitatem cognoverunt, non quidem per astrologiæ scientiam; sed, tum per vaticinium Balaam, tum per internam revelationem similem illi, quam postea in somnis acceperunt ne redirent ad Herodem.—Vaticinium Balaam, cujus probabiliter successores erant, cum non ignorarent, Num. XXIV, 17, sic relatum : *Orietur stella ex Jacob, et exsurget virga* (sceptrum, Rex orictur) *ex Israel* ; sciebant, aliquando stellam orituram, quæ nuntiaret ejusdem Regis, qui toti orbi dominaretur, in Judæa nativitatem. Hoc igitur externo stellæ signo apparente, simulque interno Dei lumine illustrati et admoniti, cognoverunt ac crediderunt Christum esse natum, eumque esse plus quam regem temporalem, Filium nempe Dei adorandum : *Venimus adorare eum.*

3° *Stella*, quæ non erat una ex cœlestibus, sed probabilius meteorum quoddam splendidum, stellæ simile, haud procul a terra distans, non tantum apparuit Magis cum essent in Oriente; sed, ut merito cum S. Leone, Chrysostomo aliisque docet Maldonatus, eos prævia deduxit versus Jerosolymam; fere ut olim columna ignis deducebat populum Israel in deserto. Quare cantat Ecclesia : *Ibant Magi, quam viderant stellam sequentes præviam* (1).

4° Porro, quia Christi nativitas non erat pure terrena, sed quodammodo cœlestis; ideo per signa cœlestia revelatur, sicut pastoribus ita et Magis. S. Thom. Part. 3, q. 36, art. 5.

Audiens autem Herodes rex turbatus est.

Audivit Herodes de Magorum adventu et inquisitione. Cum enim exspectatio Messiæ vulgo existeret, cum pastores Bethlehemitici quæ sibi contigerant vulgassent (2); mirus ille Magorum nuntius superveniens, magnum sane per totam urbem

(1 Alii censent, stellam non fuisse visam a Magis nisi in Oriente, et iterum postquam Jerosolyma egressi sunt; his præcipue verbis innitentes : *Ecce stella quam viderant in Oriente* (v. 9). — Nec Ecclesiæ hymnum suæ sententiæ adversari putant, cum hymnus referatur ad iter Magorum a Jerusalem in Bethlehem, ubi vere *stella antecedebat eos.*

(2) Imo fortasse, cum Simeonis et Annæ testimonium non ignoraretur : probabiliter enim, ut quidam existimant, præcesserat Præsentatio in templo.

rumorem non potuit non excitare.— *Turbatus est Herodes*, quia Messiam, ut regem temporalem, sibi æmulum atque adversarium, aspiciebat, qui sibi regnum eriperet. Turbatus est, inquam, et rex ipse, et tota ejus domus, totaque aula ; imo tota civitas, principes, doctores, sacerdotes, et populus universus commovetur et agitatur :

Et omnis Jerosolyma cum illo.

Non tamen eadem de causa turbatur populus et Herodes. Populus enim partim 1) turbatur ac movetur gaudio et admiratione, ob nuntium de Messiæ nativitate tam secreta.— 2) Alii turbantur timore ,ne Herodes perterritus sævum quodpiam adversus Messiam consilium caperet. —3) Alii, aulici ac servi Herodis, adulationis causa domini sui terroribus perturbantur.

Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

Herodes ut a Messia caveat, non arma, sed occultum dolum adhibendum existimat. Apertam enim vim exercere nequit adversus puerum, a Judæis ut spem gentis suæ desideratum, nisi seditionem excitare velit ; quare dolum jam nunc meditans, cognoscere studet ubi puer lateat, ut secreto eum interimere possit : ideoque sciscitatur ubi Christus sit nasciturus. — Qua de re ut prudenter inquirat, viros publice idoneos et rerum sacrarum peritos convocat omnes : *Congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi.*

1° *Scribæ* proprie erant publici notarii, quorum officium erat, non solum publica instrumenta conficere; sed etiam sacras Scripturas incorruptas servare, earumque sensum interpretari, qua de causa iidem etiam *legisperiti* vocabantur. Idcirco, et quia pars magna Concilii seu Synhedrii erant, scribæ una cum sacerdotibus ab Herode convocantur.

2° *Principes sacerdotum* ne confundantur cum *summis sacerdotibus seu pontificibus*, successoribus Aaron, qui non plures erant, sed unicus. Principes sacerdotum intelligendi

sunt capita familiarum sacerdotalium viginti quatuor, qui cum Scribis et Senioribus constituebant Synhedrium, præside sacerdote summo seu Pontifice. — Ab his itaque viris *sciscitabatur Herodes ubi Christus nasceretur.*

At illi dixerunt ei : sic enim scriptum est per prophetam : Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.

Non indigent longo examine ; sed subito ac sine dubitatione, tanquam in re vulgo notissima, unanimiter respondent : *In Bethlehem Judæ.*

Interrogati ut prophetarum periti, juxta prophetas respondent : *Sic enim scriptum est per prophetam*:.. Oraculum autem afferunt illud Michææ, V, 2 : *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* — Quod quidem non tam verbotenus citant, quam per interpretationem dilucidant, hunc in sensum : *Et tu Bethlehem Ephrata*, quæ es terra Juda (non Zabulon, ubi alterum Bethlehem), *minima quidem videris*, si murorum tuorum spectetur ambitus ; *at nequaquam minima es* inter urbes millenis incolis frequentes, adeoque principes : *ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.*

Tunc Herodes, clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis ; et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et quum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui quum audissent regem abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.

Herodes, postquam cognovit nativitatis locum esse in Bethlehem, callide coram Judæis horribile consilium, quod

jam concepit, dissimulat; ideoque, ne ullam eis suspicionem moveat, clam, probabiliter noctis tempore, vocat illustres advenas, ab eisque *diligenter* discere satagit ea, quæ ad suum propositum conferre posse arbitratur : nempe Messiæ ætatem, ejusque latibulum.

Didicit ab eis tempus stellæ, i. e. tempus quo stella illis primum apparere cœpisset. Cumque callidus homo omnia cognovisset quæ scire cupiebat, Magos dimisit in Bethlehem, mandans eis ut, postquam invenissent puerum, renuntiarent sibi. Vix egressi ex urbe Magi, ecce denuo affulgentem sibi stellam conspiciunt, quæ *antecedebat eos*, *usque dum veniens* (et propinquius ad terram descendens), *staret supra ubi erat puer*.

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

Ex hoc loco colligitur, stellam ad tempus saltem, cum Magi Jerosolymis essent, disparuisse. — Gaudent vehementer, quia stella iterum apparente, ea quæ ex Judæis audiverunt mirabiliter confirmata vident. — Consistit deinde stella, et humilem locum ubi erat puer mirabili lumine illustrat. Tunc illi confestim descendentes e dromedariis, eosque cum ministris statuentes foris, assumunt suos thesauros, et cum reverentia, quam Evangelium intelligendam relinquit, ingrediuntur in habitaculum cœlitus designatum.

Et intrantes domum.

Id est, ingredientes vel speluncam nativitatis, vel ut aliis placet, commodius domicilium, quod Joseph sanctæ familiæ procuraverat. — Prior tamen sententia præferenda videtur, tum quia Ecclesia in Epiphania Domini cantat : *Hodie stella Magos duxit ad præsepium;* tum quia Hieronymus ad Marcellam (Epist. 17), hæc de stabulo scribit : *Ecce in hoc parvo terræ foramine, cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic inventus a pastoribus, hic adoratus a Magis.* — De cætero Maria et Joseph, intelligentes locum illum a Domino prædilectione electum esse, nonne illic manendum esse, et commodiorem domum non conquirendam judicaverint?

Invenerunt puerum cum Maria matre ejus.

Quod Josephi mentio non fiat, aut casu, cum forte domi tunc non esset; aut potius mysterio factum est, ut Christo matrem, non vero patrem esse significetur.

Et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

1° *Adoraverunt eum* adoratione latreutica, tanquam verum Deum. Magi enim, ut SS. Patres docent, puerulum istum esse Deum superna revelatione cognoverunt.

2° *Apertis thesauris suis*, i. e. arculis in quibus munera continebantur.

3° *Obtulerunt munera, aurum, thus et myrrham.* Quæ quidem tria ideo, ut moris erat, honoris causa obtulerunt, quia pretiosissima erant quæ terra eorum proferret. — Nullo tamen modo excludendum hic est mysterium, quod Patres tanto consensu agnoverunt, ut Regi aurum, Deo thus, homini myrrha data sit. Nec refert quod ipsi Magi mysterium in offerendis muneribus forte non respexerint : nam neque mulier illa, quæ caput Domini unguento perfudit, quidquam procul dubio de mysterio cogitavit; et tamen Christus illud ad sepulturam suam significandam, ex mente nempe Spiritus sancti, factum esse dixit.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Acceperunt monitum divinum *in somnis*, i. e. in visione nocturna, quæ mirabiliter tribus eadem contigit. Probabiliter existimari potest, Magos, Herodis perfidiam suspicantes, Deum rogasse, ut sibi quid faciendum esset manifestaret; et proinde divinum petitioni suæ responsum accepisse, *ne rediret ad Herodem;* cui monito Dei obedientes, *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

—

Explicatio secunda.

—

Cum natus esset Jesus in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt.

1° Hic jam ostenditur universalis actio Christi in mundo. — Infans Bethlehemiticus, quamtumvis exiguus et absconditus, omnia circa se movere incipit : jam angelos attraxit et pastores, nunc reges commovet et magnates ; ut oraculum impleatur Aggæi II, 7 : *Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam.* — At non eodem omnes modo moventur ; sed alii ut Christum recipiant, alii ut repellant.

2° *In diebus Herodis regis.* Permittit Providentia ut nascatur Jesus sub potestate infensi inimici; simul autem media paravit, quibus inimici insidiæ eludi possint. Ita Deus agere solet, ut in periculis protectionem suam erga servos suos manifestius ostendat : *Qui deducit ad inferos et reducit.* Tob. XIII, 2.

3° *Magi ab Oriente venerunt :* quia, ut S. Thomas docet (p. 3, q. 36 art. 3), omnes qui ad Christum veniunt, ab ipso et per ipsum veniunt qui est verus *Oriens*, secundum illud : *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (Zachar. VI, 12) ; et istud : *Visitavit nos, oriens ex alto.* Luc. I, 78.

Magi venerunt.

Magorum exempla. — Advenæ illi sancti merito vocantur *Magi* seu *Sapientes*, quippe qui exemplum nobis præbent perfectæ ac cœlestis sapientiæ, plurimarumque virtutum : nimirum fidei, — diligentiæ in respondendo divinæ vocationi ac gratiæ, — fiduciæ, — constantiæ, — spretique respectus humani, — prudentiæ, — pietatis, devotionis ac generositatis erga Jesum.

Etenim 1° Christum quærunt, summam sapientiam, summumque bonum.

2° Deo loquenti credunt, humanis rationibus silentium imponentes.

3° Deo vocanti, i. e. divinæ inspirationi, illuminationi, stellæ obediunt.

4° Ut Deum vocantem sequantur, omnia relinquunt; sicut olim Abraham, qui secutus est Dominum, dicentem : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.* Gen. XII, 1.

5° Deum sequuntur, quin a popularibus, qui nec credere, nec stellam sequi, sed eos potius retinere volunt, de bono proposito dimoveri possint.

6° Iter capessunt nullis impensis vel obstaculis deterriti, iter peragunt constanter et indefessim. Si stella abscondatur, animum non despondent, fide non vacillant, sed in dubio interrogant eos a quibus Dei nomine doceri poterunt. Jerosolymam ingressi, absque humano timore de Christo inquirunt, et Herode turbato, ipsi nihil timent; statimque ac viam docti sunt, civitate et aula Herodis relicta, ad Christum pervenire festinant. Quem postquam invenerunt, perfecta fide ut Deum agnoscunt, interiore et exteriore reverentia prostrati adorant, muneribus donant optimis; ipsique vicissim divinis Christi thesauris ditati, et peculiari Providentia deducti, ad regionem suam gaudentes revertuntur.

Ubi est qui natus est rex Judæorum?

Hic docemur studium, in quærendo Christum et res salutis adhibendum. — 1° Quærunt, non aurum honoresve terrenos, sed thesaurum verum, Christum; — nec regem Judæorum temporalem ac mortalem, Herodem, sed Regem Judæorum spiritualem, immortalem, Christum : i. e. Regem servorum Dei atque electorum, Regem justorum, eorum nempe omnium qui sunt humiles, pudici, sobrii, etc. Ipse solus quærendus est... Quanta differentia inter regem Christum et Herodem!...

2° Rex ille tam amabilis necesse est ut quæratur, et quidem intentione recta. *Sapientia invenitur ab his qui quærunt illam; præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat* (Sap. VI, 13). — Sunt qui Dominum Jesum non quærunt, ii nempe qui de religione sunt incurii; alii quærunt sicut Herodes, ut adversentur; alii vero sicut Magi, ut adorent ex animo. — Quam pauci Jesum quærunt! In frequentissima civitate Jerosolyma, nullus fere præter Magos, de Christo inquirere cogitat. Quid ergo quærunt loco Christi? *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi* (Phil. II, 21). — *Diligunt vanitatem et quærunt mendacium.* Ps. IV.

Vidimus stellam ejus (1).

Hic considerandum venit mysterium stellæ, documentis plenum. Quæ quidem stella dicitur *ejus*, i. e. stella *Christi* : tum quia Christum repræsentat, tum quia ad Christum ducit. — 1° Stella Christum repræsentat, quia Christus vera stella est, *stella splendida et matutina* (Apoc. XXII, 16), stella jucundissimi splendoris, inter cæteras eminens; est lumen cœleste, indeficiens et æternum, quod obscurari nubibus potest, exstingui non potest; quodque in tenebris lucet, et viatores per hujus mundi desertum ad patriam cœlestem deducit...

2° Stella ad Christum ducens, est -1) lumen naturale rationis ; -2) lumen supernaturale fidei, puta verbum Dei, exempla Christi, etc. ; -3) lumen gratiæ, seu Spiritus sancti illustratio ac inspiratio et vocatio; -4) superiorum et confessariorum directio; -5) divina voluntas, quomodocumque nobis cognita et prælucens...

Vidimus.

Viderunt quidem, at nunc jam non vident stellam, quæ sese abscondidit : Deo ita permittente, -1) ut probetur constantia Magorum, -2) ut notitiam a Judæis perquirant.

(1) Cf. *Argumenta,* Argum. 34 et 32, schema secundum.

Vidimus et venimus.

En diligentia ac promptitudo in re salutis. — 1° Exemplo Magorum diligenter, prompte, ac generose divinæ vocationi respondendum. *Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit.* Prov. XXII, 29.

2° Sunt qui nec vident nec veniunt; alii vident quidem, sed non veniunt...

3° Viderunt et venerunt *plures conjunctim*, se mutuo adhortantes et confirmantes : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. XVIII, 19). — En bonum fraternæ unionis et piarum sodalitatum.

Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo.

En turbationes peccatorum et securitas justorum. — Nam 1° quare Herodes aliique turbantur? -1) Herodes timet ne regno suo a Messia spolietur : at, ut Ecclesia canit, *non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* -2) Populus timet Christo sævitiam Herodis : at ne timeat, *qui* enim *habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Ps. XC.

2° Turbatis omnibus, Magi tranquilli sunt ac securi, securitate bonæ conscientiæ et intentionis puræ : qui enim Jesum, eumque solum quærunt, timere nunquam debent; quod et significabat angelus sepulcri : *Nolite timere, vos : scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis.* Matth. XXVIII, 5.

3° Per hominum terrores manifestatur cœlestis dignitas Christi. Cœli Rege nato, rex terræ turbatus est : -1) quia nimirum *terrena altitudo confunditur, cum celsitudo cœlestis aperitur* (Greg. homil 10 in Evang.). —2) Quia per hoc figurabatur dejectio regni diaboli. *Non* enim *tantum Herodes in semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode.* S. Leo, serm. in Epiph. (Cf. S. Thom. p. 3, q. 36, art. 2).

Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

Herodis inquisitio de Christo varia documenta insinuat. Nam 1° Herodes de Christo inquirit, et Magi inquirunt; at

quam diverso consilio! Sic boni et mali sæpe idem faciunt : v. g. utrique duros labores, aut ærumnas sustinent; sed alii cum fructu, alii cum detrimento animæ suæ...

2° Herodis politica calliditas divinæ Providentiæ subjacet, a qua ad Judæorum et Magorum eruditionem dirigitur : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII, 28). — 3° Sciscitabatur *ab eis*, id est, a principibus sacerdotum : *Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est*, ad ejus voluntatem revelandam. Malach. II, 7.

Sic enim scriptum est per prophetam.

En thesaurus Scripturarum.—Nam doctores Judæorum responsum infallibile inveniunt in Scriptura sacra, quam Deus tanquam lumen quoddam illustre, ad Christum cognoscendum et inveniendum nobis dedit : ita ut, cum illam habemus, prodigiosa stella aut nova revelatio nobis necessaria non sit; sed fervens oratio ac profunda meditatio, juxta id quod ipse Christus aliquando dixit Judæis : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Joan. V, 39.

Et tu Bethlehem, nequaquam minima es...

En quomodo Christus sit thesaurus animæ. Quantumvis humilis videatur Bethlehem, propter Christum grandis est et nobilissima.... Sic homo quilibet, quantumvis pauper, dummodo Christum in se natum possideat, principes terræ superat magnitudine.

Ite, et interrogate diligenter de puero, et quum inveneritis, renuntiate mihi.

Hic ostenditur calliditas malorum et prudens simplicitas justorum. — Insidiæ struuntur Magis, idque sub specie boni : *ut et ego veniens adorem eum ;* at insidiis non capientur, qui sunt prudentes et simplices.

Abierunt.

Hic docemur verba non sufficere, sed requiri opera. Nam abeunt in Bethlehem ipsi Magi, Judæis qui viam indicaverant remanentibus. — Deflenda cæcitas! Judæi dum Gentes ad Christum dirigunt, ipsi non accedunt ; dumque ad aliorum salutem cooperantur, se ipsos damnant. Quod idem ne sibi accideret cavebat Apostolus : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. I Cor. IX, 27.

Et ecce stella... videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde.

1° Stella, quæ se occultaverat, iterum apparet : en post desolationem rediens consolatio, en vicissitudo per quam justi a Deo deduci solent.

2° Gaudium justorum, quod est gaudium Spiritus sancti, dici potest *magnum valde*, et velut prægustatum gaudii cœlestis, omnia gaudia Herodis et suorum longe superans... At gustari nequit nisi ab iis, qui ex Herodis aula, i. e. ex mundanis delectamentis egressi sunt.

3° Per consolationem et desolationem, æquali fidelitate justi progredi debent, sicut Magi, in desolatione constantes, in consolatione humiles.

4e Per consolationem enim hanc, Magi ad humiliationem acceptandam, i. e. ad Christum humiliatum agnoscendum et imitandum præparantur.

Usque dum veniens staret supra ubi erat puer.

En conditio ad Christum inveniendum necessaria, humilitas. Nam stella indicat Christi Regis mansionem : quæ non est domus regia, sed humile tugurium. Hujusmodi aspectu Magi fide non deficiunt; sed potius, in illa humilitate Dei sapientiam agnoscunt, et Christum humilem in sua paupertate accipiunt; caput regium sub angusta tugurii porta libenter inclinant, ut Christum, thesaurum suum quem quærunt, inveniant.

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus.

Ingressus Magorum in stabulum plurima exhibet documenta et exempla. — 1° *Intrantes domum* invenerunt : quia ut Christum invenirent Magi, necesse eis fuit egredi e domibus suis, et intrare in domum humilitatis Christi.

2° *Invenerunt,* quia recto corde quæsierunt. Hujusmodi dispositionem supponit Dominus, ubi dicit : *Quærite et invenietis* (Luc. XI, 9). — Quærit etiam Herodes et minime invenit; quia corde perverso procedit.

3° *Invenerunt puerum*, qui est absconditus thesaurus quem concupiscunt. Thesaurus est Christus, Dei Filius, margarita cœlestis, gemma pretiosissima, gemma viva et vivifica, bonum super omne bonum... Sed thesaurus est absconditus : in paupertate divitiæ, in humilitate gloria, in obscuro infantulo latet Rex gloriæ Christus ! Magi thesaurum agnoscunt : fide illustrati puerulum non tantum extrinsecus, sed etiam intrinsecus considerant, ejusque divinitatem venerantur... An ego eadem fide Christum in Eucharistia, in Ecclesiæ ministris, etc. absconditum agnosco? Non enim minora mihi, sed longe majora quam Magis, ad credendum argumenta præsto sunt : nunc enim, Ecclesia in mundo stabilita, *testimonia Domini credibilia facta sunt nimis.* Ps. XCII.

4° Invenerunt puerum cum Maria matre ejus : non enim invenitur Jesus sine Maria, quia mater cum filio nimis conjuncta est. Quicumque ergo invenerit Mariam, inveniet etiam Jesum, fontem vitæ : *Qui me invenerit inveniet vitam.* Prov. VIII, 35.

Hæc ergo docili animo aspicientes Magi, Dei Filium in pauperrimo infante agnoscunt, et quidem fide firmissima et efficaci, quam adoratione et oblatis muneribus manifestant.

Et procidentes adoraverunt eum.

Exemplum religiosæ pietatis. — Magi Christum ut verum Deum adorant ea reverentia interna et externa, quæ Creatori

a creaturis debetur... Quod pietatis exemplum utinam Christiani templa frequentantes semper imitarentur!...

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.

1° Non tantum corde et ore, sed etiam opere Deum glorificare debemus, exemplo Magorum, qui adorationibus munera adjungunt : munera enim opera bona repræsentant.

2° Munera offerunt grata Deo, digna et pretiosa : ut intelligamus, Deo pretiosissima quæque offerenda esse; prout exemplo Abel et Cain a mundi promordiis patuit : *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus; ad Cain vero et ad munera illius non respexit* (Gen. IV, 4).— Quanto quis liberalior erga Deum, tanto Deum erga se liberaliorem experietur. — Porro id quod pretiosius nobis et simul Deo gratius existit, est cor nostrum, i. e. voluntas et libertas nostra : *Præbe, fili, cor tuum mihi* (Prov. XXIII, 26). — *In simplicitate cordis mei obtuli Domino universa.* I Paral. XXIX, 17.

3° Et nobis, non minus quam Magis, conceditur, ut puero Jesu pauperculo dona nostra offerre possimus : in persona nempe pauperum, qui, hac præsertim aspera hiemis tempestate, liberalitatem nostram efflagitant (1).

4° Obtulerunt *aurum, thus et myrrham :* quæ non tantum bona opera generatim, et eleemosynam significant; sed præterea mystica continent fidei et morum documenta, ut quis et qualis Christus sit, et quomodo a nobis colendus, intelligamus. -1) Christum esse Regem, significatur auro; Deum ac Sacerdotem, thure; myrrha vero, hominem mortalem, pro mundi salute moriturum, sepeliendum et resurrecturum : myrrha enim mortuorum corpora condiuntur, ut maneant incorrupta. — Ita quod corde credunt Magi operibus profitentur. -2) Aurum præterea est charitas; thus, oratio ac devotio; myrrha, mortificatio : ut intelligamus excellentissimam ac

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 32, schema 6, *de charitate erga egenos.*

Deo gratissimam esse charitatem, per orationem et mortificationem fovendam. -3) Aurum quoque voluntariam paupertatem designat; thus, holocaustum voluntatis seu obedientiam; et myrrha, carnis mortificatæ incorruptionem seu castitatem: quæ tria, ut patet, consilia evangelica constituunt. — Nos ergo, exemplo Magorum, de cordis, de fidei nostræ thesauro mystica munera offeramus.

5° Christus, ex sua parte, non tantum accepit oblata, sed et reddidit pro muneribus munera, pro humanis divina; ipse enim dixit : *Date, et dabitur vobis.* Luc. VI, 38.

Et responso accepto in somnis.

En cura ac providentia Dei de justis sibi confidentibus.

1° A Deo peculiari providentia reguntur, eo quod, humana prudentia seposita, sese simpliciter Deo, omnino et non ex parte commiserunt : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit* (Ps. XXII). — *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ps. XC.

2° Responsum accipiunt *in somnis,* ut intelligamus quam tranquille quiescant justi, Domino interim de ipsis curam agente : *Dominus sollicitus est mei.* Ps. XXXIX.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

En mutatio vitæ. Nos similiter, postquam invenerimus Christum, in regionem nostram, hoc est, in paradisum ire debemus; sed per viam aliam ab ea qua prius ambulavimus: non jam per viam periculorum, vitiorum, superbiæ, etc.; sed per viam humilitatis, puritatis et sanctæ prudentiæ incedendum nobis est : donec in regionem nostram, ubi Christum in sua gloria regnantem videbimus, perveniamus.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

—

Luc. II, 42-52. Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi : consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos : et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate et gratia apud Deum et homines.

Explicatio prima.

—

Evangelica lectio mysterium exhibet remansionis Jesu in Jerusalem, cum annos natus esset duodecim; nec non vitæ ejus absconditæ, usque ad ætatis annum trigesimum. Tribus partibus distingui potest.

I. *Jesus remanet Jerosolymis.*
II. *Invenitur a parentibus in templo.*
III. *Revertitur cum parentibus in domum Nazareth.*

—

Quum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi: consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem.

Dicit Evangelista, puerum Jesum, ætatis suæ anno duodecimo, cum parentibus Jerosolymam ad festa paschalia celebranda venisse, quando mysterium contigit quod narraturus est. Dominum autem et antea et post, idem religionis officium præstitisse non negat; imo potius insinuare videtur his verbis : *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ;* et istis : *Erat subditus illis... et proficiebat sapientia.*

Similiter existimari potest, sanctam familiam, non solum in festo Paschæ, sed etiam in festis Pentecostes et Tabernaculorum, prout lege præcipiebatur, Jerosolymam venisse.

Secundum consuetudinem diei festi. — Consuetudo probabiliter erat, ut plures familiæ simul turmatim iter facerent, præsertim ubi a longe veniendum esset, v. g. a Nazareth, quod oppidum quatuor circiter dierum itinere, seu triginta leucis a Jerosolyma distabat.

Consummatisque diebus. — Sensus est : Cum Joseph et Maria septem Azymorum dies rite celebrassent, quemadmodum lege præceptum erat, cumque egressi e civitate *redirent.*

Remansit puer Jesus in Jerusalem : quod quidem non errore aut casu aliquo, sed certo divinoque consilio factum esse intelligendum est. Etenim, inter alias rationes sapientissimas, voluit Christus adolescens sapientiæ suæ publicum quoddam specimen dare, ut tempore prædicationis, opinione aliqua præparati animi facilius ejus doctrinam reciperent. Timeri namque poterat ne, si postea Dominus, annos natus triginta, de improviso ad docendum prodiisset, homines admirarentur potius quam crederent, et multo magis opponerent hæc : *Unde huic sapientia hæc et virtutes* (Matth. XIII, 54) ? et : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* Joan. VII, 15.

Et non cognoverunt parentes ejus.

Nulla hic negligentia intercessit aut incuria ex parte parentum, cum hi prudenter existimarent, puerum *in comitatu esse*. Etenim cum omnes Judæi ad festum paschæ Jerosolymam confluerent, turmatim venire et redire solebant. In eo igitur *comitatu* Nazarethanorum civium, cognatorum præsertim, et amicorum, putabant parentes puerum esse ; ut ex eventu colligitur : inter eos enim solos dicuntur Jesum quæsivisse. Quod autem expresse dicit Evangelista : *Existimantes esse in comitatu*, ideo videtur addidisse, ut a parentibus omnem negligentiæ culpæque suspicionem removeret (Maldonat.).

Peculiaris tamen providentia supponenda est, ut Maria, quæ veluti oculos non habebat nisi ad videndum thesaurum suum Jesum, hunc, dum Jerosolyma discederet, potuerit non videre. Jesus sane, qui ex consilio Patris, ibi solus manere volebat, tali modo sese oculis parentum absconderit, ut hi nullatenus ejus absentiam potuerint suspicari.

Ex parte autem Jesu, prudentia fuit ut consilium suum parentes celaret : ne vel inobediens videretur, si ipsis negantibus remaneret ; vel, si annuerent parentes et cum eo manerent, eorum præsentia impediretur, quominus id quod ad æterni Patris gloriam facere decreverat, præstare posset. Aliæ præterea sic agendi rationes Domino fuerunt, quæ in *explicatione secunda* aperientur.

Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.

Appropinquante scilicet nocte, cum absorpti forte cœlestibus colloquiis aut meditationibus, Maria et Joseph ad stationem seu hospitium pervenissent, credebant, ut erat verosimile, puerum, relicta societate cognatorum, ad se cœnandi et hospitandi causa venturum; quem cum venire non viderent, quærere cœperunt *inter cognatos et notos.*

Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo.

Quanta anxietas! quanta sanctis parentibus tristitia! Quid facient? Inquirendum utique ulterius, iter relegendum erat Jerosolymam; cum autem nox adesset; exspectandum fuit in crastinum. Nocte itaque insomni transacta, statim *regressi sunt;* per viam passim, præsertim in hospitiis, *requirentes eum*, nec quemquam non interrogantes: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Cant. III, 3.

Diem itaque alterum in remetiendo pridiano itinere consumpserunt; et die tertio (a discessione ab Jerosolyma) quæsiverunt puerum in sancta civitate. Probabiliter quidem domos adierunt ubi de Jesu aliquid scire possent; mox tamen ad templum, ubi eum esse magis sperare poterant, gressus direxerunt.

Invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

Invenerunt puerum in una ex aulis exterioris atrii, ubi legem interpretari solebant doctores. Ad hunc locum, ubi multitudo instar concionis congregata erat, sanctissimi parentes cum accessissent, statim in turba, quasi stellam in tenebris, suum Jesum viderunt:

Sedentem in medio doctorum; audientem illos, et interrogantem eos. — Sedebat divinus puer in audientium subselliis, non doctoris, sed auditoris personam agens : tum audiendo, tum explicationis causa interrogando, et vicissim quæstionibus, quæ sibi tanquam discipulo proponebantur, respondendo. — Ita tamen personam discipuli Dominum egisse Evangelium innuit, ut dum interrogatus responderet, ipsos illos magistros ac doctores suis responsionibus erudiret. Inde stupor audientium.

Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus.

Mirabantur scilicet tum respondendi rationem modestissimam, tum responsionum rectitudinem et respondentis intelligentiam, qui longe sublimius quam pro captu ætatis suæ responderet.

Et videntes admirati sunt.

Parentes mirati sunt, non tam sapientiam Jesu, quæ ipsis non erat incognita, quam actionem ejus tam novam : quum eum præter opinionem, in schola templi mansisse viderent.

Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego, dolentes quærebamus te.

Maria filium allocuta est, non quidem statim, atque in ipso publico loco, sed privatim, postquam inde cum Jesu digressa est. — Non Joseph, sed Maria, ut mater, filium suum libere ac pleno jure interrogat.

Fili, quid fecisti nobis sic? — Non accusantis hæc vel reprehendentis verba sunt, sed mirantis atque dolentis. Nec rogat mater *cur* id Jesus fecerit, cum non ignoret eum sancta de causa fecisse; sed cur *ita* fecerit, eo nempe modo ut parentibus insciis fuerit causa doloris : hanc habent vim duo illa verba, *nobis* et *sic*.

Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. — Doluerunt parentes, non quod putarent puerum errasse aut periisse :

sciebant enim Filio Dei nihil hujusmodi accidere posse; sed quia præsentia ejus privati erant.

Et ait ad illos.

Sola quidem mater interrogaverat; sed quia pro se et pro Joseph fuerat locuta, ideo Jesus ambobus respondet, ambos docere volens.

Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

En prima verba quæ prolata leguntur labiis Jesu, Sapientiæ incarnatæ; verba sane Homine-Deo digna, sed quæ dilucidatione aliqua indigent.

1° Responsio Domini reprehensionis quidem speciem habet, non vera tamen reprehensio est. Non enim Dominus parentes reprehendit quod se quæsivissent, quo charitatis pietatisque impleverant officium; sed reprehendentis modo respondet, -1) quia, si parentes scivissent, qua in re, et quam ob curam occupatus esset, eumque a Patris negotiis avocare voluissent, vere fuissent reprehendendi. -2) Ut doceat, utque nos et quicumque audituri sint verbum ejus, intelligant, alterum ipsi esse Patrem, cui potius quam terrenis parentibus debeat obedire. — Ad nostram ergo præsertim instructionem reprehendentis modo respondet Dominus, non ut arguat, sed ut efficacius doceat; quemadmodum nos nonnunquam simulata increpatione docere solemus pueros, etiam quum nullam in illis culpam animadvertimus, ut acrius ad discenda quæ proponimus, eorum animos incitemus. Sic Maldonatus in hunc loc.

2° *Nesciebatis*.... i. e. intelligere poteratis, et sciebatis profecto, me idcirco a vobis recessisse, ut ea quæ pertinent ad opus Dei, Patris mei, mihi demandatum, procurem.

3° Verba *Patris mei* denotant, Jesum loqui ut unigenitum Dei Filium.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

Sensus est : Non intellexerunt quænam essent illa Patris negotia, nec quomodo Domini commoratio in templo ad ea spectarent. Porro Patris negotia erant, ut Christus per prædicationem et mortem suam, hominum Doctor et Redemptor efficeretur : quæ res initiali hac sapientiæ manifestatione quasi remote præparabatur.

Non quidem plane *intellexerunt* parentes verba Filii Dei, sed fide viva et humili sensum adorarunt profundum, quem iis contineri sciebant. — Hinc divinum adolescentulum cum gaudio manibus ducentes, venerunt feliciter in Nazareth.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth; et erat subditus illis.

Licet tanta sapientia præditus, ut parentum disciplina nequaquam indigeret, imo jam docendi munus inchoare posset in Jerusalem; cum parentibus tamen in obscurum oppidum Nazareth reversus est, iisque subditus mansit.

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo.

Cum de Maria sola, non de Joseph Evangelista dicat, eam dicta factaque Christi animo recondidisse, duo eum significare voluisse intelligimus : -1) singularem fuisse Mariæ diligentiam in observandis Verbi incarnati mysteriis; et -2) majorem quamdam fidem et cognitionem, unde illa proficiscebatur observatio. Quia nimirum magnam in Christum tanquam incarnatam Sapientiam habebat fidem, quidquid videret ab eo fieri, velut divinum documentum colligebat.

Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.

His verbis Evangelista summatim totam Jesu vitam complectitur usque ad ætatis annum trigesimum; simulque insinuare videtur quam mirabilis facta sit Jesu sapientia, cum tanta jam existens in puero duodenni, postea, per annos

octodecim, continuis progressibus creverit. — Toto illo tempore videtur divinus juvenis in officina fabrili cum S. Joseph laborasse, usque ad patris nutritii obitum ; deinde per se solum aliquandiu artem fabri exercuisse, ut colligitur ex Matth. XIII, 55 : *Nonne hic est fabri filius?* Et Marci VI, 3 : *Nonne hic est faber, filius Mariæ?* Et Joan. VI, 42 : *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem?*

—

Explicatio secunda.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim.

Exemplum educationis filiorum totiusque familiæ sanctificandæ.—1° Humilitatis velum, quo vita Domini absconditur, Evangelista aliquantulum removet, ut Jesum duodennem, i. e. adolescentem, tanquam junioris ætatis exemplar contemplari possimus. Imo totius sacræ familiæ sanctuarium aperit, ut normam familiæ perfectæ et felicis, normam bonæ filiorum educationis, virtutes parentum et virtutes filiorum proprias mundus videre atque imitari possit (1).

2° Quam jucundus, quam suavis ac amabilis esset ille divinus adolescens, enarrari nequit ; solo corde ac meditatione sancta sentiri aliquatenus potest. Etenim modestia, amor ac reverentia erga parentes, pietas, in omnibus officiis diligentia, imo sancta quædam et nunquam deficiens amœnitas, quæ intuentium oculos et corda mirifice traheret, non tam angelica in Jesu quam divina, ac prorsus ineffabilis erat (1).

Ascendentibus illis Jerosolymam, secundum consuetudinem diei festi.

Parentes Jesu secundum legem, statis temporibus, a Nazareth, itinere non exiguo, ascendunt Jerosolymam, in templum Domini ; et secum ducunt puerum, qui, ubi primum per ætatem valuit, parentes in domum Domini sequitur.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 12.

1° Monentur hic patres et matres officii sui gravissimi circa puerorum educationem, verbis et exemplis procurandam. Exemplum hic datur parentibus, ut ipsi Deum colant, omniaque religionis officia impleant, et idem facere pueros suos a teneris annis, tum verbo tum exemplo instituant. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Thren. III, 27.

2° Exemplum pueris, ut Christi docilitatem, modestiam, etc. imitentur.

3° Exemplum præbetur omnibus hominibus : exemplum nimirum pietatis in Dei cultu, tum debito tum supererogatorio.

4° Imago hæc est vere christianæ ac felicis familiæ, in timore Domini coadunatæ.

5° Ascendunt in templum, i. e. in domum Dei, quæ -1) domus orationis est; -2) sanctuarium, ubi sacrificia et sacramenta peraguntur; -3) schola sancta, ubi scientia divinæ legis accipitur.... ut scilicet nobis oratio, participatio sacrificii et sacramentorum, atque auditio verbi Dei commendetur.

6° Ad templum Domini, veræ devotionis, etc. symbolum, non sine aliquo labore *ascenditur*... at vero, qui a Maria et Joseph deducitur velut parvulus, ille profecto facilius perveniet.

Remansit puer Jesus in Jerusalem.

A terrenis parentibus, etsi dilectissimis, se separat, ut Patris sui cœlestis voluntatem atque opus perficiat, et remaneat in templo Domini. — 1° Non recedit Christus a suis parentibus, nisi propter Patrem cœlestem, cui super omnia obedire debet.

2° At, Patre vocante, non potest ullo humanæ dilectionis vinculo retineri : ut doceat nos, -1) Deum omnibus quæ nobis carissima sunt præferre; cultumque et legem Dei ipsorum parentum obsequio, si illud Deo contrarium sit, anteponere. -2) Ut pueros doceat semetipsos vincere, dura quædam sustinere, quatenus in Dei lege permaneant. -3) Ut pueros quoque doceat, a parentibus suis ob profanas aut malas causas non recedere, nec in locis periculosis hærere...

(1) Infra, *in festo S. Joseph*, part. I, 5° *de beatitudine* sancti Joseph.

Et non cognoverunt parentes ejus.

Sanctissimi parentes cum Jesum absentem esse cognovissent, eum quærere cœperunt, et post triduum cum gaudio et admiratione invenerunt in templo : exemplum exhibentes animabus afflictis, ut probationem quamvis duram sancte sustinere discant.

1° Parentes *Jesum perdunt :* Jesum perdere magnum sane est infortunium ; quod quidem accidit -1) proprie, per peccatum mortale. -2) Improprie Jesus perditur quoad præsentiam et consolationem sensibilem, quando in anima quidem manet, sed in tenebris et ariditatibus ejus veluti absconditus : quod accidit, vel propter hominis negligentiam et teporem, vel etiam sine hominis culpa, ex mera Dei dispositione, ut exerceatur virtus.

2° Parentes Jesum perdunt *absque ulla sua culpa :* -1) utinam et ego nunquam culpabiliter Jesum perderem, sed omnem curam ad eum conservandum assidue adhiberem ! Utinam periculum vitarem, atque in pietatis exercitiis et vigilantia constanter persisterem ! -2) Licet sanctissimi sint Maria et Joseph, dolorem tamen portare debent : quia quasi aurum in fornace probat electos Dominus, *et quos diligit castigat.* Hebr. XII, 6.

3° Jesum perditum *quærunt statim, diligenter, perseveranter...* -1) Sic peccator, si perdendo gratiam sanctificantem, Jesum perdidit, thesaurum hunc statim quærat oportet : *Quærite Dominum, dum inveniri potest* (Isai. LV, 6). Quærat, sincera contritione dolens ; quærat, mutando iter suum, i. e. agendi rationem ; quærat in templo, i. e. in oratione et sacramentis, ubi inveniet thesaurum suum cum gaudio, eumque caute in posterum custodire discet. —2) Sic justus, afflictione probatus, ne despondeat animum ; sed omni humilitate, patientia ac diligentia, in bonis operibus, oratione, etc. perseveret : certus, fore ut post breve tempus, desolationi consolatio succedat.

4° *Invenerunt eum,* non inter cognatos, nec in itinere, nec in plateis, etc. Jerosolymæ ; sed *in templo* tantum : ut intelli-

gamus, Jesum ejusque gratiam, non in carnalibus, humanis, curiosis, mundanis solatiis inveniri; sed in templo, hoc est, in rebus spiritualibus.

5° Invenerunt eum *post triduum :* i. e. non statim, sed neque post longum tempus : *Modicum et videbitis me.* Joan. XVI, 16.

6° Invenerunt eum in templo *cum gaudio et admiratione :* ut intelligamus, quantam jucunditatem animæ sanctæ in templo inveniant : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli* (Gen. XXVIII, 17). — *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!...* Ps. LXXXIII.

Invenerunt illum sedentem in medio doctorum, audientem et interrogantem.

Jesus, ex Patris mandato, mansit in templo Dei, ubi et orationi et acquirendæ scientiæ vacavit, doctorum aulam adeundo. In hujusmodi autem schola sancta, *sedet* tranquillus, *audit* docilis, quæ minus intelligere videtur, humiliter ac reverenter *interrogat ;* atque ipsemet interrogatus perfecte *respondet :* adeo ut modestiæ, scientiæ, reverentiæ, laboris, omnium demum virtutum, quæ adolescentiam ornare debent, specimen præbeat. — En speculum, quod si intueantur parentes et pueri, facile videbunt quæ vitia emendanda, quæ virtutes sint colendæ, ut quis adolescens evadat perfectus, et ad vitæ curriculum vere gloriosum præparetur.

Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

Exemplum familiaritatis cum Deo, et sanctæ filiorum correptionis. — 1° Mariæ verbum nequaquam querela est, sed cordis manifestatio, qua animæ sensus, sancta quadam familiaritate, amantissimo Filio significet. — Sic in sinum amicissimi Jesu, cor nostrum effundere licet : *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra.* Ps. LXI.

2° Verbum Mariæ breve est, humilitatem, patientiam, dilectionem spirans... Hinc parentes artem discant sapienter corripiendi filios (1).

(1) Cf. *Adjumenta,* Argum. 12, sect. 2 part. 5, *de castigatione filiorum.*

Quid est quod me quærebatis?

1° Verbum istud specietenus amarum, reipsa suavissimo amore informatur : nihil enim Domino gratius est, quam ut semper et in omnibus eum quæramus : *Quærite faciem ejus semper* (Ps. CIV). — *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum* (Thren. III, 25). — Hinc intelligamus, Deum, etiamsi asperius subinde nos corripere videatur, nihilominus amore vere paterno nos diligere.

2° *Quid*, inquit, *me quærebatis?* Non opus est ut me quasi absentem quæratis : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* (Matth. XXVIII, 20). — *Vos in me, et ego in vobis* (Joan. XIV, 20). — Divina hic præsentia insinuatur : non enim longe est Dominus ab unoquoque nostrum, et facile cernitur ab iis qui fide viva et corde puro eum quærunt : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. V, 8) : Deum scilicet non tantum in cœlis, sed jam hic in terra *videbunt* ubique præsentem.

Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

1° Ego Sapientia æterna et humanæ perfectionis exemplar, non alia in re quam in Patris cœlestis negotio occupari debeo : non in puerilibus ludis, non in mundanis curis, quæ ad æternitatem non pertinent, etc.

2° Patris negotium, illudque solum, i. e. quidquid ad gloriam Dei et salutem animarum, quidquid ad Ecclesiam, religionem, proximorum ædificationem, etc. spectat; quidquid non mere temporale, sed æternum est, illud totum et nihil aliud : en Christi, en Christiani negotium peragendum.

3° *In hoc* eum *esse* oportet : ita ut ex animo totisque viribus huic negotio incumbat, ac sese penitus devoveat.

4° *Oportet :* quare? — Omni ex ratione : -1) ratione missionis, seu vocationis, sive quis simplex fidelis, sive sacerdos sit. -2) Ratione gratitudinis erga Deum. -3) Ratione propriæ felicitatis, quam ibi certo, alibi nequaquam inveniet.

Et ipsi non intellexerunt verbum.

Hinc discamus humilitatem intellectus. — Quid enim sum ego, ut omnia intelligere velim? Deus est abyssus et oceanus sapientiæ : quæ mihi de sua scientia communicare dignatur, fide viva ac docili debeo accipere ; illa vero humiliter nescire velle, quæ mihi abscondere voluerit, *in captivitatem redigendo intellectum meum in obsequium Christi.* II Cor. X, 5.

Et erat subditus illis.

1° En exemplum obedientiæ, non tantum pueris, — non tantum domesticæ familiæ, — sed et societati civili, totique humano generi præstitum.

2° In obedientia auctoritati præstita, fundamentum ordinis ac proin felicitatis omnis consistit.

3° In hoc simplici verbo *erat subditus illis*, plurima continentur, quæ positis nonnullis quæstionibus perpendi poterunt. -1) Quis obedit? -2) Quibus personis? -3) Quando? -4) Quamdiu? -5) Quibus in rebus? -6) Quonam modo, tum quoad executionem externam, tum quoad internam intentionem, atque submissionem voluntatis et intelligentiæ? -7) Quare demum ita obedit ille qui omnibus imperare deberet?... Nonne ut mundum, per inobedientiam perditum atque subversum, ad obedientiam revocando repararet? *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. II, 8.

Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo (1).

Et Jesus proficiebat.....

En obedientiæ fructus : qui enim animo docili parentibus ac superioribus quibusvis subditi sunt, illi *proficient*, sicut Christus, *sapientia, et ætate, et gratia, apud Deum et homi-*

(1) Vid. Evang *Nativ. Domini, ad auroram,* Luc. II, 19, supra, pag. 93 et 95.

nes (1). — Hic quoque docemur quid sit *progressus* verus et bonus, et quomodo semper progredi, nec unquam gradum sistere, multoque minus retrogredi debeamus in hoc brevi vitæ curriculo, juxta exemplum Apostoli, dicentis : *Unum autem : quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Phil. III, 13.

(1) Cfr. *Dom. infra octav. Nativ.* ad Luc. II, 33, 40, supra, pag. 130 et 136.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM [1].

Joan. II, 1-11. — Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit; et quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

(1) *Festum SS. Nominis Jesu,* huic Dominicæ affixum, proprium Evangelium habet Luc. II, 21; ut supra, in *Circumcisione Domini*, pag. 145.

Explicatio prima.

Evangelista hoc loco primum Christi miraculum refert, quo, inter convivium nuptiale Cana, aquam in vinum commutavit; utque facti fidem augeat, tempus, locum, personasque rei testes accurate describit.

I. *Miraculi occasio.*
II. *Miraculi patratio.*
III. *Ejusdem effectus.*

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.

Nuptiæ illæ, ut textus Joannis habet, factæ sunt *die tertia :* quæ dies tertia intelligenda est, postquam Jesus ex deserto Judææ ubi jejunaverat, in Galilæam rediit; et referenda videtur ad initium mensis Martii. — Locus autem additur ubi contigit ut nuptiæ fierent, nempe in *Cana Galilææ :* quod oppidum prope Capharnaum, nec longe a Nazareth situm, a Cana Sidoniorum distinguendum est.

Et erat mater Jesu ibi.

Ideo probabiliter aderat B. Virgo, quod in vicino oppido Nazareth habitaret, et sponsorum cognata esset, ac propterea invitata. Non quidem expresse dicitur fuisse invitata; sed id satis intelligitur, atque particula *et* sequentis sententiæ implicatur : *Vocatus est* ET *Jesus.*—*Vocata*, inquit Euthymius, *tanquam familiaris, ab his qui nuptias celebrabant.* Simon enim Cananæus, unus de duodecim Apostolis, qui, ut multi existimant, erat hic sponsus, fuit filius Cleophæ, fratris S. Joseph, ideoque B. V. Mariæ affinitate propinquus. — De S. Joseph ipso probabiliter idcirco mentio non fit, quia jam obierat, ut ex hoc loco colligit S. Epiphanius.

Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias.

Indicare videtur Evangelista, Christum propter Matrem, discipulos propter Magistrum vocatos fuisse, eo quod Domi-

nus et discipuli tunc temporis forte in Cana supervenissent : adeo ut ipsi inopinato et præter convivarum numerum fuerint invitati. Qua circumstantia simul Evangelista docet, miraculum, quod narraturus est, non fuisse ullo artificio præparatum; cum nemo de miraculo patrando a Jesu, qui non exspectabatur, potuerit cogitare. — Discipulos adfuisse dicit, ut intelligamus quam plurimos miraculi fuisse testes. Discipuli autem erant quinque recens assumpti, et in superiore Cap. a Joanne indicati : nimirum Petrus, ejus frater Andreas, Philippus, Nathanael, et quintus quem Evangelium non nominat.

Ne mirum videatur quod Christus, quantumvis invitatus ierit ad nuptias, rationes considerandæ sunt, cujusmodi inter alias fuere : 1° ut, nuptias divina sua præsentia honorando, matrimonii sanctitatem significaret; 2° ut sub auspiciis suis ac sanctissimæ Matris suæ, nuptias celebrandas esse ostenderet; 3° ut ibi, salutaria nobis documenta præstando, et fidem in cordibus augendo, opus ac gloriam Patris sui promoveret.

Et deficiente vino....

Fortassis ideo defecit vinum, quod sponsi non essent divites, et quod convivarum numerus major factus esset quam fuisset prævisum. — Id cum primum animadvertisset benignissima Mater Jesu, inclinans se Filio sibi assidenti, submissa voce locuta est.

Dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent.

Maria his verbis, charitate ac prudentia plenis, a Filio suo miraculum petit. Nam 1° ex una parte, ægre ferebat, benignissima Virgo hospitibus suis vinum deficere, præsertim cum forsitan sua Filiique sui causa defectus accideret : quare indigentibus auxiliari omnino cupiebat.

2° Ex altera parte, non ignorabat Filii sui tempus instare, ut beneficia omnigena atque miracula spargeret; quare petitionem a se proponi posse intellexit. — Sanctissima autem verba ejus ita explicare licet : *Cum optimis hospitibus nostris*

vinum deficiat, et jamjam tempus miraculorum tuorum instet, atque miraculi patrandi opportunitas offeratur; peto a te, Fili mi, ut, si Patris tui consilia non obstent, vini defectum supplere velis.

Et dicit ei Jesus : Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.

1° Verba Domini, juxta quosdam, ita vertenda sunt : *Quid ad nos, o mater, illud pertinet, quod vinum deficiat?* — Juxta communiorem autem et probabiliorem sententiam, Vulgatæ versio recta est, et sic intelligenda : *Quid mihi tecum commune est, o mulier? Quare miraculum petis? necdum venit hora miraculo faciendo opportuna.*

2° Quæ responsio duriuscula primo intuitu videtur, et increpatoria : sed tantum reprehensionis speciem habet, vera reprehensio non est. Imo lingua syro-chaldaica, qua Dominus usus est, solummodo formam, eamque humanissimam negationis continet (1), his verbis æquivalentem : *Non tecum, mater, hac in re consentio.*

3° Sensus autem explicatior sic enuntiari possit : *Noli, o mulier veneranda, in materia miraculorum et missionis Messianæ, ullum in me quasi maternum influxum exercere : hic enim solum Patris cœlestis ductum agnosco ac sequor.*

4° Quibus verbis reprehensio non inest, sed tantum aliqua reprehensionis species. Non enim est reprehensio, cum nulla in Virginis petitione culpa reperiretur, et illa ipsa petitio mox a Jesu fuerit impleta. — Est tamen aliqua reprehensionis species, qua fere loquendi ratione alias, nempe cum duodennis puer in templo a parentibus inveniretur, usus est (2). Instructionis scilicet verba sunt, non propter Virginem, quæ iis non indigebat; sed propter circumstantes et propter nos dicta. Hujusmodi enim respondendi forma ostendere voluit, se non humano, non carnis et sanguinis respectu, sed ex sola voluntate Patris, ex pura charitate, et ut sese suamque missionem declararet, miracula facere (3).

(1) Beelen, *Novum Testam.* flandr. adnot. in hunc loc.

(2) Cfr. supra, *Domin. infra octav. Epiph.* ad Luc. II, 49, pag. 165.

(3) Cf. Toletus in hunc loc.

5° Neque ideo dicendum est, Dominum suæ Matris, ejusque petitionis respectum nullum habuisse, ut illud in Cana miraculum patraret : habuit sane, sicut etiamnum habet, cum ad sanctissimæ Genitricis suæ preces miracula facit ; sed charitatis respectum habuit, non carnis : i. e. petitione quidem motus est, non quia petitio Matris, sed quia charitate erat animata, et ad puram gloriam Patris tendebat : atque illud ipsum responsione sua Christus significare voluit.

6° Hinc intelligitur, quare Christus hoc loco Mariam, non *matrem*, sed *mulierem* appellaverit : nempe ut a se omnis carnalis affectus in sacro suo ministerio suspicionem removeret. De cætero, nomen *mulieris* valde honorificum est, quoties illo Dominus mulierem illam alloquitur quæ benedicta est inter mulieres; quod patet ex Joan. XIX, 26 : *Mulier, ecce filius tuus !* Hæc enim verba protulit Christus, cum filiali officio matrem supreme honorare vellet.

7° *Nondum venit hora mea,* i. e. nondum tempus nec momentum, quo secundum Patris consilia, id quod petis facere possim.—Quæri potest, cur ergo miraculum fecerit, si tempus nondum venisset? Respondet Chrysostomus et alii Patres : non venerat quum Mater petivit, venerat cum Christus fecit, modico licet intervallo. Exspectavit nempe quoad omnes qui aderant cognovissent vinum defecisse, quo miraculum clarius esset ; idque ipso responso innuit : *Nondum venit hora mea.* Non enim dicit se non facturum, sed potius se *sua hora*, suo tempore facturum indicat; quo sensu responsum a Maria intellectum esse, ex verbis sequentibus patet. Nam advocatis ministris sanctissima Mater dixit :

Quodcumque dixerit vobis, facite.

His verbis Beatissima Virgo res ad futurum miraculum præparat; et consequenter patet, 1° eam non fuisse a Filio reprehensam : secus enim non amplius de miraculo cogitaret; 2° eam ex Christi responso probe intellexisse, suam orationem esse exauditam, et Dominum miraculum esse facturum; 3° non tantum de futuro miraculo, sed etiam de modo quo illud Christus facturus esset, notitiam aliquam

habuisse : secus enim suspicari non poterat, fore ut Christus aliquid ministris præciperet, quibus sane ad faciendum miraculum non indigebat. Hujusmodi porro notitia Mariæ oriebatur e spiritu prophetiæ, quo Christi Mater nequaquam caruisse censenda est.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

1° Hydriæ *secundum purificationem Judæorum*, i. e. vasa aquam continentia, quia Judæi, præsertim Pharisæi, juxta traditiones suas, inter epulas religionis causa sæpius manus lavabant. — Vasa describuntur minutatim : sunt *aquaria*, ad lotionem Judæorum de more illic posita ; valde magna, alia duas, alia tres *metratas* continentia. *Metreta* porro, ut probabilius æstimatur, circiter *triginta litris* nostratibus æquivalebat. Demum sunt hujusmodi vasa numero sex.

2° Hæc omnia eo pertinent, ut miraculi veritas et magnitudo innotescat; cum 1) vasa sint talia, ut in eis vinum non esse manifestum sit ; 2) sint magna et multa, ut donum vini copiosum esse, et Deo dignum intelligatur. — Dicit itaque Jesus ministris :

Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

1° Hydriæ implendæ, vel omnino, vel fere vacuæ censentur.

2° Implendæ præcipiuntur ministris, non ab ipso Christo implentur, ut omnis suspicio fraudis procul absit, et miraculi magnitudo pateat, quod mero actu voluntatis Christi, sine ulla externa ejus operatione perficietur.

3° Quæri potest, quamobrem Dominus non sine aqua, ac sine ulla materia vinum fecerit, qui mundum ex nihilo creaverat? — Resp. 1) Ut facilius miraculum crederetur : nam si ex nihilo vinum fecisset, phantasma existimari potuisset; cum autem viderunt omnes illam ipsam aquam, quam suis oculis aspexerant, in vinum conversam, miraculum negare non po-

tuerunt. -2) Propter significationes mysticas ac morales, quæ infra exponentur. — Porro præcipienti Jesu obediunt ministri :

Impleverunt eas usque ad summum : Impleverunt nempe hydrias ita, ut nec vinum, nec alius liquor addi posset, ut certius miraculum esset.—Impletis hydriis, rursus alloquitur Dominus ministros, dicens :

Haurite nunc, et ferte architriclino.
Et tulerunt.

1° Jubentur *haurire*, et quod haurient erit vinum : jam enim per omnipotentiam Dei tota aquæ quantitas in vinum versa est.

2° Haurite *nunc*, i. e. statim. Jubentur statim haurire, ut eo majus atque evidentius miraculum appareat. Majus quidem erit quo breviore tempore, i. e. eo quod uno momento, ex aqua vinum fuerit factum. Non enim solent quæ natura fiunt, repente, sed certis temporum spatiis fieri ; Deus autem, qui a tempore non pendet, in momento quidquid vult, facit. Hanc igitur habet vim illud *nunc*, quasi diceretur : haurite statim, ne quis putet mora temporis, aut artificio, aut vi quapiam naturali, conversam esse in vinum aquam.

3° *Ferte architriclino*.. Vir erat architriclinus qui convivio præerat, non quidem tanquam dominus, sed tanquam œconomus, tanquam primus inter ministros, ordinans ac disponens omnia quæ ad convivium pertinerent ; animadvertens ne quid cuiquam deesset. Præcipuam autem curam habebat vini.

Porro architriclino Christus vinum ferri jussit, duabus de causis : -1) quia ejus officium erat vinum prægustare atque distribuendum curare ; -2) ut is, cum sobrium haberet gustum, utpote mensæ non accumbens, testis simul atque judex optimus esset, non aquam, nec qualecumque vinum, sed vinum esse verum ac præstantissimum.

Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam...

1° *Aquam* dicit Evangelista, quia paulo ante aqua erat, et ut indicet unde vinum factum est. Simili prorsus modo corpus Christi Eucharisticum quandoque panis vocatur : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est* (I Cor. X, 16)? Sic etiam virga Aaronis, in serpentem conversa, virga tamen appellatur, quia antea virga fuerat : *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* Exod. VII. 12.

2° *Gustavit*, i. e. non tantum visu, nec odoratu, sed etiam gustu certior factus est.

Et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam...

1° Gustatum scilicet vinum invenit esse insolitum ; nesciensque unde esset allatum, miratus est. Quæ miratio a divina Providentia eo dirigitur, ut architriclinus interroget, sponsumque alloquatur, atque ita optimo modo miraculum prodat. Nam si nihil architriclinus dixisset, existimare convivæ poterant vinum illud non factum ex aqua, sed aliunde venisse; nec ministris contra testantibus facile credidissent. Nihil autem fortasse architriclinus dixisset, si vini originem non ignorasset.

2° Si quæratur quomodo rem ignorare potuerit architriclinus, qui ipse semper omnibus intentus adesset? dicendum : præscindendo a peculiari Dei providentia, vir ille, cum huc illuc ad necessaria procuranda discurreret, quæ a Christo dicta et a ministris facta fuerant, aliis occupatus potuit facile non videre.

Vocat sponsum architriclinus, et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit; et quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est : tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

Obstupescens itaque architriclinus vocat sponsum, ut ei rem aperiat; et existimans eum, se inscio, vinum illud reservasse, dicit : *Servasti bonum vinum usque adhuc.*

Hæc verba : *Quum inebriati fuerint*, significant : quum fuerint *exhilarati*. Ebrietas enim sæpe in Scriptura vocatur potus liberalior mentem exhilarans, sed rationis usu non privans. Quod si convivæ hi vere fuissent ebrii, Jesus utique eis aquam in vinum non mutasset, sed potius fine potionibus imposito, eos domum amandasset.

Tu servasti bonum vinum usque adhuc.

Sensus est : Servasti vinum præ cæteris, quæ jam ut optima data sunt, *bonum*. Hinc liquet generosissimum fuisse illud vinum, utpote opus Christi ac Dei : *Dei* enim *perfecta sunt opera*. Deut. XXXII, 4.

Omnia hæc concinne acta fuere a Christo et ordinata, ut testatius et celebrius evaderet miraculum. Architriclinus enim vocavit sponsum, sciscitans unde esset inexspectatum hoc vinum? Ille se nihil de eo scire respondit : quare ambo, a ministris rei seriem intelligentes, adierunt hydrias, quas omnes eodem vino generoso plenas repererunt. Quare in Jesu auctoris, suique benefactoris, laudes erumpentes, ipsi ingentes egere gratias, ac miraculum convivis omnibus enarrarunt et celebrarunt.

Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ.

Sensus est : Hoc miraculum fuit primum quod Christus publice patravit, ad fidem prædicationi suæ faciendam. — Quare autem miraculum istud Dominus voluit esse primum? R. -1) Quia aptissimum erat ad hoc, ut missio ipsius divina per totam Galilæam cum gaudio et favore innotesceret. -2) Ut eo intelligeretur, ipsum esse naturæ moderatorem, qui vinum in vineis producit, virtutem tribuendo viti ut aquam in uvarum succum convertat. -3) Ut significaret, aquam Veteris Testamenti jam esse in vinum Evangelii mutandam, Legem in Gratiam. Lex enim vetus, velut aqua, *infirma* tantum *et egena* continebat *elementa* (Gal. IV, 9); lex vero nova, Evangelica, spiritu et gratiæ virtute pollet. -4) Ut intelligeremus, omnia dona Domini per Virginis Matris intercessionem nobis esse largienda.

Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.

Manifestavit *gloriam*, i. e. omnipotentiam et divinitatem in se latentem. — *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, i. e. confirmati sunt in fide, qua jam credebant in Jesum tanquam Messiam, *quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ.* Cap. sup. versu 45.

Explicatio secunda.

Nuptiæ factæ sunt.

Mysterium nuptiarum.—1° Nuptiæ *temporales*, etsi virginitati cedunt, bonæ tamen sunt, dummodo christiana mente contrahantur et celebrentur.

2° Nuptiæ *spirituales* sunt nuptiæ charitatis, quæ in Ecclesia, et in animabus sanctis, et in cœlesti paradiso fiunt; in quibus Christus, non tantum conviva, sed sponsus est : ipse Sponsus animarum nostrarum, quibuscum in unum spiritum conjungitur, secundum illud : *Qui adhæret Domino unus spiritus est* (I Cor. VI, 17). Hujusmodi nuptiæ, quamdiu hic in terris peraguntur, multarum rerum defectu laborant, quæ a Christo, intercedente ejus sanctissima Matre, supplentur.

Vocatus est et Jesus.

1° Vere prudentes, simulque beati sponsi, qui Jesum et Mariam ad suas nuptias atque in domum suam invitant, ut cum cœlestibus convivis epulentur et gaudeant; atque ita exemplo Christianos docent, matrimonium nuptiasque sanctificare. — Quam multi, ubi de matrimonio agitur, Jesum excludunt, diabolum invitant!... Quam multi sine Jesu gaudia quærunt! *Justi epulentur et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia* (Ps. LXVII). — Porro Jesum et B. Virginem invitare, quid aliud est, nisi actionem quam facturi

sumus, in eorum honorem et sub eorum auspiciis incipere, atque ita peragere ut ipsis placere possit?

2° Beata Virgo cum Filio suo ire non recusant : quare? -1) Non quidem propter se, nec ob sensualia delectamenta, sed ob solam rationem charitatis et gloriæ Dei : quia invitationem acceptando beneficium hominibus præstare, et opus Dei promovere poterant. Sic verus Christi discipulus debet esse *omnibus omnia factus, ut omnes faciat salvos* (I Cor. IX, 22). -2) Ut doceant, sanctitatem non excludere recreationem honestam. -3) Ut doceant nos officia omnia, illa etiam quæ infima videri possint, sanctificare : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (I Cor. X, 31). — *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* (Rom. VIII, 28). -4) Si Jesum et Matrem ejus pio corde invitamus, ut nempe quælibet nostra negotia, dummodo honesta sint, assistentia sua juvent et sanctificent, non denegabunt.

3° Hic quoque docemur sobrietatem in conviviis servandam. Quæ enim convivia præsente Jesu et Matre ejus ac discipulis celebrantur, illa profecto omni sobrietate et modestia carere nequeunt.

Deficiente vino.

1° Vinum symbolum est -1) omnis gratiæ, et cujuscumque virtutis, qua anima prædita esse possit (1). -2) In particulari, figurat fortitudinem, generositatem in divino famulatu, charitatem, atque illum amorem divinum, quo quis captus et inebriatus, oculis mundi quasi stultus efficitur, crucem Domini mundanis opibus præferendo : *Calix meus inebrians quam præclarus est!* Ps. XXII.

2° *Vinum deficiens* imago est indigentiæ, miseriæque nostræ, qua ex nobismetipsis omni virtute caremus, omnibus rebus deficimus : *Quia sine me nihil potestis facere* (Joan. XV, 5). Utinam hanc paupertatem nostram cognoscamus!

Dicit mater Jesu ad eum.

1° En B. Mariæ Virginis intercessio, in necessitatibus nostris tam feliciter parata, et semper imploranda.

(1) Cf. *Adjumenta,* Argum. 32.

2° En Mariæ, Matris nostræ ac Reginæ, bonitas et potentia. — *Bonitas* demonstratur eo quod Maria -1) temporali inopiæ occurrenti, statim, non rogata, subsidium quærat; et quidem -2) per viam miraculi, non enim aliud medium suppetebat; idque -3) tunc, quum nondum ejus Filius miracula patrare voluisset.

Potentia patet -1) eo quod petitionem impetret, et quidem sola necessitatis indicatione; -2) eo quod impetret insigne miraculum, cum non haberet, qua Mater, ullum jus, ad hujusmodi rem a Filio impetrandam...

Vinum non habent.

Breve Mariæ verbum documenta et exempla plurima continet. — 1° Docet nos indigentiam nostram : virtutes christianas, fortitudinem, humilitatem, charitatem non habemus, idque fortassis nescimus : *Quia dicis : quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper et cæcus et nudus.* Apoc. III, 17.

2° Exhibet virtutes Virginis a nobis imitandas : charitatem, — pietatem, — fiduciam : non habet oculos benignissima Virgo, nisi ad videndam inopiam hominum; non habet cor, nisi ad compatiendum, et ad exquirendum levamen; non habet linguam, nisi ad Jesum exorandum : ideo apud Filium pro indigentibus intercedit, nondum opem rogantibus; quid faciet pro implorantibus?... — Plenissima cum fiducia solummodo necessitatem aperit, non dubitans, quin Cordi Jesu benignissimo illud sufficiat. Simili modo sorores Lazari deprecabantur pro fratre, dicentes : *Domine, ecce quem amas infirmatur.*

3° Orabo Mariam, ut et pro me eadem verba pronuntiet : vinum humilitatis, patientiæ, etc. non habet... Etenim si sic movetur maternum cor ob inopiam temporalem, quanto magis ob inopiam spiritualem animæ movebitur?

Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.

1° Responsio specietenus aspera, imo quasi negativa; reipsa tamen amore plena, et concessionem continens : ut

discamus -1) quomodo Dominus amantissimus supplicantium sibi, imo sanctissimarum animarum patientiam, constantiam, humilitatem, fiduciamque exercere soleat; -2) quomodo non minus increpando quam consolando nos diligat.

2° Maternum Virginis ab opere Patris sui influxum Christus removet : ut doceamur ab influxu carnis et sanguinis nos expedire, et Dei voluntati ac beneplacito, non alicui commodo carnali obedire in faciendo bono; multo vero magis, respectui humano non obsequi ad faciendum malum.

3° *Nondum venit hora mea.* At mox hora Domini aderit ut auxilietur nobis, dummodo in fiducia et oratione perseveremus. Hanc quidem horam nos quidem non cognoscimus : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (Act. I, 7); verumtamen ut plurimum, hora auxilii esse solet hora necessitatis magnæ vel extremæ : Dominus enim *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Ps. IX.

Quodcumque dixerit vobis, facite.

1° His verbis Maria exemplum præbet modestiæ et humilitatis, fiduciæ et magnanimitatis : nam, quamvis multa Filio respondere posset, humiliter tacet, nec se excusat, nec conqueritur, nec pusillanimitate dejicitur; sed fiduciæ plena, exspectat Domini actionem : omniaque disponere satagit, ut actio illa, nullo ex parte hominum obstaculo impediatur.

2° *Quodcumque dixerit vobis, facite :* i. e. ejus mandata, ejus que voluntates omnes implete : illud totum et nihil aliud...— Idem dicit nobis Maria : Facite quidquid dixerit Jesus, non vero quod dixerit mundus et concupiscentia vestra.

3° Et en conditio, ad omnia per intercessionem Mariæ impetranda, ut Filii ejus mandata servemus, prout ipse dixit : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* Joan. XV, 7.

4° Hic quoque monemur de obedientiæ integritate, Dei mandatis præstanda : *Quodcumque dixerit vobis, facite.*

Hydriæ sex, secundum purificationem Judæorum.

Hydriæ sex purificatoriæ, juxta S. Bernardum, sunt sex virtutes, animam purificantes : compunctio, confessio, eleemosyna, injuriarum condonatio, afflictio corporis, obedientia.

Implete hydrias aqua.

1° Licet neque aqua, neque ministrorum adjumento indigeat, ea tamen adhibet propter nos : ut doceamur, hominis dispositionem et cooperationem requiri. Vult enim Deus, nos illud facere quod est in nostra potestate; et recte effatum habet, *facienti quod est in se, Deus non deerit.*

2° Aqua continet quidem plurima et maxima mysteria, hic autem generatim bonam dispositionem repræsentat, quam ad accipienda Dei dona afferre debemus; et in particulari humilitatem, veramque de peccatis nostris contritionem seu pœnitentiam.

Et impleverunt eas usque ad summum.

1° Impleverunt et tulerunt.... en exemplum obedientiæ, quæ miraculum meretur : *Vir obediens loquetur victoriam* (Prov. XXI, 28). Obedientia illa 1) cæca est : non enim ministri murmurant, nec dicunt : cur aqua fundenda præcipitur, cum non aqua sed vino indigeamus? 2) Eadem obedientia prompta est; et 3) integra ac fidelis.

2° *Usque ad summum :* en imago dispositionis perfectæ : *Omnino, et non ex parte... sine ulla imminutione... — Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Ps. LVI.

3° Quidquid infunditur aquæ mutabitur in vinum; et si plus esset aquæ, plus quoque daretur vini : ut doceamur, Domini beneficia secundum mensuram dispositionis nostræ conferri.

Haurite nunc...

Jam aqua vinum facta est : Christus scilicet omnipotenti sua voluntate omnem illam aquam convertit in vinum opti-

mum.—1° En Domini bonitas et potentia : ita exaudit Matrem, remuneratur hospitum erga se humanitatem, ministrantium obedientiam.... — Tantum prodigium operatur tranquille, sine ostentatione...

2° Idem spiritualiter operatur et operari vult in nobis, aquam nobis convertendo in vinum. Porro aqua in vinum conversa, est nostra infirmitas mutata in fortitudinem ; incredulitas seu exigua fides, in fidem vivam ; nostra tristitia nostræque lacrymæ, in gaudium ; nostra humanitas, in divinitatem, i. e. in adoptionem divinam elevata : *Dédit eis filios Dei fieri.* Joan. I, 12.

3° Hujusmodi præsertim mutationem nostræ humanæ miseriæ in gloriam, operabitur in nuptiis cœlestibus, ubi bibet vinum *nobiscum novum in regno Patris sui* (Matth. XXVI, 29) ; ubi *absterget omnem lacrymam ab oculis nostris.* Apoc. XXI, 4.

4° Aqua in vinum mutata, etiam figura est vini Eucharistici, mutati in verum Domini sanguinem.

5° Hac bonitate et potentia Dominus temporalia quidem, sed multo magis spiritualia largitur : *Qui dat omnibus affluenter* (Jac. I, 5). — *Facile enim est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Eccli. XI, 23.

Ut autem gustavit.

En suavitas servitii et jugi Domini. Architriclinus gustat et miratur, et vinum a Christo datum melius omni alio esse cognoscit ; sic, qui gustaverit Christi, legem, servitium, etc., mirabîtur, et illud bonum super omne bonum esse cognoscet : *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (Ps. XXXIII). — *Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia* (Ps. LXXXIII. — Tunc omnis alius potus, i. e. omnia oblectamenta terrena, insipida et amara fient. — Iis vero qui poculum Domini non gustarunt, contrarium accidit.

Omnis homo primum bonum vinum ponit... tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

En mundana fallacia et Christi sapientia.—1° Mundus enim primum offert blanditias, ac dein quum misere inebriati fuerint ejus poculo, ponit quod amarum est. Similiter mundani et carnales hominès, primum quærunt quæ blanda sunt, deinde vero inveniunt *quod deterius est* : remorsus conscientiæ et Dei vindictam : *Extrema gaudii luctus occupat.* Prov. XIV, 13.

2° Christus e contra, proponit primum quod deterius est : pœnitentiam, crucem, etc; servat autem in posterum gaudia æterna : *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (Joan. XVI, 20). — *Modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.* Eccli. LI, 35.

Et crediderunt in eum discipuli ejus.

Fides, ædificatio omnium, en fructus conversationis Domini et sanctissimæ ejus Matris, cum mundo externo et cum hominibus... En quomodo Maria et Jesus actionem indifferentem, et potius profanam, nuptiarum participationem, sanctificent, et in bonum convertant : ut discamus in rebus omnibus, atque in tota conversatione nostra, proximos ædificare, odorem boni exempli spargendo : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. V, 16.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

—

Matth. VIII, 1-13. Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ : et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris ; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. — Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Jesus : Ego veniam, et curabo eum. Et respondens centurio, ait : Domine, non sum dignus,

---

Marc. I, 40-45. Et venit ad eum leprosus, deprecans eum ; et genu flexo dixit ei : Si vis, potes me mundare. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam, et tangens eum, ait illi : Volo, mundare. Et quum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum, et dicit ei : Vide nemini dixeris ; sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses, in testimonium illis. At ille egressus cœpit prædicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.

Luc. V, 12-14. Et factum est, quum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra ; et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens : Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab

ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis : quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium. Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

---

illo. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret, sed : Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.

Item Luc. VII, 1-10. Intravit Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et quum audisset de Jesu, misit ad eum senieres Judæorum, rogans eum ut veniret et salvaret servum ejus. At illi quum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. Jesus autem ibat cum illis. Et quum jam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine, noli vexari : non enim sum dignus ut sub tectum meum intres; propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur servus meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit. Quo audito Jesus miratus est; et conversus sequentibus se turbis dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. Et reversi qui missi fuerant, domum, invenerunt servum qui languerat, sanum.

Explicatio prima.

I. *Mundatio leprosi.*
II. *Sanatio servi centurionis.*

Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

De monte agitur, ubi Dominus insignem illam concionem habuit, quæ *Sermo in monte* vocari solet, quaque octo Beatitudines docuit et velut summatim totam legem evangelicam promulgavit; quæ res sub medium mensis Maii, anno secundo prædicationis ejus, videtur contigisse.

Cœlestem illam doctrinam cum proposuisset, ut eam altius cordibus imprimeret, miraculis voluit confirmare. Cujus rei efficiendæ occasio mox oblata est. Nam cum descendisset de monte, pergeretque per campestria loca versus Capharnaum, circumdatus turbis populi quæ a tanto Doctore separare sese non poterant, quasque Dominus non solum doctrina sed etiam miraculis erudire volebat, occurrit miser leprosus sanitatem petens.

Et ecce leprosus veniens...

Lepra morbus erat olim, in Syria præsertim, imo etiam hodiedum in variis Orientis regionibus valde frequens. Morbus ille -1) gravissimus erat, totum corpus quasi corrumpens; -2) humanis remediis insanabilis; -3) fœdus, nam lepra tanquam cancer putridus carnem hominis scabritie et sanie maculabat : quare ejus sanatio vocabatur *mundatio;* -4) contagiosus : nam et contactu, et fœtore atque anhelitu leprosi facillime communicabatur; -5) horribilis : nam leprosus facie difformi, naribus dilatatis, lingua turgida, barba et pilis oculorum evulsis, totoque corpore quasi putrescente, tanquam vivum cadaver apparebat.

Leprosi apud ethnicos ejiciebantur in solitudines et silvas, longe ab hominum conspectu et commercio. Apud Judæos, juxta legem Mosaicam, arcebantur a concivium societate, nec sine contaminatione attingi a quopiam poterant; et si peculiari Dei favore sanarentur, non prius restituebantur hominum convictui, quam sacerdotum judicio declararentur sani, et *munus mundationis* obtulissent. Levit. XIV.

Primum miraculum post descensum de monte, Christus voluit esse curationem leprosi, quia lepræ natura optime, per tropologiam, peccati fœditatem et noxam repræsentat; æque ac lepræ curatio, peccati remissionem. Atque ideo Dominus in passione sua, leprosi formam assumpsit, ut lepram animæ nostræ in se susciperet et curaret : *Putavimus eum quasi leprosum.* Isai. LIII, 4.

Adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare.

Leprosus accurrens ad turbas, cum omnes ab ejus contactu fugerent, facile sibi aditum ad Jesum aperuit; cumque accessisset, prostratus ad pedes ejus *adorabat eum*, vera adoratione latriæ. Jesum enim ut verum Deum agnoscebat, quod patet ex verbis : *Domine, si vis, potes me mundare.* Non enim dixit : Si rogaveris Deum, ut Moyses (Num. XII, 13); sed : *Si vis, potes :* significans, eum quem deprecatur, potestatem habere æqualem potestati Dei, qui, *omnia quæcumque voluit fecit.* Ps. CXIII.

Petitio leprosi : *Domine, si vis, potes...* non tantum *fidem*, sed etiam sanctam divinæ voluntati *resignationem* denotat, quasi diceret : Quamvis ardentissime sanari cupiam, tuæ tamen voluntati sanctissimæ me committo. — Tali orationi cor Domini resistere sane non potest : quare statim eam exaudit.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum.

1° Dominus nequaquam legem violat, qua leprosum tangere prohibebatur : tum quia ut legislator, non tenebatur lege sua;

tum quia contra legis mentem non agebat, quæ tantummodo vetabat contactum hujusmodi ob contagionis periculum.

2° Hominem tangere voluit Dominus, licet ad curationem id minime necessarium esset : -1) benevolentiæ causa; -2) in signum visibile operationis suæ; -3) ob documenta et significationes mysticas. — Tetigit autem hominem, simul voce ei respondens ac dicens :

Volo, mundare.

Verborum sensus est : Munderis, esto mundatus. — 1° Christus ex æquo respondet verbis ac petitioni leprosi : dicenti *si vis*, respondet *volo;* dicenti *potes me mundare*, respondet *mundare.*

2° Plus concedit, quam homo expresse petierat, mundando eum non tantum quoad corpus, sed etiam quoad animam. Quos enim Dominus sanavit corpore, censendus est, ut plurimum saltem, sanasse etiam anima (1), ac justos sanctosque effecisse : Dei enim perfecta sunt opera, ejusque liberalitas merita supplicum excedit et vota.

Ex hac operatione SS. Patres Christi divinitatem et humanitatem probaverunt. Unde S. Ambrosius scribit : *Dominus dicit volo, propter Photinum; imperat, propter Arium; tangit, propter Manichæum.* Photinus enim docebat, Christum esse merum hominem, non Deum cui propria est omnipotens voluntas; Arius, Christum minorem esse Patre, ac proin non imperare, sed Patri obedire et supplicari; Manichæus, Christum non habere carnem veram, sed phantasticam, ideoque nec tangere vere posse, nec tangi. Quæ omnia hic Domini tum verbis confutantur, tum factis.

Et confestim mundata est lepra ejus.

Dicendo : *Volo, mundare*, pronuntiavit Dominus breve verbum, sed divinum et efficax. Ecce lepra fugit : neque ulcera, neque difformitas ulla in hominis corpore jam aspicitur; facies colore sano animatur, caro et ossa vitali succo ac vigore replentur : non idem homo sed velut novæ vitæ renatus

(1) Cf. Maldonat. in Luc. XVII, 19.

videtur. — Quanta fuerit turbæ spectantis miratio, Evangelista, ut rem consideratione mentis intelligendam, describere omittit. — Homo vero tam mirifice mundatus, exsultans præ gaudio, animi sensus coram Salvatore effundere sane voluit; Dominus autem ei tempus non reliquit, statim dicendo :

Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.

Dominus 1° mittit hominem ad sacerdotes, ut quæ lege præscripta sunt, impleantur, utque de miraculo juridice constet.

2° Dicendo, *nemini dixeris*, prohibet ne, antequam sacerdotes adiverit, miraculum evulget : præcipue quidem -1) humilitatis causa, at etiam -2) prudentiæ ratione. Si enim rumore acciperent sacerdotes, sanationem leprosi Jesu Nazareno tanquam thaumaturgo tribui, timendum erat, ne, ut erant sinistre erga Dominum affecti, curationem agnoscere non vellent.

3° Quod addit : *In testimonium illis* : id est, vel -1) ut ipsi testimonium publicum de sanatione ferant; vel -2) ut agnoscentes miraculum, testimonium habeant et signum divinæ Jesu missionis; vel -3) ut *munus mundationis* testimonium ferat adversus eos, eosque condemnet, si Christi miracula agnoscere renuant.

4° Obedivit homo sanatus ut iret ad sacerdotem; at vero quomodo obedire potuisset ut taceret? Ait Marcus, eum ita suam sanationem manifestasse, ut undique accurrentes turbæ Jesum ab ingressu in oppidum impedirent. — De cætero silentium homini injunctum, nequaquam ut rigorosa præceptio censenda est; sed potius ut desiderium Domini, et manifestatio humilitatis ejus, quasi diceret : Tantopere ab humana gloria miraculis quærenda abhorreo, ut nolim, quantum ex me, homines illa scire.

Cum introisset Capharnaum, accessit ad eum centurio, rogans eum et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus.

Centurio erat homo ethnicus, dux centum militum ex Romanorum legionibus, qui Judæorum regionem tunc temporis præsidio occupabant.

Lucas (Cap. VII) idem miraculum referens dupliciter Matthæo contradicere videtur.—1° Matthæus enim scribit : *Accessit ad eum centurio;* Lucas vero : *Misit ad eum seniores Judæorum*, ac deinde *amicos*. — 2° Juxta Matthæum centurio noluit ut Dominus intraret in domum suam, et ait : *Domine, non sum dignus...* Secundum Lucam e contra, per legatos *rogavit Christum ut veniret;* et quidem legati addiderunt : *Quia dignus est ut hoc illi præstes.*

Duplicem hanc antilogiam facile solvunt interpretes, dicendo : 1° Quod Matthæus scribit : *Accessit centurio, rogans et dicens :* i. e. non per se ipsum accessit, sed primum per seniores Judæorum, deinde per amicos. — 2° Quod scribit Lucas : *Misit seniores, rogans ut veniret*, sic intelligendum : centurio, eo quod ethnicus esset, cum non auderet Jesum, hominem Judæum, ipsemet adire, misit suo loco Judæos, qui pro se rogarent ut suum servum sanare dignaretur. Hi autem Judæi ex mandato quidem centurionis, sanationem servi petierunt; sed insuper suo nomine addiderunt ista : *ut veniret, quia dignus est : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Cumque Christus revera domum ejus adire vellet, centurio tanto favore indignum se reputans, per amicos dixit illi : *Domine, non sum dignus...*

Puer meus jacet in domo paralyticus et male torquetur.

Puer, i. e. servus, et quidem charissimus, qui centurioni erat instar filii; quare Lucas dicit : *Qui illi erat pretiosus;* adeoque centurio paratus erat maxima suscipere sacrificia, ut hunc hominem servaret.

Paralyticus, et male torquetur : i. e. paralysi subito perculsus, et inde graviter afflictus, vehementer cruciatur : ideo-

que, ut Lucas habet, *moriturus*. — Ægroti a Christo sanati, omnes passim desperati, et naturaliter incurabiles fuerunt. — Porro homini supplicanti Dominus benigne respondet :

Ego veniam et curabo eum.

1° Dominus plus offert centurioni quam ipse petiit : non tantum ut benevolentiam ostendat, sed ut hac oblatione benigna, e corde tam bene disposito verba fidei et humilitatis eliciat quæ sequuntur.

2° Hæc cum responderet Christus ire cœpit ad domum centurionis, ut Lucas indicat : *Jesus autem ibat cum illis.*

Et respondens centurio ait : Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo meo : Fac hoc, et facit.

Scilicet, dignus non sum, quia peccator. — *Sed tantum dic verbo... nam et ego homo sum sub potestate constitutus...* puta sub potestate altiori, nempe tribuni, vel Cæsaris Tiberii, centurio ut præfectus inferior constitutus erat. Est argumentum a minori ad majus, quasi diceret : « Domine, nimia est « tua erga me dignatio ; neque dignus sum ut intres in domum « meam, neque id necessarium est. Etenim, licet absens, « unico verbo jube, et morbus obediens tibi discedet. Unum « utique verbum sufficiet tibi, siquidem id mihi, inferioris « auctoritatis homini, sufficiat. Si enim ego militibus ad « nutum impero, quanto magis tu, o Christe, qui plenam « omnium habes potestatem, morbis imperabis. » — Modo ac stylo militari, mirabilem fidem homo gentilis exprimit. Credit namque Christum esse Deum, aut certe Prophetam eximium, qui nomine Dei rebus omnibus imperet, sicut ipse

Deus, qui *dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt.* Ps. XXXII.

Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

Id est, externum mirationis gestum edidit, et si fieri potuisset, interne etiam miratus esset. At mirationem internam, cum præviam aliquam ignorationem supponat, ratione plenitudinis scientiæ suæ, Christus habere non potuit. — Porro mirationem illam externam ostendit Dominus, ut modo nostro sese accommodaret, et sic occasionem docendi adstantes induceret. — *Non inveni tantam fidem in Israel :* intellige, in communi populo ab initio prædicationis meæ, tantam fidem non inveni.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob in regno cœlorum...

Id est, ab extremis Gentium regionibus venient; — *et recumbent*, i. e. requiescent, seu accumbent quasi in opiparo convivio, cui regnum cœlorum ac cœlestis felicitas sæpe comparatur, ratione quietis, securitatis, lætitiæ, satietatis.— *In regno cœlorum*, i. e. tum terrestri, nempe Ecclesia; tum etiam cœlesti. — *Cum Abraham, et Isaac, et Jacob :* i. e. cum Patriarchis, viris fidei, illi gentiles credentes, tanquam filii eorum et viri Israelitæ in circuitu paternæ mensæ, consociabuntur; quamvis Judæi nunc cum eis, tanquam immundissimis, accumbere abhorreant.

Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Ibi erit fletus et stridor dentium.

Filii regni sunt Israelitæ secundum carnem, quibus tanquam filiis ac hæredibus, regnum cœlorum erat destinatum et promissum; quique primi ac singulariter ad tantum bonum fuere vocati. Locutio *filii regni* hebraismus est sicut *filii mortis* dicuntur qui sunt ad mortem destinati, etc.

Ejicientur in tenebras exteriores : i. e. in tenebras extra cœnaculum diffusas. Convivia enim vespere fieri solebant et lucernis illuminari, cum tenebræ essent extrinsecus. Porro sensu figurato hic significatur gehenna cum suis cruciatibus.

Ibi erit fletus et stridor dentium : per fletum summus dolor, per dentium stridorem summus horror ac furor indicatur. — Ut patet, occasione centurionis, qui gentilis erat, Dominus prædicit Gentium vocationem et reprobationem Judæorum.

Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Hinc videtur quod Christus non sit ingressus domum centurionis, sed in loco colloquii servum sanaverit : ut centurionem in fide confirmaret, et majore miraculo suam divinitatem manifestius ostenderet.

—

Explicatio secunda.

Cum descendisset Jesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.

Jesus modo ascendit in montem, modo descendit ad turbas, quæ Dominum de monte ad se venientem sequuntur : ut discant viri apostolici in montem orationis ascendere, et inde descendere ad laborandum pro populo ; sic enim efficaciter laborabunt, eosque populus audiet et sequetur.

Et ecce leprosus.

En imago, statum peccatoris repræsentans (1) ; et simul exemplum peccatori imitandum, ut ab animæ lepra mundetur.

(1) *Adjumenta*, Argum. 4 et seqq.

1° Spiritualis lepra est -1) peccatum, quod animæ pulchritudinem fœdat, eamque veluti vivum cadaver efficit ; quod peccatorem separet a futuro consortio Dei et Sanctorum in cœlis ; eumque miserrimum reddit, ita ut humanis mediis sanari nequeat. -2) Lepra est speciatim peccatum contagiosum, ut luxuria, hæresis. -3) Lepra est concupiscentia, omnes passiones generosas, omnesque hominis facultates corrumpens. *Non est sanitas in carne mea* (Ps. XXXVII). — *A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas* (Isai. I, 6). — A Christo solo, sed a Christo certissime sanari ac mundari possumus : *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Ps. CII.

2° Ut mundemur, exemplum leprosi imitari debemus : ejus nimirum humilitatem, — fidem, — fiduciam, — pietatem, etc. Novit homo ille suam infirmitatem, eaque cupit liberari ; venit ad Jesum, eum fide viva adorat, fiducialiter deprecatur, humiliter miseriam suam agnoscens...

Domine, si vis, potes me mundare.

Oratio fide viva et perfecta obedientia animata. *Potes :* quantumvis miser ego sum, juvare me tu potes ; — potes facillime, sola voluntate : — potes tu solus : *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV, 12). — *Si vis*, en hominis resignatio, qua se divinæ voluntati totum conformat.

Et extendens Jesus manum.

Dominus orationem leprosi exaudit eumque sanat : en Christi bonitas, misericordia, potentia... Quam ita exercet, ut simul alia nobis insinuet documenta. *Extendit manum*, non ad nocendum, sed ad benefaciendum misero... — *Tetigit eum* : -1) tangendo sanat, quin ipse immunditiem lepræ contrahat ; sic homines spiritu Christi pleni, peccata tollunt quin ipsi peccatorum contagione inficiantur. -2) Dupliciter Dominus peccatorem tangit : exterius, per afflictiones temporales, ut resipiscat : *Quia manus Domini tetigit me* (Job. XIX, 21) ; interius, movendo animam ad veram compunctionem de

peccatis : *Dominus respexit Petrum... Et egressus foras Petrus flevit amare.* Luc. XXII, 62.

Volo, mundare.

1° Vult nostram salutem et animæ mundationem : dummodo nos velimus, neque obstaculum opponamus. *Qui omnes homines vult salvos fieri.* I Tim. II, 4.

2° Vult efficaciter : *Et confestim mundata est lepra ejus ;* ut nos discamus *velle* serio et efficaciter : *Amicus Dei esse si voluero, ecce nunc fio* (August.).—Magis utique benignissimus Dominus meam felicitatem vult quam ego ipse : *Jerusalem, Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Matth. XXIII, 37.

3° Si Dominus tam benigne lepram corporalem sanavit, multo magis animæ lepram sanare vult. Cuilibet ergo venienti ad se peccatori dicit : *Vade, et ostende te sacerdoti ;* quam conditionem si impleverit, mundabitur lepra ejus.

Ostende te sacerdoti et offer munus.

Quæ duo officia Dominus a leproso requirit, a nobis similiter postulat.—1° Debemus ostendere nos sacerdoti, sinceram peccatorum confessionem instituendo.

2° Offerre debemus munus nostrum Deo, quod munus aliud non est quam gratitudo, observatio legis divinæ et bonum exemplum.

Accessit ad eum centurio.

Exemplum plurimarum virtutum nobis centurio exhibet : -1) fidei, quam Dominus ipse miratus est ; -2) humanitatis et piissimæ charitatis erga servum suum ; -3) humilitatis, qua se indignum fatetur Dominum in domum suam recipere ; -4) pietatis ac fiduciæ, qua Jesu opem implorat. — Hinc discant heri ac patresfamilias curam suis famulis impendere ; —prælati vero, inferiorum emendationem et salutem a Christo suis precibus impetrare.

Puer meus jacet in domo paralyticus.

1° Servus paralyticus imago est animæ nostræ ægrotantis ; et speciatim, per teporem in divino obsequio languentis ac pigræ.

2° Imago est inferiorum nostrorum, spiritualiter languentium, quorum curam gerere debemus.

Ego veniam et curabo eum.

En Domini bonitas et potentia. 1° Petitionem statim concedit, imo plus offert quam petitur.

2° Peculiari bonitate vult adire domum, propter petentis fidem et humilitatem quam intuetur.

3° *Ego veniam :* idem nobis dicit et offert benignissimus Dominus, in omni necessitate ad eum confugientibus : *Qui sanat omnes infirmitates tuas* (Ps. CII). Idem præsertim dicit et offert communionem Eucharisticam recepturis.

4° *Ego veniam :* id quoque dicunt Christi discipuli, qui Magistri benignitatem erga fratres suos afflictos imitantur.

Domine non sum dignus...

Verba pulcherrima, fide et humilitate plena : quæ nos eodem sensu proferre debemus, præsertim ubi ad sacram Communionem accedimus ; prout Ecclesia, eadem verba suo ritu usurpando, nos docet.

Nam et ego homo sum...

En exemplum auctoritatis efficacis, et promptæ obedientiæ.

1° Centurio imperat bene : quia ipse sub potestate constitutus, suis præfectis obedit ; unde hasce regulas docemur : Si vis bene præesse, disce prius bene subesse et obedire ; — si vis bene corpori et sensibus imperare, disce intelligentiam et voluntatem submittere Deo.

2° Milites centurioni obediunt : sic nos superioribus et Deo in omnibus prompte obedire debemus ; — superioribus, inquam, obediendum, non servis, non passionibus... At multi, e contra, non obediunt Deo, et serviunt passionibus, quæ ty-

rannico modo imperant, dicentes : Vade ; et vadit... Quo vadit impulsa passionibus nobilis anima?...

3° Centurio est quilibet homo, qui suis membris, sensibus, viribus et potentiis quasi militibus præest, ut militent et serviant Deo. *Militia est vita hominis super terram* (Job. VII). Quare si quis in te sensus languet et minus obedit, atque paralysi gulæ, acediæ, luxuriæ, superbiæ, etc. laboret, Jesum adeas ut cureris.

Audiens autem Jesus miratus est.

En quid miretur Dominus : non principatum, gloriam militarem, vel divitias, etc, quæ in conspectu ejus velut umbra sunt aut flos decidens ; sed hanc fidem miratur, hanc æstimat...

Non inveni tantam fidem in Israel :

Id est, tantam fidem non inveni in populo electo, in iis qui præ cæteris gratia donati sunt, et fidem vividiorem habere deberent... Ut caveant illi qui plus gratiæ acceperunt, ne ab aliis fide et virtutibus superentur.

Multi ab Oriente et Occidente venient...

En verba quæ simul consolationem et salutarem timorem nobis dare debent. —1° Etenim nos illi sumus homines beati, quos designat Dominus, ut filiorum regni locum occupemus.

At 2° jam ut filii regni constituti, timere et cavere debemus, ne ingrati simus et alios vicissim nobis substitui mereamur. *Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* II Pet. I, 10.

Filii regni ejicientur.

Illi scilicet ejicientur, qui non sicut filii hæredes regni vixerint.

Filii regni cœlorum sunt Christiani, — ac præsertim sacerdotes et religiosi, qui peculiari modo vocati a Deo, peculiares gratias acceperunt ; sed curent oportet ut acceptis gratiis respondeant... Qui filius regni es, fac opera regno, opera

cœlo digna ; si vocaris ad habitandum cum angelis, vive ut angelus : sic enim Christus Judæis dixit : *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Joan. VIII, 39.

Sicut credidisti fiat tibi.

Quibus verbis Dominus fidei pretium et necessitatem iterum commendat. Non dicit : *Sicut petiisti* fiat, sed *sicut credidisti :* ut intelligamus propter fidem ac fiduciam gratias concedi. — *Sicut* indicat proportionem inter fidem et obtinendam gratiam, adeo ut dici possit : *Quanta speras, tanta impetras.* Cui veritati consonat illud : *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.* Ps. XXXII.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

Matth. VIII, 23-27. Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

Marc. IV, 35-40. Et ait illis in illa die, quum sero esset factum: Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi; et aliæ naves erant cum illo. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens; et excitant eum, et dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus? Et exsurgens comminatus est vento et dixit mari? Tace, obmutesce. Et cessavit ventus; et facta est tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

Luc. VIII, 22-25. Factum est autem in una dierum, et ipse adscendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et adscenderunt. Et navigantibus illis obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At illi surgens, increpavit ventum et tempestatem aquæ, et cessavit; et facta est tranquillitas. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis, putas, hic est, quia et ventis et mari imperat, et obediunt ei?

Explicatio prima.

I. *Procella Christo dormiente exorta.*
II. *Procella Christo imperante sedata.*

Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.

Rediens Dominus ab excursione quadam evangelica, quam mense Martio, sub finem primi prædicationis suæ anni peregerat, cum venisset ad mare, prope Capharnaum, ascendit in naviculam Petri, ex qua turbas in littore stantes docuit usque ad vesperam, i. e. donec dies in vesperam declinaret (1). Tunc dimissa concione, præcepit discipulis ut secum stagnum trajicerent, versus regionem Gerasenorum. Navigarunt ergo in altum mare, sequentibus aliis naviculis, quæ Dominum comitari voluerunt; cœlo sereno, et præsenti Jesu nullum sane periculum suspicantes. Cumque navigarent, Dominus labore diurno fatigatus, in puppi, ut paululum quiesceret, sacra membra posuit, moxque obdormivit. Interim autem cœli marisque facies mutatur.

Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus.

Ecce, subito, exorta est procella, et quidem vehemens : *Motus magnus... ita ut navicula operiretur fluctibus.* Quod quidem mirum videri possit præsenti Domino. Factum est autem illud, non casu, sed ipso Domino permittente, imo per causas naturales excitante, 1° ut discipulorum laborem, constantiam, etc., exerceret; 2° ut tempestatem sedando, potentiam suam ostenderet, et hominibus fidem inderet; 3° ut magna nobis documenta exhiberet.

(1) Cfr. infra, Evangel. *dominicæ IV in Quadrag.*, ad Joan. VI, 5.

Obscuritate involuti et fluctibus jactati, discipuli sane id omne fecerunt quod gnavi nautæ in procella facere solent : tum ramis, tum gubernaculo, tum funibus et velis, tum sentinæ operam dantes. At neque solertia neque conatibus vim procellæ vincere potuerunt, et in eo erant ut mergerentur : nam *fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis;— et periclitabantur.* Cum ergo viderent instantem sibi mortem, confugerunt ad Christum.

Ipse vero dormiebat.

In maximo ventorum et fluctuum sonitu, *erat ipse in puppi super cervical dormiens.* Qui quidem somnus sponte a Christo assumptus est; verus tamen somnus, nec simulatus fuit, et, non obstante tempestate, naturalis. Mirum autem videtur quod dormiret dominus, -1) in tanta procellæ agitatione, et -2) in tanto sui et discipulorum periculo. At permisit sibi somnum hunc obrepere, 1° ut magna corporis sui defatigatio intelligi posset; 2° ut pateret animi sui tranquillitas; 3° ut eo magis discipulorum fides exerceretur.

Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum dicentes : Domine, salva nos, perimus.

Discipuli ergo, cum fluctuum violentiæ suis viribus non jam resistere possent, essentque perituri; venerunt ad Jesum, qui vi procellæ expergefieri non potuerat, et suscitaverunt eum clamantes et enixe ejus auxilium implorantes : *Domine*, inquiunt, *salva nos, perimus.* Quid ergo, num derelinquis nos? *Non ad te pertinet quia perimus? Domine, salva nos.* Quibus verbis una cum strepitu aquarum insonantibus, expergefactus Dominus trepidantibus discipulis dicit :

Quid timidi estis, modicæ fidei?

Fides hic intelligi potest proprie dicta, vel accipi pro *fiducia :* hanc enim parit acuitque fides.

Lucas efficacius habet : *Ubi est fides vestra?* quam scilicet ostendistis, omnia pro me relinquendo, nunc autem amisisse videmini. — Marcus dicit : *Necdum habetis fidem?* ni-

mirum fidem firmam, quam tot operibus meis sane merui.— Discipuli credebant quidem et confidebant, cum in hoc periculo a Jesu auxilium peterent; credebant autem imperfecte, quippe qui Domino præsente, vehementius timerent; ideo non dicit Dominus fidem eorum esse nullam, sed *modicam*.

Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

Benignitas Domini diutius discipulos in angustiis relinquere non valet. Quare surgens, ad naviculæ marginem procedit, et divinis oculis intuens mare fervidum, omnesque tempestatis vires veluti dimetiens, inter mugitus elementorum, omnipotentem vocem attollit imperans mari et dicens : *Tace et obmutesce*.

1° Loquitur Dominus rebus inanimatis, ut ventis, mari, morbis, etc., 1) ut pateat ejus omnipotentia, qua creaturis omnibus æquali potestate imperat; 2) ut insinuetur, morbis, aliisque flagellis sæpe malos spiritus subesse : quare calamitates a Davide vocantur *immissiones per angelos malos* (Ps. LXXVII). Sic etiam Deus locutus est ad serpentem. Gen. III.

2° Hanc potentiam Christus exercet, ut se verum Deum et hominem demonstret : qui enim modo dormiebat ut homo, hic imperat ut Deus.

Porro mandante mundi Domino, sine mora obediunt omnia : venti fluctusque conquiescunt, et facies aquarum tranquilla efficitur : *Facta est tranquillitas magna*. — Quæ mutatio subitanea, ac proin prorsus insolita, non tantum Apostolos, sed eos quoque homines qui in aliis navibus erant, summa replevit miratione; imo etiam sancto quodam terrore, ob divinæ quam videbant potestatis manifestationem.

Porro homines mirati sunt, dicentes : Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

Homines hic designantur, non discipuli, sed illi vectores qui in aliis navibus erant. Cui interpretationi non obstat Luc. VIII, 25 : *Qui timentes mirati sunt*, quod ad discipulos referri videtur; nam textus græcus φοβηθέντες δὲ ἐθαύ-

μασαν, indicat homines indeterminatos, timentes et mirantes. — *Qualis est iste?* Non interrogationis sed mirationis verba sunt, quæ miraculi evidentiam et magnitudinem denotant; id enim ex integra exclamatione patet : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*

Explicatio secunda.

Ascendente Jesu in naviculam.

1° Navicula Christum vehens est Ecclesia : quæ procellis agitari potest, perire non potest, quia Dominum vehit cui mare et venti obediunt.

2° Navicula Christum vehens, est etiam quæcumque anima fidelis et sancta, quæ in mediis procellis timere non debet.

3° Navicula est omnis homo fragilis, — item omne regnum, — omnis humana societas, navigans in mari hujus mundi, ubi tempestatibus pulsari et mergi potest, nisi Christum Dominum vectorem possideat.

4° Navicula in qua Christus quiescit ac dormit, ex mente venerabilis Bedæ, lignum crucis est, qua secure fideles cum Christo devecti, ad portum salutis pervenient.

5° Christus in animæ naviculam ascendit, quando ejus lex et sanctissima voluntas efficaciter ab homine suscipitur.

Motus magnus factus est in mari.

1° Procella naviculam vexans, est quævis adversitas,— tentatio, — perturbatio, — persecutio, Ecclesiam vel animam, sive interne sive externe concutiens. Procellæ hujusmodi non exoriuntur nisi Deo permittente : permittit autem -1) ob nostra peccata; -2) ob nostram negligentiam, qua Christus quasi dormit in corde, quum scilicet fides et fervor charitatis languescunt; -3) ut probet nos, nostramque patientiam, fiduciam, fervorem, omnemque virtutem exerceat : *Nam virtus in infirmitate perficitur.* II Cor. XII, 9.

2° Qui tentatione ceu tempestate pulsatur, nautas conetur imitari : et -1) vela contrahat voluptatum, detque se jejunio et pœnitentiæ ; -2) fugiat a scopulis in altum mare, i. e. mundana pericula evitet, et ad Deum, velut salutis asylum recurrat ; -3) sicut nautæ vasa et merces projiciunt in mare, ut navim onere levent : ita tentatus, per contritionem et confessionem, animum a peccatorum pondere alleviet ; -4) sicut navarchus, ita qui in tentatione versatur magno consistat animo, et media omnia ad evadendum periculum exquirat et adhibeat.

3° Procellas sæpissime generant indomitæ passiones : quas proinde homo subigere cum Dei gratia debet, ne naufragium patiatur (1).

Ipse vero dormiebat.

Dormitione Domini, tum animæ languor figuratur ; tum etiam, respectu justorum, apparens Dei oblivio, sed vigil semper Providentia.

1° Dormit in anima nostra Dominus, quando tepidi sumus, fide et charitate languescimus, Dominum ejusque monita obliviscimur. « Audisti convicium ? inquit Augustinus (2), ven-
« tus est ; iratus es ? fluctus est. Vento igitur flante, fluctu
« surgente, periclitatur navis, periclitatur cor tuum, fluctuat
« cor tuum... ecce vindicatus es, et malo alieno cedens fecisti
« naufragium. Et quare hoc ? Quia dormit in te Christus.
« Quid est : dormit in te Christus ? oblitus es Christum : exci-
« dit tibi quia ipse, cum crucifigeretur, dixit : *Pater, ignosce*
« *illis, quia nesciunt quid faciunt.* Excita ergo Christum, re-
« cordare Christum... Quod autem dixi ad iracundiam, hoc
« tenete regulariter in omnibus tentationibus vestris : nata
« est tentatio, ventus est ; turbatus es, fluctus est ; excita
« Christum, loquatur tecum. »

1° Dominus *in tempestate* dormiens, est imago -1) hominis justi, in tribulationibus externis tranquilli et securi. -2) Item justi, in tribulationibus internis positi, et quasi a Deo derelicti : quando videtur abiisse Jesus, licet maneat in medio

(1) *Adjumenta*, Argum. 15.
(2) Homil. 3, inter. 17, tom. 10

ejus; obdormivit scilicet paulisper, nec audire videtur orationem : mox autem, suo tempore, exsurget et opitulabitur. Mirum enim videri potest quod, non obstante præsentia Domini, navicula tempestate pulsetur; et sic monere nos voluit Dominus, ne cum adversitate pulsamur, ideirco putemus ipsum longe esse a nobis. Beata anima in quovis periculo, si Jesum in se possidet. 3) Item, Dominus in tempestate dormiens, imago est justi cujuslibet in hoc mundo vexati, donec in die obitus ejus surgat Jesus, fluctus compescat, et servo suo tranquillitatem faciat magnam.

3° *Supra cervical dormiens :* cervical in quo Christus dormit mystice est, -1) bona conscientia; -2) resignatio in Dei voluntatem; -3) obedientia; -4) fiducia de Dei ope et providentia : in hac enim justus in quavis adversitate, securus quiescit et quasi indormit.

Et suscitaverunt eum.

Exemplo discipulorum docemur in omni necessitate ad Dominum recurrere, eumque orationibus invocare.

1° Etsi enim discipuli reprehensibiles sint, eo quod præsente Domino expavescant; recte tamen eum suscitant et in auxilium vocant, dicentes : *Domine, salva nos, perimus.*

2° Iisdem verbis et nos, in periculo constituti, Domini opem implorare debemus.

3° Et nos oportet Dominum, ubi dormire videtur, excitare; oratione ferventi tanquam clamore valido eum appellando; pœnitentia, eleemosyna, aliisque operibus bonis, ejus misericordiæ quasi vim inferendo, et dicendo : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas in finem... Exsurge, Domine, adjuva nos; et redime nos propter nomen tuum.* Ps. XLIII.

Quid timidi estis, modicæ fidei?

Hic monemur de fiducia in Deo nunquam amittenda.

1° Reprehenduntur merito discipuli, quod, cum Dominum vehant, pavore perturbentur; qui enim cum Domino est, nihil habet quod timeat, et dicere cum Psalmista debet : *Etsi*

ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ps. XXII.

2° Id unum timeant et caveant servi Dei, ne fiduciam in Domino amittant.

3° Causa pusillanimitatis, timoris, etc. est fidei defectus : qui enim fide viva apprehendit, Dominum esse -1) præsentem et omniscientem, -2) omnipotentem, -3) ad auxiliandum paratissimum, quomodo pavere posset?

Tunc surgens imperavit ventis et mari.

1° En bonitas Domini, qui discipulos, licet imperfecta fide supplicantes, exaudire non renuit.

2° En potentia Domini ac Dominatoris creaturarum omnium : mare, fluctus, homines eorumque passiones, eventus omnigeni imperio ejus subjacent : ita ut simplici verbo omnia mutare, compescere possit...

3° Sic nos debemus fluctibus et ventis, i. e. pravis animi affectibus et cupiditatibus nostris imperare : quod possumus quidem, sed tantum per auxilium gratiæ, ac per virtutem Christi, cui soli mare et venti obediunt.

Et facta est tranquillitas magna.

1° Confidant ergo justi in tribulationibus positi : nam post tempestatem succedit tranquillitas.

2° Justorum in hac vita tranquillitas consistit, -1) in bona conscientia ; -2) in conformitate cum divina voluntate, ubi propria voluntate alligata, sola Christi Domini voluntas in eorum corde regnat ; -3) in obedientia ; -4) in humilitate : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Matth. XI, 29.

3° Fiet justis tranquillitas magna post hanc vitam, ubi requiescent a laboribus suis in Sabbato æterno : *Relinquitur sabbatismus populo Dei... Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* Hebr. IV, 9, 11.

Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

1° Sic mirabilis est homo, qui per Christi gratiam passionibus suis imperat : *Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Prov. XVI, 32.

2° Ille, cujus imperium admirantur, idem est qui *factus est obediens usque ad mortem :* ut discamus, -1) hominem illum habiturum efficax imperium in suos subditos, qui prius imperium obtinuerit in suas passiones : et -2) habiturum imperium in suas passiones, qui obediens erit Deo, et Christi humilitatem ac mansuetudinem imitabitur : *Reges gentium dominantur eorum... Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. XXII, 25.

3° Exemplum quoque obedientiæ homini datur a ventis et mari, Christi voci obtemperantibus. Imitare, o homo ! ventos et mare : obtempera Creatori. Jussionem Christi mare audit, et tu surdus es... Quod si, ut servus fidelis, Domino tuo obedieris, idem Dominus exaltabit te in regem in die retributionis, quum dicet servis suis : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Matth. XXV, 34.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

—

Matth. XIII, 24-30. Dixit Jesus turbis parabolam hanc : Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Quum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis, imus, et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem ; et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum (1).

(1) Ibid. v. 36-43. Tunc, dimissis turbis, venit in domum ; et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis : Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni ; zizania autem filii sunt nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem ; et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat

Explicatio prima.

—

Secundo prædicationis suæ anno, circa mensem Julium, cum Dominus e navicula ad littus maris Galilææ doceret turbas, varias proposuit parabolas, præsertim seminantis (1), zizaniorum, grani sinapis et fermenti : quibus regni cœlorum, i. e. Ecclesiæ atque Evangelii mirabilem indolem declaravit. Ex illis parabolis secunda est zizaniorum, quæ hodierno Evangelio prælegitur, et duas exhibet partes :

I. *Quomodo zizania in bona segete seminentur.*
II. *Quid de zizaniis sit faciendum.*

—

Simile est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo...

Sensus est : Similiter agitur in regno cœlorum atque in agro, in quo seminat homo bonum semen, inimicus vero ejus superseminat zizania. — Regnum cœlorum Ecclesiam terrestrem hic designat, in qua sola homines mali, qui zizaniorum nomine indicantur, inveniri possunt.

Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

Inimicus seu *inimicus homo,* i. e. homo quidam patrifamilias inimicus, qui omni modo ei nocere studebat, callide venit cum homines custodes agri dormirent : nempe de nocte, vel alia hora, sed certo clam et secreto, quod maleficis consuetum est ; *et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.*

Zizania, i. e. omne genus herbæ sterilis et nocivæ, lolium, speciatim vero illud quod bono frumento non est absimile, et cum eo facile confundi potest, donec spicas emiserit.

(1) Infra, *Domin. Sexages.* ubi vide præambulum.

Quare additur : *Cum crevisset herba* : i. e. cum crevisset tota seges, *et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.* — Quod cum mox vidissent servi custodes agrorum, rem cum dolore domino nuntiarunt.

Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit.

Dominus facile rei causam intellexit, quare illico respondit : *Inimicus homo hoc fecit*, i. e. non alius quam inimicus meus id fecit, ut fructum agri mei corrumpat. — Tunc servi pro fidelitate sua remedium domino proponunt, dicentes :

Vis, imus, et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem...

Sinite utraque crescere, ne, scilicet tollendo jam zizania. *eradicetis et triticum*, quia utriusque radices inter se implicantur. — Utraque ergo crescant *usque ad messem* : tunc separabuntur, zizania quidem injicienda igni, triticum autem horreo imponendum : *In tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.*

Qui seminat bonum semen, est Filius hominis (1).

Filius hominis, id est, Messias, Christus, qui per excellentiam *filius hominis* seu *homo* est, et hoc nomine aliquando in Vetere Testamento designatur : *Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat* (Dan. VII, 13).—*Et vidi, et ecce... nubes magna, et ignis involvens...*

(1) Hæc parabolæ interpretatio, ab ipso Domino discipulis tradita (Matth. XIII, 36-43, supra pag. 221, ad calcem), licet in hujus Dominicæ Evangelio non contineatur, paucis tamen hic visa est dilucidanda.

et in medio ejus similitudo quatuor animalium... et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper (Ezech. I, 4 seqq.). — *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ; et super filium hominis, quem confirmasti tibi.* Ps. LXXIX, 18.

Quod dicit: *Ager, est mundus:* hoc est, ager, semine conserendus, non tantum est Judæa, sed universus terrarum orbis, omnesque gentes, in quas Evangelii semen mitti et Ecclesia sese extendere debet.

Bonum semen, hi sunt filii regni; zizania autem filii sunt nequam.

Filii regni, i. e. veri Christi fideles, Ecclesiæ catholicæ filii, hæredes, si perseverent, regni gloriosi cœlorum. Hi sunt *bonum semen*, i. e. fructus boni seminis, quod est verbum Evangelicum. Eo rectius *homines*, et præsertim *filii* vocantur *semen*, quod nomen seminis passim in Scriptura, sensu generationis, sobolis, etc. adhiberi solet: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (Gen. III, 15). — *Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii.* Rom. IX, 7.

Filii nequam, i. e. filii patris qui nequam et malus est, nempe diaboli.

In consummatione sæculi mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala...

Scandala hic vocantur omnes mali, qui fecerint iniquitatem, et quovis modo, sibi vel aliis fuerint causa lapsus ac offensionis, seu scandalum. Isti colligentur *de regno Christi*, id est, de medio eorum qui regnum ejus in terra, seu Ecclesiam militantem constituerunt. — *Et mittent eos in caminum ignis*, hoc est, in infernum, in ignem æternum: *Ibi erit fletus et stridor dentium.*

Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Opponitur pœnæ malorum gloria justorum in regno Dei glorioso, quod jure, tanquam filii atque hæredes regni, in die retributionis consequentur.

Qui habet aures audiendi audiat.

Sensus est : Qui habet aures ad audiendum aptas, audiat. Quod effatum metaphoricum sensu proprio significat : *qui intellectum habet, eo utatur.* Hoc monito Dominus attentionem et considerationem audientium excitare solet.

—

Explicatio secunda.

Parabola zizaniorum quatuor imprimis veritates significare Dominus voluit : 1° in Ecclesia militanti, non solum esse bonum semen, i. e. homines bonos et justos ; sed etiam semen malum, i. e. homines malos et peccatores ; — 2° se non esse mali seminis auctorem, sed boni, malum enim a diabolo seminatum ; — 3° non statim sese tollere ac punire malos, sed patienter usque ad judicii diem tolerare ; — 4° in die messis, seu judicii, malos a bonis separatum iri, diversa omnino sorte, in æternum.

Qui seminavit bonum semen in agro suo.

1° *Seminator* boni seminis Christus est, qui ex officio proprio seminat, et quidem solus, omne semen bonum in mundo.

2° *Bonum semen* sunt filii regni, fideles videlicet ac filii Dei. Vocantur Christi semen, eo quod sunt ejus filii, e generosa ac cœlesti prosapia geniti, verum semen Abrahæ, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis* (I Pet. II, 9). — Imo etiam ideo semen censentur, quia alios sibi similes producunt. Perfecti enim ad imitationem divini Seminatoris, Magistri sui, contendunt alios justos generare, qui Deo sicut ipsi deserviant.

3° Christus bonum semen seminat per sacramenta, præsertim per sacramentum regenerationis, seu Baptismi, quo omnes filii adoptivi Dei nascuntur.

4° Quod si Baptismus, etc. per Ecclesiæ sacerdotes conferatur, ipse Christus tamen est, qui per ministros suos ope-

ratur, secundum illud : *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (Joan. I, 33), sic ab Augustino expositum : *Petrus baptizet, hic* (Christus) *est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat* (Tract. 6 in Joan). — Omne itaque semen bonum a Christo est : nimirum, quicumque boni sunt vel fiunt, a Christo suam virtutem recipiunt; quicumque boni fieri volunt, a Christo virtutem, spiritum bonum recipere debent.

5° Seminat *in agro suo*, i. e. in mundo universo, qui ipsius est, quem acquisivit sanguine suo. Omnes gentes, etiam maxime barbaræ, Christi sanguine sunt redemptæ, sed per fidem et Baptismum in filios Dei regenerari debent. Beati qui ad opus illud divinum, ad fidei propagationem cooperantur! *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*. Marc. XVI, 15.

6° Unusquisque divinum Seminatorem imitari curet, et exemplo ac verbis bonum semen spargere studeat.

Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

Hic discamus quam perniciosi sint fructus mali otii (1), quantaque diaboli vigilantia. — 1° Inimicus est dæmon, qui opus Dei corrumpere nunquam non nititur; ideoque exspectari debet semper, quia nunquam venire prætermittit. Sicut enim Christi est et Ecclesiæ seminare bonum semen, ita diaboli et suorum est proprium seminare zizania.

2° Supervenit postquam semen bonum jactum est, imo aliquando ubi seminatio tantum paratur, ut eam præpediat; quandocumque autem venit, signum est opus aliquod Christi adesse quod corrumpere possit.

3° *Quum dormirent homines*. Hic monentur superiores de vigilantia, omnesque Christiani de cavenda post acceptam gratiam negligentia. Nam venit inimicus dormientibus hominibus, in nocte videlicet, repente, et quandocumque homines minimam sui curam gerunt, aut illam relaxantes dormiunt pigritiæ somnum. Funesta igitur dormitio est, qua inimico

(1) *Argumenta*, Argum. 11, et Argum. 8, § 7.

agrum inficere permittitur. Dormitio hæc, tum Pastorum ac Superiorum, tum cujusque privati incuria, segnities est, defectusque vigilantiæ et laboris : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Matth. XXVI, 41.

4° *Et abiit.* Positis suis laqueis inimicus sese abscondit, ne agnoscatur ; imo interdum se transfigurat in amicum aut angelum lucis, quo nos incautos facilius decipiat. Quapropter necesse est vigilare, et conscientiam suam ac statum animæ directori spirituali prorsus aperire : ut inimicus sub vestimento amici, lupus sub specie ovis vel pastoris detegatur.

Superseminavit zizania.

Zizania sunt 1° homines nequam. Nam ut zizania in gramine similia sunt tritico, cum autem creverint nigrescunt ; sic iniqui justis sunt similes in natura humana, et interdum etiam in fide et in externis cæremoniis : rei tamen veritate nigri sunt in anima propter peccata...

2° Hoc autem differunt zizania agrorum a zizaniis vivis, seu pravis hominibus, quod hi in bonum frumentum, i. e. in homines bonos converti possint : voluntarie enim unusquisque semetipsum, vel cooperando divinæ gratiæ bonum facit ; vel, diabolo cedendo, malum... Utrum esse mavis, Christine bonum semen, an semen infernale diaboli ?...

3° Zizania, seu zizaniorum semen est etiam omne scandalum (1), omne id quod fidem adulterare vel mores corrumpere natum est : speciatim vero hæresis, prava scripta, turpiloquia, detractiones, discordiarum fomenta...

Quum crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

1° In hac vita crescunt boni et mali : progressus fit, et quantum spectat ad virtutes, fieri debet : *Non progredi* enim *est retrogredi.*

2° Fructus sunt opera, sive bona sive mala, ex quibus præcipue boni et mali dignoscuntur : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Matth. VII, 16.

(1) *Adjumenta*, Argum. 9 et 45.

3° Parentes mali, qui vel ipsi zizania seminant, vel seminari permittunt in cordibus filiorum, mox tristes apparere fructus videbunt.

Accedentes servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?

Mysterium hic indicatur iniquitatis humanæ, et tolerantiæ Dei, impios existere et multiplicari permittentis. — 1° Zizaniis visis, servi, dominum interrogant attoniti... Sic Apostoli et apostolici viri, eorum successores, multitudinem improborum et errorum ac vitiorum quæ sunt in mundo, videntes, vix possunt quin stupentes ac dolentes dicant : Quomodo fieri potest, ut post tot ac tantas a Domino Jesu effusas in mundum gratias, tanta sit hominum miseria et corruptela?... At recordanda sunt verba Pauli : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. V, 20.

2° *Unde habet zizania?* Duplex est hujus quæstionis sensus : -1) Quis zizania seminavit? -2) Quare tu, Domine universorum, tantam calamitatem permittis? — Quæstioni in secundo sensu intellectæ Christus non respondet : quia non vult nos curiose arcana ipsius judicia scrutari, sed potius demisso animo eadem venerari, cum Davide dicentes : *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (Ps. CXVIII). — Nonnulla tamen in hoc mysterio nobis videre licet : nimirum -*a*) nequaquam Deus scandala et tentationes permitteret, nisi illa mala in bonum converti possent. -*b*) Deus malos homines tolerat, ut nos eosdem patienter tolerare discamus. -*c*) Eos tolerat propter ipsos, ut convertantur; et propter electos, ut hi in patientia, humilitate, etc. exerceantur, et majorem gloriam promereant. *Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur; aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur* (Augustin. in Psal. 54). — *d*) Eos tolerat ut magis appareat efficacitas gratiæ in vasis misericordiæ, i. e. in justis; dum inter tot infideles, suam ipsi fidelitatem strenue tuentur. -*e*) Ut hominum libertati consulat, dum singulis liberum relinquit facere quod velint, sufficienti interim auxilio illis oblato, ad resi-

stendum malo et sequendum bonum. — Quoad quæstionem in primo sensu intellectam, *quis zizania seminaverit?* respondet Dominus :

Inimicus homo hoc fecit.

1° Non fecit hoc Dominus, a quo nihil nisi bonum et salutare; si quid mali, id ab homine inimico manat : *Perditio tua* (puta, ex te est, et opus tuum), *Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Osee XIII, 9.

2° *Inimicus homo*, i. e. diabolus, qui principalis est mali seminis auctor; deinde etiam omnes homines scandalosi, ministri ejus, per quos inimicus infernalis opus destructionis operatur.

3° *Inimicus homo*, i. e. ipsemet homo peccator, qui cedendo diaboli tentationibus sibimet malum infert : non enim diabolus nocere potest cuiquam, nisi ipsimet volenti.

4° *Inimicus homo* recte dicitur peccator et impius, quia nocivus et hostis est, tum Deo, tum cæteris hominibus, tum sibimetipsi : *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Ps. X.

Vis, imus, et colligimus ea? Et ait : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum.

1° Hic docentur justi vitare zelum nimium et indiscretum, qui ex aliqua e quatuor hisce causis oriri potest : -1) quia homines ferventes omnia vitia simul, sive in suis subditis, sive in se ipsis evellere cuperent; quod tamen, de lege ordinaria, possibile non est. -2) Quod velint zizania intempestive colligere. Sæpe cunctatione, silentio et patientia utendum : qui hodie est zizania, cras forte convertetur in triticum. -3) Quod velint improbos castigare cum bonorum damno, ob scandala, perturbationes, etc., quæ inde proveniunt. -4) Quod in iracundiæ et ultionis spiritu zizania evellere velint, indignatione potius quam compassione ducti.

2° Manifestatur Christi longanimitas et misericordia erga malos, quos servat ut fiant boni. Ideo enim improbos longo tempore tolerat, eisque pœnitendi spatium concedit, quia

zizania potius in triticum convertere, quam evellere cupit. Domini enim voluntas non est animas perdere, sed salvare ; et quamvis peccata destruere velit, non tamen destruere vult peccatores.

3° Manifestatur quoque Domini amor erga bonos, quorum causa tolerat malos, prout testatus est expresse, cum Abrahamo dixit, *se non deleturum esse civitatem Sodomorum, si decem in ea justos inveniret.* Gen. XVIII, 33.

Sinite utraque crescere usque ad messem.

1° *Usque ad messem*, i. e. usque ad diem judicii. Ergo semper erunt mali mixti bonis, et quidem malorum numerus ingens ; sed ne terreamur : Dominus enim servare novit bonos inter malos ; nec mali prævalebunt adversus pusillum gregem Domini, cujus numerus soli Deo innotescit, et major etiam est quam esse videtur. Sic olim cum quereretur Elias, quod in magna Israelis defectione ipse solus esset derelictus, respondit ei Dominus : *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* III Reg. XIX, 18.

2° In hoc mundo boni et mali crescunt : boni quidem in melius, ex Dei voluntate ; mali in pejus, ex Dei permissione ; incrementa porro quæ utrique capiunt, sunt futura materia vel ignis vel coronæ.

3° *Usque ad messem*, non ultra. Ergo non in perpetuum boni opprimentur et mali tolerabuntur ; sed usque ad messem, seu diem Domini, qui est dies judicii et justitiæ ; et is quidem duplex : judicii particularis et judicii universalis, quo illi qui frumentum Christi sunt, secernentur ab iis qui zizania esse deprehendentur.

Alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.

En terribile judicium impiorum, et magnifica merces justorum in fine sæculi. — 1° Sicut messores zizania colligant ad comburendum, ita angeli in die judicii improbos vinculis ligabunt, ut in unum cogantur ii, qui similes aut complices

in culpa fuerint. Tunc illi miseri, in pœna conjuncti, sibi invicem cruciatui ac tormento erunt ; et cum fletu atque stridore dentium vociferabunt in se ipsos et in eos, qui tanti damni causa sibi exstiterunt.

2° Sicut triticum congregatur in horreum patrisfamilias, ita justi, angelorum ministerio a zizaniis separati, in cœlestibus sedibus collocabuntur ; et *tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*. Matth. XIII, 43.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Matth. XIII, 31-35. Dixit Jesus turbis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo : quod minimum quidem est omnibus seminibus ; quum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus. — Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas ; et sine parabolis non loquebatur eis : ut impleretur quod dictum erat per prophetam, dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Marc. IV, 30-32. Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei ? aut cui parabolæ comparabimus illud ? Sicut granum sinapis, quod quum seminatum fuerit, in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra. Et quum seminatum fuerit, adscendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare.

Luc. XIII, 19 21. Simile est (regnum Dei) grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam ; et volucres cœli requieverunt in ramis ejus.—Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei ? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

Explicatio prima.

I. *Parabola grani sinapis.*
II. *Parabola fermenti.*

Inter parabolas, quas, secundo prædicationis suæ anno, ad littus maris Galilææ, e navicula docens Dominus proposuit, quarta, *de grano sinapis*, et quinta, *de fermento*, hodierno Evangelio prælegitur.

Tripliciter Dominus, quod prænotasse proderit, similitudine seminis usus est, ut regnum cœlorum adumbraret, in triplici nempe parabola, *seminantis, zizaniorum* et *grani sinapis*. Jam vero prima et secunda ostendit, quomodo ex parte hominum regnum cœlorum, seu verbum Dei, fides, et gratia sit recipienda, atque ab omni corruptela custodienda ; tertia, quæ est *grani sinapis*, præsertim demonstrat, quantum illud Dei donum sit excellens in se, et in operationibus suis efficax et mirabile.

Recte quoque adnotat Chrysostomus, parabola *seminantis* ostendi, ex quatuor seminis evangelici partibus unam tantum fructificare ; parabola vero *zizaniorum* indicari, huic parti quartæ fructificanti, novum inferri detrimentum per zizania a dæmone injecta : adeo ut succurrat interrogatio, quid ergo reliquum sit, quidve boni in Ecclesia Christi remaneat? Quæve animæ futuræ sint salvæ?—Hanc quæstionem ut præveniat, animumque ac fiduciam nobis addat, tertiam Dominus profert parabolam *grani sinapis*, qua ostendit quantum Evangelica prædicatio, quantumvis exigua, incrementi sit sumptura, quantosque productura effectus.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.

Sensus est : Similiter agitur in regno cœlorum ac si quis in eo, velut in agro Dei, seminet granum sinapis, quod altissime excrescat, et quaquaversum se extendat.

Quod minimum quidem est omnibus seminibus; quum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus.

Quod dicitur : *Minimum est omnibus seminibus*, intelligi debet juxta morem loquendi vulgarem hominum, quo minimum vocamus id quod valde parvum est, et unum e minimis ; nam stricte loquendo, semen papaveris et aliarum herbarum, minus est grano sinapis. — Nec tantum exiguum est mole, sed tota externa specie vile, inodorum, insipidum videtur.

Quanto autem specie minus, tanto est interna virtute majus : sive consumatur usu hominum, sive seminetur ad fructum. Continet enim vim quamdam igneam, mordacem, sibique propriam, qua, si conteratur, condimentum efficitur ciborum et medicina infirmitatum. Sin seminetur, crescit in plantam grandem : *Majus est omnibus oleribus*, seu plantis omnibus quæ in horto seminari solent ; imo, ut Dominus ait, *fit arbor*.... quod de certa sinapis specie intelligendum est, Palæstinæ olim propria, ubi in miram magnitudinem et firmitatem crescebat (1).

Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Parabola hæc est clarissima quædam confirmatio præcedentis. Parabola enim fermenti sicut parabola sinapis, evangelicæ doctrinæ vim et efficaciam ostendit ; et sicut sinapis extensionem magnam Ecclesiæ, ita fermentum ejus universalitatem videtur adumbrare.

Fermentum nihil est aliud quam pugillus farinæ subactæ, et acescentis, atque *fermentum* vocatur quia *fervendo* crescit. Suffoditur autem in farina subacta, confringitur ac per totam massam dispergitur ; sicque hanc totam fermentando quasi in se convertit, acore suo elevat et quasi spiritalem aeream-

(1) Cf. Calmet, *Dictionn. de la Bible*, art. *Sénevé*.

que efficit, sapidam reddit, digestamque præparat, ut fiat panis salubris, hominem alens, sustentans et corroborans.

Quod addit Evangelista de Christo : *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis :* significat, in illis circumstantiis, et in prædicationibus quæ hic referuntur, Dominum non nisi per parabolas docuisse. Propterea autem id adnotat, ut demonstret Christum, etiam hoc docendi modo, implevisse oracula prophetarum.

Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Verba sunt Psalmi LXXVII, quæ in Vulgata sic leguntur : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio;* secundum textum hebræum : *Loquar ænigmata antiqui temporis* (1). Hæc autem specie diversa in unum recidunt, et hunc sensum habent : *Docebo per parabolas, loquar mysteria antiqua.*

David scilicet, seu Asaph propheta, cui Psalmus tribuitur, cum enarret beneficia, divinitus populo Israel, ab initio exitus ejus ex Ægypto collata, quibus beneficiis exempla continentur et documenta abscondita; ea propterea *parabolas* vocat et ænigmata. At vero, propheta sic loquens, typum gessit Christi, qui longe verius aperuit os suum in parabolis, et revelavit mysteria regni cœlorum hactenus abscondita, quam vocat Paulus *revelationem mysterii temporibus æternis taciti* (Rom. XVI, 25 seq.). Sic, in Vetere Testamento multa leguntur, quæ mystice de Christo dicta sunt, quæque propterea magis et plenius Christo ut antitypo conveniunt, quam typo de quo litteraliter dicuntur.

(1) Beelen, *Novum Testam. Flandr.*, adnot. in hunc loc.

Explicatio secunda.

Simile est regnum cœlorum grano sinapis.

Granum sinapis in regno cœlorum, hoc est, non in regno naturæ, sed in regno atque ordine gratiæ, quid est, vel quid significat? — Ad plura capita ejus significationes revocandæ videntur. Refert enim 1° Evangelium et prædicationem evangelicam; 2° Christum Dominum; 3° Christianos et homines justos; 4° virtutes; 5° veritates fidei; 6° opera fidei et christiana instituta.

1° Granum sinapis refert Evangelicæ prædicationis fecunditatem et propaginem, utpote quæ a tenui initio cum Christo cœpit, et per paucos Apostolos in totum orbem se dilatavit, et mille pressuris ac persecutionibus contrita, igneam suam vim et fortitudinem exeruit.

2° Granum sinapis repræsentat Christum Dominum, quatenus 1) externa specie humilis fuit et hominum minimus; at interius, quoad animam, ac multo magis quoad divinitatem, infinitæ exstitit virtutis et efficacitatis. -2) Continebat medelam et condimentum, quo humanum genus sanaretur, et recta sapere disceret. -3) Hanc suam beneficam efficaciam præsertim exeruit, ubi in passione contritus est... -4) Continebat quoque miram fecunditatem, qua, per mortem et sepulturam suam, quasi seminatus in terra, arborem vitæ protulit, Ecclesiam. -5) In Eucharistia absconditus igneam vim occultat, ad animas illum comedentes inflammandas; estque instar condimenti suavissimi, quo omnes hujus vitæ amaritudines dulcescunt.

3° Granum sinapis repræsentat Christianos, quatenus veri Christi discipuli, in plerisque Magistro suo, fere sicut soli stellæ, assimilantur. Sunt ipsi quoque hominum oculis tenues, intus vero ob fidem et charitatem efficaces : quam efficaciam in tribulationibus præcipue manifestant.

4° Granum sinapis adumbrat virtutes, quibus regnum cœlorum obtinetur : fidem, humilitatem, patientiam, pau-

pertatem spiritus, et reliquas beatitudines... quæ quidem specietenus sunt minimæ, sed valore efficacissimæ. — Peculiari tamen ratione figurat fidem, secundum illud : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis* (Matth. XVII, 19) ; quo significat Dominus, fidem nostram esse debere humilem, sicut granum sinapis est minimum ; et energicam, sicut granum sinapis efficax est : ut nullam in nobis, sed plenam in Deo fiduciam habentes, quidquid in nobis est constantissime faciamus (1).

5° Granum sinapis est quælibet veritas fidei, quodlibet verbum Domini, quod, dummodo meditatione conteratur et in animam penetret, sufficit ad regnum Dei in anima stabiliendum. Sic illud Matth. XVI, 26, Xaverium e mundano philosopho mutavit in Sanctum : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

6° Granum sinapis est quodvis opus bonum, ut schola, pauperum hospitium, etc., spiritu fidei susceptum, quod initio exiguum esse, sed efficacia magnum evadere solet.

Notasse proderit quomodo granum sinapis sit prorsus singulare, et ab aliis seminibus distinguatur; quo nempe discrimine intellecto, differentia inter Evangelium et vanas hominum inventiones intelligatur. « Pharisæorum dogmata, « inquit S. Hieronymus, cum creverint, nihil mordax, nihil « vitale demonstrant : totum flaccidum marcidumque ebullit « in olera et in herbas, quæ cito arescunt et corruunt : « *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* « Isai. XL, 6. »

Cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant et habitent in ramis ejus.

En grani sinapis effectus : crescit, — fit arbor magna, — extendit ramos, — et volucribus præbet hospitium. — En fidei virtus, ita ut oportet exculta. En fidei excellentia, incrementa, effectus.

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 32, præcipue schemate 2 et 3.

1° *Crescit*. Granum sinapis non subito suam exerit energiam, sed gradatim et sensim crescendo : ad quod necesse est ut seminetur et moriatur in terra. Sic -1) opus Dei, sanctificatio animæ, etc., incrementis perpetuis, et quasi sensim, sine strepitu, perfici debet; -2) supponit humilitatem et mortificationem.

2° *Fit arbor :* -1) arbor habens radices profunde in terra defixas, et ramos attollens in altitudinem cœli : en profunditas humilitatis ex una parte, et altitudo charitatis ac futuræ gloriæ ex altera : quæ duo proprium characterem exhibent tum Evangelii, tum Christi, tum justorum. — Hujusmodi arbor, ex grano sinapis exoriens, est mystica arbor crucis, seu Christus crucifixus : *Humiliavit semetipsum.... propter quod et Deus exaltavit illum* (Phil. II, 8). —2) Fit arbor magna, dum reliqua semina non producant nisi olera et fœnum. Scilicet peccatores et carnales homines non prosperabuntur : quia *omnis caro fœnum;* justus vero *ut palma florebit* (Ps. XCI). — 3) Fit arbor fecundissima, innumerabilia semina, primo simillima, proferens. -4) Fit arbor : Ecclesia enim, Christus Dominus, Apostoli, omnesque Sancti, arbores magnæ facti sunt... *Ego sum vitis, vos palmites*. Joan. XV, 5.

3° *Extendit ramos*. Quinam sunt rami Christi, Ecclesiæ, aut Sanctorum? -1) Christus Dominus multos ex se ramos protulit : doctrinam Evangelii quod prædicavit, legem perfectionis cum omnibus consiliis quæ proposuit; sacramenta et sacrificia, quæ instituit; exempla vitæ quæ præbuit; miracula et insignia opera quæ præstitit, cum cæteris gloriosæ vitæ suæ mysteriis : donec ad eam altitudinem ascenderit quam habet in cœlis. -2) Similiter Ecclesia extendit ramos suos, diœceses videlicet ac provincias suas; — ordines quoque religiosos et pia instituta; — nec non Sanctos suos, quos omni ævo produxit. 3) Ipsi quoque Sancti et justi extendunt veluti ramos, doctrinam quam prædicarunt, libros quos conscripserunt, exempla virtutum omnium quæ contemplanda et imitanda reliquerunt.

4° *Volucribus cœli præbet hospitium*. Volucres cœli sunt animæ vere christianæ ac sanctæ, quæ a rebus terrenis segregatæ, et a reptilibus terræ longe diversæ, alis orationis et mortifi-

cationis, — fidei et charitatis, — sese attollunt, et conversationem in cœlis inveniunt. Hujusmodi animæ, per meditationem et pietatis exercitia, Christi et crucis ejus ramis inhærent; illic umbram, fructus suavissimos, securitatem ab hoste, protectionem a procella obtinent; illic nidum sibi et mansionem ædificant, illic vivunt et operantur; illic canticum laudis divinæ et gratiarum actionis cum angelis concinunt; illic in nocte tribulationum quiescunt: donec demum cum angelis avolent in cœlum. *Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus et Deus meus* (Ps. LXXXIII). — *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* Ps. LIV.

Simile est regnum cœlorum fermento.

Fermentum mysticum, hoc loco nobis a Christo, ut et aliis Scripturæ locis propositum, documentis abundat. — 1° Fermentum, substantia vilis, exigua, sed virtute efficax, est Evangelium, seu ejusdem prædicatio, quæ humani generis massam pervadendo transmutavit, novoque spiritu informavit.

2° Est efficacia christianæ et exemplaris vitæ ad ædificationem proximorum. Nam sicut granum sinapis fidem ac religionem in se, sic fermentum eamdem respectu proximi, totiusque societatis fidelium adumbrat.

3° Fermentum est Christus Dominus, qui per duodecim Apostolos, in varias orbis partes semetipsum quasi dispertiens, mundi conversionem est operatus.

4° Est Christus Eucharisticus, qui sub speciebus panis suam virtutem in totam Ecclesiam diffundit, et animas quibus immiscetur sublevat, informat, in se transmutat, coadunat : ut fiant unus panis, unum corpus, unus spiritus...

5° Ut autem fermentetur totum, i. e. ut totus homo virtute Christi pervadatur, necesse est -1) ut *expurgetur fermentum vetus, fermentum malitiæ et nequitiæ* (I Cor. V, 7). -2) Quemadmodum mulier fermentum suum *abscondit in farinæ satis tribus*, ita oportet ut fermentum divinum, nempe verba, exemplaque Christi, etc., per meditationem et mortificatio-

nem abscondatur, intimeque in animam penetret: et quidem in omnes animæ partes, in intellectum, in voluntatem, imo et in sensibilitatem seu in sensus; quatenus anima tota, adeoque totus homo, totaque ejus vita, Christi spiritu animetur ac dirigatur.

6° Necesse demum est, ut fermentum bonum custodiatur, ne et ipsum corrumpatur fermento alio, nempe fermento Pharisaico, diabolico et mundano : *Cavete a fermento Pharisæorum* (Matth. XVI, 6). — *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Gal. V, 9.

Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas.

Dominus nobis in parabolis loquitur, ut sic aptius doceamur. Ut autem parabolæ prosint, intelligendæ sunt : nequaquam vero intelligentur, nisi -1) attenta consideratione perpendantur; et -2) animo docili in praxi observentur. Ubi autem intellectæ fuerint, animam miro lumine replent, eique ostendunt *mysteria abscondita a constitutione mundi.* Matth. XIII, 35.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

—

Matth. XX, 1-16. Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc : Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam ; et fecit similiter. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. Quum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Quum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. At ille respondens uni eorum dixit : Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Explicatio prima.

Dominica Septuagesimæ illa dicitur, quæ inchoat hebdomadam septimam ante *Dominicam Passionis;* sicut similiter dominica *Sexagesimæ*, *Quinquagesimæ*, *Quadragesimæ* vocantur illæ, quæ hebdomadam sextam, quintam et quartam ante eamdem dominicam Passionis incipiunt. — Quoad nomina *Septuagesimæ*, etc., potius ob consonantiæ similitudinem, quam ad aliquem dierum numerum exprimendum, videntur fuisse consuetudine assumpta : cum enim quadragenarium jejunii tempus *Quadragesima*, et dominica initio hujus temporis incidens *dominica Quadragesimæ* vocaretur, inde factum est ut tres superiores dominicæ, aliqua vocabuli similitudine, *Quinquagesimæ*, *Sexagesimæ* et *Septuagesimæ* fuerint appellatæ.

Hæ tres hebdomadæ, quadragesimali spatio præviæ, antiquitus nihil aliud significabant, quam initium solemnis jejunii, quod vario tempore in variis ecclesiis incipiebat ; postea vero, ubi sacram Quadragesimam uniformiter ubique inchoandam decretum est, easdem hebdomadas, tanquam jejunio quadragenario præparatorias Ecclesia consecravit.

Ut igitur sanctæ Matris Ecclesiæ menti obsequamur, tempus hoc antequadragesimale velut præparationem remotam impendere debemus, quatenus jejunium sanctificare, et cum vero fructu obire possimus. Quapropter oportet ut imprimis unusquisque examinet, utrum in statu gratiæ versetur ; et si in peccato sit, per sanctam Confessionem ad statum gratiæ revertatur, ut ita cum vero ac pleno merito jejunium suscipiat. Deinde Ecclesiæ menti consentaneum est, ut fideles, tempore hoc præparatorio, orationi, templi frequentationi, eleemosynæ, aliisque operibus piis impensius se dedant ; unde patet quantopere a christiano sensu recedant illi, qui isto tempore profanis ac noxiis oblectationibus vehementius indulgent.

Dominica Septuagesimæ, in qua deponitur canticum gaudii *Alleluia*, est itaque initium solemnis pœnitentiæ, per quam Ecclesia ad magnum passionis et resurrectionis Domini mysterium celebrandum sese disponit. — Est eadem quoque initium solemnitatum mobilium, quæ circa festum Paschatis, tanquam circa centrum suum, quotannis vertuntur, et ordinata serie, ab hac dominica Septuagesimæ usque ad Adventum succedunt.

Parabola *de operariis in vineam missis* (quam Dominus, uti videtur, in Bethabara proposuit, trans Jordanem, mense Februario anni prædicationis suæ tertii), non incongrue hodie, in initio pœnitentialis temporis prælegitur: ut nimirum intelligamus, vitam nostram non esse otii et mundanæ delectationis tempus, sed pœnitentiæ et laboris, quo mercedem æternam in die retributionis accipere mereamur.

I. *Operariorum conductio.*
II. *Mercedis retributio.*
III. *Retributionis ratio data.*

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Ita scilicet se habet regnum cœlorum, quemadmodum si quis paterfamilias exiret primo mane conducere operarios in vineam suam. — Supponitur tempus esse vindemiæ, quo servi ordinarii non sufficere solent. — *Regnum cœlorum* hoc loco, aut solam militantem Ecclesiam, aut militantem simul et triumphantem designat, juxta interpretationem parabolæ duplicem, quæ infra exponetur.

Exiit primo mane... et circa horam tertiam... sextam... nonam... et undecimam.

Judæorum more, dies ab ortu solis usque ad occasum, dividebatur in horas duodecim et partes quatuor : ita ut hora sexta esset meridies, hora tertia fere responderet horæ nostræ nonæ matutinæ, nona vero, nostræ tertiæ pomeridianæ; un-

decima demum esset penultima ante solis occasum. — Sicut diem in quatuor partes, ita noctem, ab occasu solis usque ad ortum dividebant, more Romanorum, in quatuor vigilias, quarum unaquæque similiter tres horas continebat.

Conventione facta cum operariis ex denario diurno.

Denarius, moneta argentea Romana, septuaginta quinque circiter centesimis nostratibus æquivalens. Quæ quidem quantitas intrinseca denarii, utut exigua, tamen ratione pretii monetarum tunc temporis majoris, tanti valebat ut victui quotidiano sufficeret. Quapropter, ut ex textu parabolæ concludendum videtur, denarius erat communis operariorum merces.

Iis quos invenit hora tertia, dicit : *Quod justum fuerit dabo vobis :* i. e. secundum laborem vestrum retribuam : ita ut, si diligentia vestra tempus jam elapsum supplentes, opus integræ diei perfeceritis, integram quoque mercedem daturus sim vobis. — Eodem pacto conducit eos quos invenit hora sexta, et nona, imo et undecima. Hos autem postremos sic alloquitur : *Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei : Quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam.*

Cum sero factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

Cum *sero* factum esset, i. e. cum hora duodecima præteriisset et sol occidisset. — *Dicit procuratori suo :* procuratorem scilicet monuit de plena singulis operariis mercede danda, jussitque incipere a novissimis.

Quum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. Quod murmurant operarii, dicentes sese portasse *pondus diei et æstus*, i. e. conqueruntur, causantes quod toleraverint

pondus laboris integræ diei, et incommoda æstus. — At paterfamilias *respondens uni eorum*, et in hujus persona conquerentibus omnibus, dixit :

Amice, non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Dicendo : *Volo huic novissimo dare sicut et tibi*, querimoniis injustis paterfamilias respondet, non ut significet denarium ex sola sua voluntate datum esse gratis, ac sine respectu ad meritum ; sed ut personæ decorum servet. Non conveniebat enim personæ patrisfamilias, ut querulo operario consilii sui rationem redderet. — *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* hoc est, an mea æquitas et bonitas tuam invidiam excitat?

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.

En parabolæ conclusio, quæ hunc habet sensum : in die judicii Gentiles præferentur Judæis ; — vel : inter fideles erunt, qui ratione fervoris, multos qui superiores videbantur, æquabunt vel etiam superabunt. Hæc conclusio præfigitur etiam tanquam propositio demonstranda, in ultimo versiculo superioris capitis : qui versiculus proinde tanquam primus capitis præsentis spectari potest.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Duplex datur hujus sententiæ interpretatio probabilis, juxta duplicem, quæ voci *electi* tribui potest, significationem. —1° Si *electi* intelligantur illi qui sunt *prædestinati*, seu certo consecuturi salutem, sensus est : Multi sunt vocati ad salutem, pauci vero pervenient, et plerique damnabuntur (1). — Quod

(1) Cf. *Elem. theol. dogm.* tom. 2. tract. 9, *De gratia*, cap. 1. n. 284 seq.

dicitur, *multi* sunt vocati, significat *omnes*. Etenim *Deus vult omnes homines salvos fieri* (I Tim. II, 4); *Et pro omnibus mortuus est Christus*. II Cor. V, 15.

2° Si *electi* intelligantur illi qui sunt *egregii*, fervore *insignes*, sensus est : Inter vocatos pauci egregii atque fervore insignes sunt futuri ; et hæc ratio est cur multi, licet prius vocati, priorem locum occupaturi non sint (1). — Quæ porro ex dicendis in *explicatione secunda* clariora fient.

—

Explicatio secunda.

Propositio quam Dominus per parabolam demonstrare intendit : *Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi*, cum possit duplici modo intelligi, inde fit ut duplex detur parabolæ interpretatio. — Juxta interpretationem primam scopus Domini est, ostendere quomodo in die judicii, Judæi increduli futuri sint *novissimi*, i. e. damnati ; et Gentiles ad fidem conversi, *primi*, i. e. salvi ; atque ita fore, ut primi sint novissimi et novissimi primi. Judæi enim, qui dudum, ac peculiari gratia a Deo fuere vocati, primas in hoc mundo tenere visi sunt ; e contra, Gentiles, revelationis lumine orbati, postremas tenuerunt.

Juxta interpretationem alteram, parabolæ scopus est ut declaretur, servorum Dei mercedem non tam proportionatam fore tempori, quam fervori quo Domino servierint : adeo ut *primi* futuri *novissimi* intelligendi sint *primi in ordine, ultimi in merito ac præmio ;* seu illi, qui diutius quidem laborarunt, sed parcius retribuentur ; — et ut *novissimi* futuri *primi*, sint *ultimi in ordine, primi in merito ac mercede :* seu illi sint, qui brevius quidem, sed melius laborarunt, et propterea uberius remunerabuntur.

Ad partes parabolæ quod attinet, hæc summatim statui possunt : 1° *paterfamilias* est vel Deus Pater, qui ut Christus dicit, *agricola est* (Joan. XV, 1) ; vel est ipse Christus, qui in

(1) Maldonat. et A Lap. in h. l.

hunc mundum velut in forum exivit, ut operarios in vineam suam conduceret.

2° *Dies*, cujus primo mane paterfamilias exivit, et cujus vespere mercedem operariis solvit, est, vel totum tempus ab initio usque ad finem mundi ; vel uniuscujusque hominis vita, ab adolescentia usque ad mortem.

3° *Vinea* est, vel Ecclesia, et singulæ ejus provinciæ atque parochiæ ; vel totum humanum genus, Christi sanguine redemptum ; vel uniuscujusque anima.

4° *Diversæ horæ* sunt, vel variæ mundi ætates, ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abraha usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum, a Christo usque ad finem mundi sese protendentes ;—vel sunt diversæ cujusque hominis ætates, infantia, pubertas, juventus, ætas virilis, senectus.

5° *Forum*, est totus mundus quatenus extra Ecclesiam est ; vel etiam quilibet locus aut status, in quo homines sunt sive otiosi, sive sæcularibus negotiis occupati.

6° *Denarius*, qui idem omnibus datur, est vita æterna.

7° *Vespera diei*, quando denarius solvitur, est finis mundi, et ultimi judicii dies ; vel, quod in idem recidit, dies mortis et judicii hominis cujusque.

8° *Mercedis solutio* incipiens ab iis qui ultimi venerunt, significat, novissimos præferri, et constitui primos, quia amplius laboraverunt una vel paucis horis, quam alii tota die.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias.

Hic summa Dei misericordia, providentia ac benignitas in hominum salute procuranda, a nobis cum debita gratiarum actione consideranda est.—1° Paterfamilias est Deus ac Dominus noster Jesus Christus, qui humanum genus universum tanquam familiam possidet charissimam, quam pretioso sanguine redimendo genuit. Quapropter sollicitus est de suorum bono, adeoque in particulari de singulis, non minus ac si familia esset parva, curam gerit ; speciali tamen titulo Christianorum est Pater, quos per Baptismum in filios adoptavit.

2° Hunc omnes filiali cultu, reverentia, obedientia et amore prosequi debemus, ex animo dicentes : *Pater noster, qui es in cœlis...*

3° Eidem quoque servire debemus, qui licet adoptione filii ejus, conditione tamen servi manemus, paternoque famulatui addicti.

Exiit conducere operarios.

1° Operarii quos conducit sunt omnes homines, quos ad laborem et præmium vocat, dicens : *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* (Matth. XIX, 17). — Hinc bonorum operum necessitas.

2° Speciatim operarii a Domino vocati et in vineam Ecclesiæ missi, sunt prælati, viri apostolici, et clerici quilibet in sortem Domini vocati.

3° Quærit *operarios*, i. e. non homines otiosos, aut inanibus ludis, etc. vacantes ; sed homines qui laborent secundum exemplum Christi : *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est : venit nox quando nemo potest operari.* Joan. IX, 4.

4° Vocat autem, vel verbo concionatorum, vel internis inspirationibus, etc.

Conducere operarios in vineam suam.

Operatio in vinea seu vineæ cultura, operum genera indicat quæ Dominus requirit a nobis ; ideoque variæ hic circumstantiæ sunt perpendendæ. — 1° Vinea Domini quænam significatur? -1) Respectu cujuslibet Superioris, vinea, seu pars vineæ Domini ipsi demandata, sunt subditi ejus, et munus totum ei incumbens. -2) Respectu cujuslibet hominis privati, est ipsius anima.

2° Quare animæ vinea Domini appellantur ? -1) Quia a Domino velut plantatæ sunt tanquam lignum fructiferum, ad producendum fructum nobilissimum uvarum, adeoque ad dandum vinum, quod est symbolum virtutis, et amoris divini. -2) Quia fructum suum ad instar vitis producunt, alligatæ ad palum crucis, rore gratiæ, et Spiritus sancti calore adjutæ, etc.

3° Quare hæc vinea est excolenda ; -1) Quia secus non proferret fructum, quem Dominus merito requirit : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? An quod exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas?* (Isai. V, 4. Cf. præced. et seq.) —2) Quia secus est lignum inutile, et igni tradendum. *Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna silvarum? Numquid fabricabitur de ea paxillus?... Ecce igni datum est* (lignum vitis) *in escam.* Ezech. XV, 2.

4° Quomodo excolenda? — Faciendo ea quæ bonus vinitor facere consuevit : vineam nempe custodit ab incursu animalium, sepe vel muro circumdando ; eam putat, eam sarrit, a noxiis herbis purgando, etc.

Exiit primo mane.

Exit divina misericordia primo mane, per gratiam suam invitando homines ab adolescentia sua ; quod præsertim per bonam ac vere christianam educationem efficit. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (Thren. III, 27). — Quod sequitur : *Illi autem abierunt*, promptitudinem in respondendo gratiæ indicat, et dilationem ac procrastinationem in causa salutis et obsequii divini condemnat.

Iterum exiit circa horam tertiam, sextam, nonam et undecimam.

1° En Dei bonitas, quæ omni vitæ ætate, imo omni fere die, homines ad meliorem frugem vocat : peccatores quidem ut convertantur, justos vero ut ferventius Deo serviant.

2° Ne tamen quis de tanta bonitate præsumat ac dicat : Postea vocanti respondebo ; illud enim *postea* tibi forte non dabitur ; vel, si dabitur, fortasse tu obdurabis cor tuum, et vocem Domini audire renues. *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Ps. XCIV.

3° Quomodo huic invitationi homines respondere deberent ? et quomodo re ipsa varie respondent ?...

Quid hic statis tota die otiosi?

His Domini verbis otium et ignavia in divino obsequio condemnatur. — 1° Otiosi stantes sunt illi -1) qui salutis negotium non curant. -2) Qui temporalibus curis ita absorbentur, ut de æternis vix cogitent. -3) Qui mundanis recreationibus tempus consumunt. Negotia mundi, otia sunt Deo. -4) Qui in operibus suis etiam bonis, non recta intentione pro Deo operam impendunt; sed hominum æstimationem et semetipsos quærunt. -5) Multo magis otiosi sunt, qui pravis passionibus indulgent...

2° *Tota die*, i. e. tota vita. — Dies est vita, -1) quia brevissima est ; -2) quia est tempus laboris, quod subsequitur nox mortis, *quando nemo potest operari* (Joan. IX, 4), et quando justi *requiescunt a laboribus suis* (Apoc. XIV, 13) ; —3) quia facillime tota perditur, cum quis salutis negotium, in tempus aliud, et rursus in aliud differt. — Curandum cuique diligenter, ne id accidat quod terribile foret, ut in fine vitæ dicere cogatur : *Diem meam perdidi.*

3° *Quid statis otiosi?*—Quamnam homo rationabilem causam otiositatis in spirituali negotio afferre potest ? Nonne fides, ratio, exempla pereuntium, mors instans... hujusmodi otium condemnant? — Nonne omnes prætextus coram divino tribunali rejicientur?...

Quia nemo nos conduxit.

Cum vindemiæ tempore operariorum penuria sit, facile, si quæsivissent, homines isti operam suam locare potuissent; vana ergo quam allegant excusatio est. Nos autem, nonne magis immerito diceremus : *Nemo nos vocavit...* Quamnam ergo excusationem probabilem inveniamus?...

Quod justum fuerit dabo vobis.

1° En stimulus laborandi : merces magna nimis, — merces certissima, — pro merito, imo ultra meritum liberalissime reddenda (1)...

(1) *Adjumenta*, Argum. 34, parte tertia, *de merito*.

2° Non erit hæc, sicut a mundo fallaci proponi solet, inanis promissio ; sed certissima erit merces bonorum operum, propter quam *conducti* sumus : *Namque promittens Deus juravit per semetipsum... volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui.* Hebr. VI, 13, 17.

Cum sero esset factum.

En dies supremus, dies judicii, qui duplex distingui potest : 1° dies supremus universi mundi ; — 2° dies supremus singulorum hominum, quem unusquisque in morte obire debet (1).

Acceperunt singulos denarios.

En mercedis æternæ retributio, et qualitas. — 1° Quod promisit Deus, fideliter retribuit.

2° Denarius omnibus idem datus, vita æterna est, ipsa nimirum beatifica Dei visio, seu ipse Deus beate contemplandus et fruitive possidendus : inæqualiter tamen pro cujusque merito et capacitate (2).

Incipiens a novissimis.

1° Merces ergo et meritum non necessario pendet a temporis diuturnitate...

2° Pendet autem, -1) a fervore ac diligentia ; -2) a generosa sui victoria ; -3) ab intentionis puritate ; -4) præcipue a charitate, qua opera quælibet quasi mutantur in aurum : *Major autem horum est charitas.* I Cor. XIII, 13.

Portavimus pondus diei et æstus.

Primi, arbitrati quod plus essent accepturi, cum accepissent et ipsi singulos denarios, murmurarunt adversus patremfamilias, dicentes : *Pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus.* — Quibus querelis 1° revelantur tepidorum vitia et indoles : -1) præsumunt de suis operibus

(1) *Adjumenta*, Argum. 19, 20, 21. — (2) *Elem. Theol. dogm.* tract. 19, cap. I, n. 86 seqq.

et meritis propter temporis diuturnitatem ; -2) portant pondus diei et æstus : i. e. jugum Domini et bona opera experiuntur gravia, etsi alioquin levia ; -3) sunt mercenarii, lucra et commoda sua quærentes, pleni querelis et obmurmurationibus adversus Deum et adversus homines ; -4) sunt invidi, quando vident gratias et beneficia, quæ Deus ferventibus confert.

2° E contra ferventes, -1) nec de se præsumunt, nec præmio dignos se esse existimant ; -2) virtutum labores, etsi alioquin graves, vix sentiunt ; -3) Deo serviunt gratuito, i. e. non lucri cujuslibet intuitu, sed ex puro amore sui Domini ; -4) nemini invident, sed laborant et tacent, optantes ex animo ut Deus omnibus benefaciat.

Amice, non facio tibi injuriam.

Prudens hæc et digna patrisfamilias responsio. Nam prudentes domini servis, importune rationem quærentibus, cum hoc vel illud jubent, etiamsi intimam habeant consiliorum suorum rationem, non solent tamen rationem reddere ; sed pro ratione suam ponere voluntatem, dicentes : quia volo.

Pertinet ad hunc locum, quod apposite Theophylactus (Comment. in Epist. ad Rom. IX, 19) adnotavit : solere Deum, quoties agit cum hominibus bonis et docilibus, factorum suorum rationem reddere ; cum malignis autem et querulis suam solam allegare voluntatem, quia digni non sunt ut rationem illis Deus reddat. Ideo ex. gr. hoc loco respondet : *An non licet mihi quod volo facere?* E contra Apostolis, aliisque docilioribus, causam minoris vel majoris præmii retribuendi Dominus benignissime explicavit : nam servantibus tantum mandata proposuit vitam æternam ; vendentibus autem omnia quæ haberent, promisit thesaurum in cœlo, i. e. majorem et excellentiorem gloriam. — Solet nimirum Dominus cum hominibus agere secundum cujusque dispositionem : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris.* Ps. XVII. — *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!* Ps. LXXII.

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.

1° Qui primi sunt in hoc sæculo, monentur ut caveant, ne fiant novissimi in futuro. — Porro sanctitate primi in hoc mundo videri possunt, qui vel annis, vel externorum operum specie, vel status aut officii dignitate cæteris præcellunt. His cavendum ne coram Deo sint novissimi fervore, humilitate, merito, mercede....

2° Monentur novissimi, ut animo non cadant; sed instanter, ferventer et amanter operando tempus redimant, atque ita præcelsam gloriam acquirant.

3° Monentur omnes, ut quærant esse primi, non in oculis hominum, sed in oculis Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua, i. e. secundum valorem operum : quem valorem æstimat ex humilitate, fervore, charitate, etc., quibus opera informata videt. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Matth. XVIII, 4.

Multi sunt vocati, pauci vero electi.

1° Multi peccatores, pauci justi.

2° Multi tepidi, pauci ferventes.

3° Multi mercenarii, pauci gratuito et ex amore pro Domino laborantes.

4° Quapropter merito Christus monuit unumquemque nostrum, ut contendamus esse de grege pusillo electorum : *Intrate*, inquit, *per angustam portam.* Matth. VII, 13.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Luc. VIII, 4-16. Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat, seminare semen suum ; et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram : et natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam : et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clama-

---

Matth. XIII, 1-23. Exiens Jesus de domo, sedebat secus mare : et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet : et omnis turba stabat in littore. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens : Ecce exiit qui seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuaverunt ; et quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Qui habet aures audiendi audiat. Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis ? Qui respondens, ait illis : Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit ; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes

bat : Qui habet aures audiendi audiat. — Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram : qui cum audierint, cum gaudio

---

non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt : ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos. Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt.

Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud : non habet autem in se radicem, sed est temporalis; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, et sollicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.

Marc. IV, 1-20. Et iterum cœpit docere ad mare ; et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua : Audite : ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam : et venerunt volucres cœli, et comederunt illud. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi

suscipiunt verbum : et hi radices non habent ; qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.

---

non habuit terram multam : et statim exortum est ; quoniam non habebat altitudinem terræ : et quando exortus est sol, exæstuavit, et eo quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas ; et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam ; et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. Et dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat. — Et quum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam. Et dicebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant, et non videant ; et audientes audiant, et non intelligant : ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata.

Et ait illis : Nescitis parabolam hanc ? et quomodo omnes parabolas cognoscetis ? Qui seminat, verbum seminat. Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum ; et quum audierint, confestim venit satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui quum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud : et non habent radicem in se, sed temporales sunt ; deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. Et alii sunt qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt, et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt et fructificant unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.

Explicatio prima.

Quum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad Jesum, dixit per similitudinem.

Secundo prædicationis suæ anno, mense, ut videtur, Julio, cum Capharnai doceret Dominus, tam frequentes turbæ ad eum undique confluebant, ut domus eas capere nulla posset: adeo verbum Dei audire sitiebant. Quapropter domo egressus, ad proximum littus maris Tiberiadis contendit, ut latiorem in locum concionem educeret. Tunc, ut Matthæus narrat, in naviculam ascendit, quod et alias fecit sæpius, ne a multitudine opprimeretur, et simul ut melius posset audiri, omnesque auditores ante conspectum suum et in se intentos haberet. In navicula ergo tanquam in cathedra sedit; cumque videret turbas in littore stantes, in quibus et ipse sciebat, et erat per se verosimile, alios alio modo ad suam doctrinam recipiendam esse dispositos : parabolas varias illis proposuit, et imprimis de semine doctrinæ in diversam terram cadente.

Exiit qui seminat, seminare semen suum; et dum seminat, aliud cecidit secus viam.,. aliud supra petram... aliud inter spinas... et aliud in terram bonam...

Qui seminat, i. e. seminator, qui seminare solet, aut cujus proprium est seminare. — Quod dicit : *Aliud cecidit supra petram, seu in petrosa :* id est, pars seminis cecidit in loca ubi absconduntur lapides, exigua terra cooperti : adeo ut semen illic nec radices agere, nec humorem habere posset : *Et natum aruit, quia non habebat humorem.*

Matthæus habet : *Sole autem orto* (seminata) *æstuaverunt :* i. e. tempore verno, quum, post hiemales pluvias, sol vires

resumere incipit. Sementis enim in Palæstina fieri solebat mensibus Novembris et Decembris, quando sol nubibus absconditur.— *Quia non habebant radicem*, puta sat profundam, quæ humore copioso plantam valeret nutrire.

Aliud cecidit inter spinas, — i. e. in partes agri ubi spinarum semina vel radices laterent, quæ postea exortæ, creverunt citius semine, illudque suffocarunt.

Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi : audiat.

His verbis de more excitat Dominus auditorum studium, ut diligenter parabolæ significationem inquirant; simulque nobis in verbo Dei audiendo attentionem commendat.

Interrogabant autem eum discipuli, quæ esset hæc parabola.

Cum enim plures continenter parabolas absque explicatione Dominus protulisset, discipuli postea, ubi loquendi finem fecit et solus cum ipsis erat, interrogarunt eum, 1° cur parabolis uteretur, et 2° quis esset parabolæ de seminante sensus.—Respondit Jesus, sese parabolis uti propter turbam ejusque dispositionem minus bonam; non vero propter discipulos ; quibus apertius loqui posset.

Vobis datum est nosse mysteria regni Dei.

Sensus est quasi diceret : Vobis, futuris regni cœlorum præconibus, propter fidem vestram, ac bonam dispositionem, dari potest et revera datur clarior notitia rerum cœlestium : quæ præteritis sæculis ignotæ, nunc a Christo quem vobis videre et audire contingit, manifestantur; quæque pertinentes ad spirituale regnum ejus, merito vocantur *mysteria regni Dei*.

Cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

Sensus est : Cæteris, propter incredulitatem et malam dispositionem, obscurius illa proponuntur; tum quia majoris claritatis sunt incapaces, tum quia indigni. Etenim cum ad credendum non sint dispositi, inde fit ut veritatem videntes

non videant, et audientes non intelligant. Quæ incredulitas, seu indocilitas, cæteroquin ab Isaia (Cap. VI, 10) prædicta est. — At si prædicta atque divinitus prævisa, nequaquam a Deo, tanquam causa, est effecta ; sed tota causa et culpa ad ipsos Judæos pertinet, qui obicem quominus crederent opposuerunt.

Quæri autem potest, cur, cum Judæi non intelligant, iis tamen Dominus loquatur, et quidem in parabolis? R. -1) Ut Judæi tandem intelligere conentur : Domini namque docentis ænigmata, nec non exclamatio : *Qui habet aures audiendi, audiat,* ad considerationem excitandam idonea adhibentur. -2) Quia Domini verba non tantum Judæis coævis et audientibus, sed in eorum persona omnibus posterioribus generationibus dicuntur.

Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei...

Dominus ita summatim parabolæ sensum indicat, ut multa nobis in eadem consideranda et exploranda relinquat : viam aperit, clavemque tradit, ut penitius nos divina ejus verba penetrare et intelligere possimus.

—

Explicatio secunda.

Parabolam hanc cum ipse Dominus dignatus sit declarare, illud nobis imprimis efficiendum est, ut divinam declarationem considerando ac perpendendo plene intelligere satagamus.

Exiit qui seminat, seminare semen suum.

Quodnam est illud semen?—Quis seminator?—Quis ager?

I. *Quodnam semen?* — R. 1° Semen est *verbum Dei :* intellige tum externum, quod auribus corporis percipitur ; tum internum, quod intus in anima auditur, et est divina inspiratio, ex qua præcipue fructus nascuntur, quos cor nostrum producit. Illa enim dat sensum verbi externi, estque instar virtutis seminalis, quæ intra granum seminatum latet. —

Hinc -1) semen est doctrina Evangelica, doctrina christiana, complectens quæcumque homo scire et facere debet ut salutem acquirat. -2) Item quælibet veritas Evangelica in particulari sumpta : cœlum, — infernus, — peccatum, — oratio, etc. -3) Exempla Christi et Sanctorum. -4) Internæ inspirationes gratiæ, et quasi invitationes ad bonam vitam, totidem sunt semina cœlestia.

2° Verbum Dei vere semen est : puta aliquid valde exiguum, et minime speciosum, sed internam continens ac invisibilem virtutem et vitam....

3° Ut autem semen producat fructum suum, certas conditiones requirit : necesse enim est, ut in terra bene parata recipiatur et diligenter excolatur...

II. *Quis seminator?* Quo fine, cujus gratia seminat? quonam modo seminat? — R. 1° Seminator est *Filius hominis*, Christus Dominus, Verbum incarnatum, qui messem pretiosam suscitare intendit, messem electorum, quos coronare possit et in æterna beatitudine collocare : *Congregabit triticum suum in horreum.* Matth. III, 12.

2° Essentialiter seminator est Dominus noster : ideo dicitur *qui seminat*, cujus nempe proprium est seminare... Hoc unicum negotium atque consilium Salvatoris, ad quod tota ejus providentia dirigitur. — Ideo *exiit* e gloria sua cœlesti, et in hæc infima venire dignatus est...

3° Seminat autem per se, et per servos suos : per angelos nempe bonos, perque Ecclesiæ ministros ; — seminat per sacras conciones, bona exempla, pios libros, pias imagines, etc.

III. *Quis ager, quæve terra?* — R. 1° Terra est anima cum suis potentiis, in quas Dominus semen spargit. -1) In memoria ac phantasia seminat sanctas cogitationes et imagines puras : quales sunt exempla Christi et Sanctorum, recordatio peccatorum nostrorum, pœnarum inferni, gaudiorum paradisi, brevitatis hujus vitæ, mortis et judicii instantis, præsentiæ Dei atque angeli custodis, etc. -2) In intellectu seminat illustrationes illas cœlestes, quæ thesauros ac mirabilia, in fidei nostræ mysteriis latentia, repente manifestant ; et sunt instar seminis ad meditationem et contemplationem sanctam pro-

ducendam comparati. Seminat similiter inspirando bona consilia, quæ homo vel sibi accipere, vel aliis dare possit; conscientiæ item dictamina, quibus nos exhortetur ab bonum, aut de malefacto reprehendat. -3) In voluntate seminat sancta desideria et affectiones, quæ scintillarum instar erumpentes, ignem producunt veræ charitatis et fructum virtutum : quales sunt affectus timoris Dei, inferni et mortis ; dolor de peccatis, amor Dei, desiderium illum videndi, eique serio, omnino ac non ex parte, perfecteque serviendi...

2° Ager est anima nostra, quæ tanquam terra est, ad fructum producendum idonea, dummodo-1) debite præparetur, excolatur, etc. ; et -2) semen recipiat. — Præparanda est a nobis, Dei gratia tamen juvante ; semine autem conserenda a Deo. Hæc duo, semen, quod ex parte Dei non deerit, et cultura ex parte hominis, si concurrant : anima nostra producit fructum suum, et promeretur vitam æternam. — Hinc audiendi verbum Dei necessitas facile deducitur, nec non modus illud bene et fructuose audiendi....

Et dum seminat, aliud cecidit secus viam... et aliud cecidit supra petram... et aliud cecidit inter spinas... et aliud cecidit in terram bonam.

Diversitas terræ semen suscipientis, diversos indicat verbi Dei auditores, seu Christianos : nimirum homines, vel distractos, otiosos, variisque impedimentis irretitos ; vel recte dispositos. — Etenim quatuor jacti seminis differentiæ a Domino distinguuntur : 1° semen quod in terræ sinum non recipitur, seu terram non habens, quia terra nullo modo arata est; 2° semen non habens terram sat profundam, neque humorem ; 3° semen terram habens sufficientem, sed spinis impeditam; 4° semen habens terram interius et exterius bonam. — Quæ seminis jacti distinctiones quatuor, totidem significant hominum classes verbum Dei audientium, quæ sequentibus modis enuntiari et proponi possunt.

Primus modus. Verbi auditores sunt : 1° Qui nullam afferunt dispositionem. — 2° Qui dispositionem habent aliquam, sed interius vitiosam : i. e. conjunctam cum internis obstaculis.

— 3° Qui habent dispositionem exterius vitiosam. — 4° Qui habent dispositionem simpliciter bonam : i. e. ab omni, tum interno, tum externo impedimento liberam.

Secundus modus. Qui verbum Dei audiunt, si particularius determinentur, sunt : 1° Animi, vel, homines dissipati. — 2° Animi inconstantes.—3° Animi rebus terrenis occupati.— 4° Animi prorsus ab obstaculis expediti et ad omnia parati.

Quæ singulæ classes in particulari considerandæ sunt.

Aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cœli comederunt illud.

1° Primum terræ genus est via publica. Via porro quid est? — R. Est terra -1) inculta, -2) omnibus transeuntibus, etiam animalibus aperta ; -3) ideoque calcata et indurata ; -4) quapropter semen in eam non penetrat, et -5) a volucribus aufertur.

2° Hæc imago est animæ dissipatæ, et longa dissipatione obduratæ : -1) terra hæc inculta est : en negligentia, pigritia, defectus orationis... -2) Terra aperta est, nec ulla sepe circumdata : en incustodia sensuum, oculorum, linguæ, phantasiæ, cordis; — en temeritas in exponendo se omnibus periculis, personarum, locorum, librorum, etc. -3) Est terra calcata : en peccata omnigena, quæ absque resistentia in animam illam intrant, eamque per frequentiam actuum, i. e. per consuetudinem, obcæcant et obdurant. -4) Semen in hujusmodi terram non penetrat : i. e. verbum Dei non intime ab anima consideratur, nec intelligitur ; cœlestes gratiæ, gravissimæ veritates, eam non movent. -5) Imo a volucribus, i. e. a diabolis e memoria auferuntur, ne quando anima de illis cogitet et convertatur. Porro facile id diabolus efficit, quando cordis aditus ipsi semper ut aperta via patescit.—Hujusmodi miserrimæ dispositionis remedium, ut patet, erit efficax causarum sublatio.

Alia ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam, et continuo exorta sunt... Sole autem orto æstuaverunt, et quia non habebant radicem... nec humorem, aruerunt.

1° Secunda terra describitur talis, quæ sit -1) extrinsecus bona, sed -2) intrinsecus profunditate carens, propter lapides quos recondit ; 3) semen illic exoritur continuo, sed -4) caret radice et humore interno ; -5) quare mox, orto sole, arescit.

2° En imago animæ inconstantis. — Est quidem anima illa -1) extrinsecus bene disposita, religionisque officia externe implet ; -2) interna vero dispositione, puta humilitate, recollectione et applicatione rebus internis, odio peccati solido destituta est : quia scilicet non tollit obstaculum quodpiam secretum, quo impeditur quominus se penitus Deo tradat, et dicat : *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum* (Ps. CVII). Obstaculum hujusmodi esse solet aliqua passio minus domita, etc. -3) Semen exoritur continuo : i. e. anima verbo Dei, gratia, etc., facile movetur, bonumque propositum concipit ; sed non perseverat fortiter, vivitque in vicissitudine lapsus et conversionis. -4) Caret radice, i. e. fide viva, spiritu orationis, qua humor salutaris gratiæ hauritur de fontibus Salvatoris. -5) Orto sole, i. e. ubi primum tentatio, sive blandiendo, sive terrendo pulsaverit, misere anima succumbit. — Remedium iterum, detectis mali causis, facile cognoscetur.

Et aliud cecidit inter spinas ; et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.

1° Hæc tertia terra non inculta est, imo bona foret, nisi spinarum radices contineret, quæ debuissent evelli. Spinæ sunt divitiæ ac voluptates sæculi ; item divitiarum cupiditas, et rerum temporalium, non quidem moderata et secundaria cura, sed immodica sollicitudo, quæ animum ita occupet, ut res primariæ, i. e. lex Dei et religionis officia negligantur, secus ac monet Dominus : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Matth. VI, 33.

2° Spinæ sunt divitiæ, quæ non solum steriles sunt ipsæ, nec ullo modo animam satiant; sed suffocant christianas virtutes et spiritum Dei exstinguunt, atque animam pungunt, lacerant, pacemque tollunt quæ necessaria est ut Deo bene serviatur : *Factus est in pace locus ejus.* Ps. LXXV.

3° Divitiæ spinæ sunt, licet flores videantur; — pungunt, etc., licet blandiantur; similiter omnes voluptates sæculi, quantumvis dulces, venenum continent, et amaritudinem præparant amarissimam.

4° Spinæ divitiarum eruendæ sunt, eleemosynam erogando, luxum abjiciendo, mortificationem Christi amplectendo....

5° Dominus rem explicat his verbis : *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes suffocantur;* quibus -1) contra sollicitudines et curas vitæ præsentis, -2) contra divitias, -3) contra voluptates carnis, nos præmunit : quatenus hæc tria spinæ sunt, quæ verbum Dei suffocant.

Et aliud cecidit in terram bonam.

1° Quarta terra est bona, et semini capiendo idonea, illa nimirum quæ bene exculta, lapidibus spinisque purgata, opportune irrigata, sepibusque munita est. Hæc fructum producit pro soli natura, vel coloni diligentia plus minus copiosum, puta tricies, sexagies, centiesve multiplicatum.

2° Terra bona, en imago animæ, Dei verbo, omnique divinæ gratiæ influxui recipiendo dispositæ ac paratæ : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Ps. CVII). Hujusmodi dispositionis conditiones sunt, voluntas et applicatio seria negotio salutis, conatus, labor, patientia, oratio, mortificatio, periculorum fuga, etc. ; quæ ex allegoria Dominica facile intelliguntur, nec non ex ipsius interpretatione, quum dicit : *Hi sunt, qui corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia.* — Porro quodnam sit cor bonum et optimum, — quare et quomodo verbum Dei sit retinendum, — ac demum quomodo patientia ad omnes virtutes exercendas necessaria sit, ex supradictis facile deducetur.

3° *Fructus* sunt merita, virtutes, bona opera, et præmium æternum in cœlis : qui fructus magis magisque multiplicari possunt secundum fervorem et generositatem nostram. *Unusquisque... mercedem accipiet secundum suum laborem.* I Cor. III, 8.

4° Terram præparare debent, -1) pro se quisque; -2) parentes vero, superiores, et quicumque animarum curam gerunt, etiam pro subditis : eos scilicet adjuvando, eis media subministrando, etc.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Luc. XVIII, 31-43. Assumpsit Jesus duodecim, et ait illis : Ecce adscendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.

Factum est autem, quum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et quum

---

Matth. XX, 17-34. Et adscendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis : Ecce adscendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et tertia die resurget... Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret; et clamaverunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt et secuti sunt eum.

Marc. X, 32-52. Erant autem in via, adscendentes Jerosolymam; et præcedebat illos Jesus, et stupebant; et sequentes timebant. Et assu-

audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit, dicens : Jesu, fili David, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et quum appropinquasset, interrogavit illum, dicens : Quid tibi vis faciam? At ille dixit : Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi : Respice : fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

---

mens iterum duodecim, cœpit eis dicere quæ essent ei eventura : Quia ecce adscendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus; et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum; et tertia die resurget... Et veniunt Jericho; et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi, Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans. Qui quum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare et dicere : Jesu, fili David, miserere mei. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exsiliens, venit ad eum. Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam. Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

Explicatio prima.

—

Opportune Ecclesia hodie Evangelium proponit, quo Dominus suam passionem prædicit : ut nimirum ex una parte, veluti a longe ad Dominicam passionem fidelium mentes et corda convertat; ex altera vero parte, omnes admoneat, ne diebus antecineralibus peccata gentilium imitentur, et Christi passiones atque ludibria renovent. — Adjungitur autem miraculum hominis cæci a Christo illuminati, ut discamus quomodo et nos, ad passionis mysterium contemplandum, a Domino illuminari debeamus; ne de nobis dicendum sit, quod de Apostolis Evangelium declarat : *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.*

I. *Christi passio prædicta.*
II. *Cæcus prope Jericho illuminatus.*

—

Assumpsit Jesus duodecim, et ait illis : Ecce adscendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

Duodecim Apostolos Dominus segregavit ab aliis discipulis comitantibus, ut illis prædiceret suam passionem, quam reliquis nondum manifestare volebat. Jam bis antehac de instante morte locutus erat : primum, mense Julio tertii prædicationis anni, postquam Petrum divinitatem suam audiverat confitentem; deinde mense Augusto sequenti, postquam lunaticum dæmoniacum magna omnium admiratione curaverat (Luc. IX, 22); nunc autem, decem circiter diebus ante mortem, cum ultimum ascenderet, i. e. proficisceretur Jerosolymam, eamdem suam passionem distinctius prædicit. — Marcus sic narrat : *Erant autem in via, adscendentes Jerosolymam; et præcedebat eos Jesus; et stupebant; et sequentes time-*

bant : ubi et Christi ad mortem euntis alacritas, et Apostolorum admiratio timorque significatur.

Cum itaque hac ratione Christus Dominus iter faceret, substitit paulisper, donec duodecim Apostoli ad ipsum pervenirent, quos seorsim accipiens, secreto dixit eis : *Ecce adscendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.*

Tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus : et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ; et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum ; et tertia die resurget (Marc.).

Principes sacerdotum et Scribæ, quibus tradendus prædicitur Christus, illi erant qui Consilium supremum, seu Synedrium constituebant. — *Et tradent eum gentibus*, i. e. Pilato, Romano præsidi ejusque militibus. Antithesis ponitur inter Judæos et Gentes, velut inter amicos et hostes, quasi Dominus dicat : Non satis erit Judæis, quod ipsi per se Filium hominis suppliciis afficiant ; sed hostibus eum tradent ut ab iis gravius crucietur, et crucifigatur. — *Et tertia die resurget.* Vaticinio passionis suæ Dominus semper addit vaticinium resurrectionis : ut discipuli intelligant, mortem nequaquam esse finem vitæ ejus, sed potius initium gloriæ ac regni.

Si quæratur, cur hæc tunc, quum appropinquaret Jerosolymam, Christus Apostolis dixerit? respondet Chrysostomus, rationem Domino fuisse, ut discipulos ad patientiam et animi constantiam, in tempus instantis suæ passionis præmuniret : jacula enim prævisa minus feriunt. — Verba Domini itaque hoc loco, ut sæpe alias, pronuntiantur ad effectum futurum ; imo, tempore quo proferuntur, ne intelliguntur quidem ab audientibus : *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.*

Quum appropinquaret Jericho...

Oppidum Jericho, duabus ferme leucis a Jordane, sex vero a Jerosolyma situm, ex etymo hebraico *luna* interpretatur; vel, juxta alios probabilius, *odor :* quia regio Jerichuntina, in amœna valle sita, sole puro multisque rivis recreata, odoratos flores et arbores venustissimas ferebat, inter quas illa eminebat unde balsamum odoriferum elicitur.

Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

Dicit Lucas, cæcum prope Jericho a Domino fuisse sanatum in accessu ad oppidum; Marcus refert similiter, ibi sanatum cæcum Bartimæum, at in exitu; Matthæus vero ibi sanatos fuisse, ait, duos cæcos, in exitu. Utrum igitur de eodem an de diverso eventu loquantur Evangelistæ, disputant interpretes. Opinio probabilior tenet, duplicem fuisse distinctam sanationem, alteram in aditu, alteram in exitu a Domino peractam; Matthæum vero, propter rei similitudinem, ambas absque distinctione loci in unam contraxisse.

Et quum audiret turbam prætereuntem, interrogabat... et clamavit, dicens : Jesu, fili David, miserere mei...

Cæcus homo non videbat, sed *audiebat turbam* prorsus insolitam, et *interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret.* Quo nomine tot miraculis noto, subito spem recuperandi visus concipit miser; statimque, quod unum facere potest, alta voce clamat, Domini misericordiam implorans. — Quod autem dicit : *Jesu, Fili David*, i. e. *Jesu, Messia :* vulgo enim Messias *filius David* vocabatur : adeo notum omnibus erat vaticinium statuens, fore ut Christus de Davidis stirpe nasceretur et sederet super thronum ejus.

Quæ cum inclamaret cæcus, turbæ *increpabant eum ut taceret;* quod quidem non invide atque maligne, sed officiose pium populum fecisse credendum est : ne hominis abjecti clamor molestus esset Domino, qui forte tunc ad discipulos loquebatur. — *Ipse vero multo magis clamabat :* tum quia ve-

tatio accendebat ejus desiderium, tum quia majore clamore opus erat ut turbæ increpantis voces superaret. — Ex increpatione hujusmodi patet, Dominum non statim hominem exaudisse; sed primum, quasi ejus clamorem negligeret, progressum esse : mox vero benigne substitit : *Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. — Et vocant cæcum*, inquit Marcus, *dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exsiliens, venit ad eum. Et respondens Jesus dixit illi :*

Quid tibi vis faciam ?

Non quasi ignoret interrogat; sed, 1° ut cæci fiduciam ac desiderium augeat; et 2° ut turbæ attentionem excitet in miraculum quod est operaturus. — Porro homini promptissime respondenti : *Domine, ut videam*, ait Jesus :

Respice : fides tua te salvum fecit.

Sensus est quasi diceret : Restituo tibi visum per omnipotentiam meam, quæ causa quidem est principalis et efficiens sanationis tuæ; sed causa quoque, licet secundaria, est *fides tua :* nimirum causa vel dispositiva vel meritoria. — Dicitur apud Matthæum : *Misertus eorum Jesus, tetigit oculos eorum :* nempe misertus quia clamaverant : *Miserere nostri;* oculos tetigit, ut sic sanando, salvificam ac salutiferam carnis suæ virtutem ostenderet. — Tactu itaque ac verbo Domini efficiente, *confestim vidit, et sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.*

Hic cæcus, vel hi cæci, a Christo curati, ordine sunt quinti. Primi fuere duo illi, de quibus egit Matthæus IX, 27. Secundus, dæmoniacus simul et mutus, de quo idem Matth. XII, 22. Tertius, ille qui gradatim illuminatur Bethsaidæ, dicens : *Video homines sicut arbores ambulantes* (Marci VIII, 24). Quartus fuit cæcus natus (Joan. IX). Quintus, de quo Lucas hic locutus est. — Sexti fuere illi, qui paulo post a Domino sanati sunt in templo : *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo; et sanavit eos.* Matth. XXI, 14.

Explicatio secunda.

Erant autem in via, adscendentes Jerosolymam; et præcedebat illos Jesus (Marc.).

Cur Dominus, Jerosolymam adscendens, ubi eum passio et cruciatus manent, ita præter solitum properat? — R. 1° Ut ardorem suum ad patiendum pro nobis, et promptitudinem ostendat. 2° Ut Apostolos suos, omnesque discipulos, ad sequendum se in via laboris et patientiæ, incendat et provocet. Quis enim talem ducem sequi detrectet?...

Ecce adscendimus Jerosolymam.

En vita hominis christiani : adscendit cum Christo Jerosolymam, i. e. in civitatem sanctitatis : 1° Jerusalem terrestrem, ubi templum, ubi Calvarium;.... 2° Jerusalem cœlestem, ubi gaudium et triumphus. — Adscendimus cum Domino Jerosolymam, prius ad compatiendum, deinde ad conregnandum : *Si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus.* II. Tim. II, 12.

Tradetur enim...

Cur toties Christus Dominus de passione sua loquitur? 1° Quia jugis ipsi obversabatur passionis memoria : quo exemplo docemur, eamdem Domini passionem semper præ oculis habendam, ut de ea cogitare et loqui delectemur (1). — Nec inopportune passionis memoriam nobis proponit Ecclesia hodie, ut nos præmuniat contra scandala bacchanalium ante caput jejunii quadragesimalis...

2° Ut discipulos, adeoque nos omnes, confirmaret in fide, ne tempore suæ passionis vacillarent; utque ad similiter patiendum nos præpararet.

(1) *Adjumenta* Argum. 42.

3° Ut suum erga nos amorem patefaceret, — nobisque horrorem peccati, quæ causa passionis fuit, augeret.

Et tertia die resurget.

Resurrectio inseparabiliter cum morte Domini conjungitur, ut in mente quoque nostra hæc duo indivisa permaneant; melle resurrectionis condiendum est fel passionis : ut si labor terreat merces invitet. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Rom. VI, 5.

Et ipsi nihil horum intellexerunt.

1° Passionem Domini non omnes intelligunt ; eamque penetrare ac sapere donum Dei pretiosum est, oratione petendum, et meditationis ac mortificationis exercitio promerendum.

2° Causæ ob quas Apostoli mysterium passionis non intelligerent, erant timor contemptus et honoris ambitio, obscurantes intellectum eorum, eo quod contrariam illis mysteriis dispositionem inducerent.

3° Postea vero, quum Spiritum sanctum accepissent, et ignominiam crucis essent amplexi, mysterium passionis ita intellexerunt, ut in eo omne lumen, omnemque scientiam invenirent : *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (I Cor. II, 2) ; — *Verbum enim crucis... nobis Dei virtus est.* I Cor. I, 18.

Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

1° Ille cæcus repræsentat humanum genus, imo homines singulos, spiritualiter cæcos, donec a Christo illuminentur (1). Homo enim absque Christo et absque fide, licet rationis exiguo lumine non careat, in plerisque cæcus est, non cognoscens neque cœlestia, neque terrestria prout sunt... Cæcus, inquam, est duplici cæcitate, mentis nempe et cordis, ignorantiæ et culpæ, erroris et pravæ passionis. — Sedet secus

(1) *Adjumenta,* Argum. 11 et 15.

viam vitæ, otiose ac sine fructu pro æternitate vitam transigendo, et misera quædam solamina a creaturis transeuntibus mendicando....

2° Cæcus ille nobis exempla virtutum præbet, quibus, sicut ipse, a Christo prope transeunte, illuminationem recipere debeamus. Sunt autem virtutes hujusmodi : -1) fides ac fiducia magna in Christi potentia et bonitate ; -2) desiderium vehemens illuminationis, proveniens ex cognitione, tum suæ miseriæ, tum luminis quo privatus est. — Magna scilicet miseria est cæcitas : deformat faciem, impedit actionem, inducit periculum, excludit gaudium : *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video* (Tob. V, 12) ? — E contra, luminis claritas, visio, oculi, sunt homini gaudium, securitas, pulchritudo et decor : *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* Cant. IV, 9.

Clamavit.

Ad Jesum clamat homo cæcus, clamore repetito : quo ardorem desiderii et orationis suæ demonstrat : ut nos discamus ad Dominum clamare, id est, non languide, sed ferventer Dominum exorare, ut exaudiat orationem nostram, et clamor noster ad ipsum perveniat.

Increpabant eum ut taceret.

En impedimenta orationis vincenda : nimirum distractiones, nimia negotiorum ac rerum temporalium sollicitudo, ariditas, et secreta diffidentia qua non audiri a Domino nobis videmur ; sed his nihil obstantibus, orandum et multo magis clamandum est : *Jesu, fili David, miserere mei.* — Hic quoque docemur constantiam qua armari debemus, ut non cedamus tentationi, aut difficultatibus objectis circa bonum opus, quod suscepimus exsequendum.

Stans autem Jesus.

1° En suavis œconomia Domini : etsi primum statim hominis clamorem percepit, dissimulavit tamen quasi non audisset : ut ejus probaret constantiam et sanitatis acueret desi-

derium. Quod idem nobiscum sæpe agit, ut perseverandi occasionem præstet; et proinde perseverantia in petendo, sit nobis ad accipiendum dispositio.

2° Manifestatur Domini benignitas, qui ad cæci unius mendici vocem, gradum sistit, verus sol justitiæ *obediens voci hominis, sistens in medio cœli.* Josue, X, 14.

3° Ostenditur quoque peculiaris clementia Dómini erga eos, qui fortes sunt in fide, et constantes in bono opere.

Jussit illum adduci ad se.

1° Quamvis potuisset Dominus hominem a longe sanare, vult tamen eum ad se venire : ut ostendat, nostram semper in re salutis cooperationem requiri.

2° Prout refert Marcus, turbæ dixerunt cæco : *Surge, vocat te. Qui projecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum.* His verbis ostenditur, quomodo, ubi vocatio Dei, ejusque divina inspiratio sentitur, omnia terrena impedimenta abjicienda sint, ut cum exsultatione Domini voci pareatur.

Quid tibi vis faciam?

1° Non quia ignorat Dominus interrogat; sed ut ardentem petitionem eliciat : vult enim ut petamus : *Petite, et accipietis.*

2° Tanta est Christi liberalitas, ut ad præstanda nobis quæ petere voluerimus , ultro sese offerat. Hæc enim verba unicuique nostrum loquitur : *Quid tibi vis faciam?...* et revera faciet nobis omne bonum, dummodo -1) vere velimus, et -2) vere petamus.

Domine, ut videam.

1° Ita omnes corporaliter cæci respondissent, cum omnes cæcitate liberari et beneficio visus donari percupiant. At non ita respondent qui spiritualiter cæci sunt : hi enim sæpissime cæci existunt voluntarie, et lumen oderunt; vel tenebras suas agnoscere nolentes, se videre affirmant. Sic Pharisæi, cum dicerent : *Numquid et nos cæci sumus? Dixit eis Jesus :*

Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet. Joan. IX, 40, 41.

2° Nos autem dicamus Christo : *Domine, ut videam:* nempe ut cognoscam et videam peccati turpitudinem, concupiscentiæ vilitatem, voluptatis exilitatem, inferni atrocitatem, virtutis pulchritudinem, paradisi felicitatem, gloriæ æternitatem, etc.; — ut videam, ex una parte, meam miseriam, et ex altera tuam misericordiam; ut videam oculo mentis, veritates fidei tam sublimes tamque jucundas... ut videam te, Deus, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* I Cor. XIII, 12.

Respice, fides tua te salvum fecit.

1° En Dei omnipotentia : unico verbo hominem cæcum illuminat; et quidem, non tantum exterius, sed etiam interius, siquidem statim Dei amore repletur : *Sequebatur illum magnificans Deum — Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.* Eccli. XI, 23....

2° En quoque virtus fidei : fides enim ac fiducia vivida, tanquam dispositio præcipua et essentialis ad recipienda dona Dei, hic indicatur.

Et confestim vidit.

1° Quod sanetur subito, id magnæ suæ fidei debuit; sicut e contra, cæcus Bethsaidæ (Marc. VIII, 23), ob parvam suam fidem, non confestim, sed paulatim illuminatus est. Qui cum ad Dominum esset adductus, *exspuens Dominus in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. Et aspiciens, ait : Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, et cœpit videre; et restitutus est, ita ut clare videret omnia.*

2° Duplex hujusmodi sanatio imaginem quoque exhibet duplicis modi, quo Dominus spirituale lumen et spiritus perfectionem communicat. Alter est modus extraordinarius, repente et unico momento id efficiens, sicut in Saulo.—Alter ordinarius, sensim atque gradatim operans : communicata primo obscura mysteriorum cognitione, postea distinctiore,

et sic porro crescente claritate secundum recipientis dispositionem : donec *clare videat omnia,* et res divinas tanto lumine cernat, ut tam fiat certus de eis, ac si eas oculis spectaret : ascendendo, ut ait Apostolus, a claritate in claritatem, donec transformetur in imaginem gloriæ Deï, quam contemplatur in Christo Jesu : *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu.* II Cor. III, 18.

Et sequebatur illum, magnificans Deum.

1° En hominis erga Jesum gratitudo, quam sane pro tanto beneficio debebat.

2° Gratitudo ejus consistit in bono usu beneficii accepti : jam enim videt qua via debeat ambulare,... ad quem debeat respicere, nempe ad Jesum et ad Deum...

3° Omnis gratitudo nostra ad hoc reducitur, ut sequamur Christum, et hac sequela magnificemus Deum....

DOMINICA PRIMA IN QUADRAGESIMA.

Matth. IV. 1-11. Tunc ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et quum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis man-

---

Marc. I, 12, 13. Et statim Spiritus expulit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus; et tentabatur a satana; eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.

Luc. IV, 1-13. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane ; et agebatur a Spiritu in desertum, diebus quadraginta, et tentabatur a diabolo Et nihil manducavit in diebus illis ; et consummatis illis esuriit. Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. Tu ergo, si adoraveris coram me, erunt tua omnia. Et respondens Jesus dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si Filius Dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptum

davit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus : Vade, satana : scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

—

Explicatio prima.

Ut quadragenarium pœnitentiæ tempus, quod ad mysteria paschalia, i. e. ad mysteria mortis ac resurrectionis Christi celebranda præparatorium existit, tum jejunando, tum orando, tum diabolo et peccato resistendo, fideles sancte transigant; merito eis Ecclesia Evangelium de mansione Domini in deserto, hodie prælegendum ponit : in quo duæ partes distinguuntur :

I. *Domini jejunium.*
II. *Domini triplex tentatio.*

—

Tunc ductus est Jesus in desertum a Spiritu.

Mense, ut videtur, Januario, statim post Baptismum, ac glorificationem suam a Patre, Spiritu sancto, quo plenus erat, impellente, secessit Jesus in desertum; in illum, ut vi-

---

est enim quod angelis suis mandavit de te, ut conservent te : et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Et respondens Jesus ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

detur, silvaticum tractum, qui intra Jordanem et Jericho porrigitur, et Joannis Baptistæ commoratio fuerat. Sic autem mansit in locis silvestribus, ut neque tectum, neque cibum, neque socium haberet præter animalia. *Eratque cum bestiis.* Marc. I, 13.

Ut tentaretur a diabolo.

Id est, ut Spiritus sanctus permitteret Christum ibi tentari a diabolo. Tentatio autem hujusmodi intelligenda est mere externa : interne enim, per veram animi impulsionem ad peccatum, Filius Dei tentari non poterat. *Tentari*, inquit Gregorius, *per suggestionem potuit : sed ejus mentem peccati delectatio non momordit.*

Causa itaque cur Dominus in desertum ductus sit, hæc est, *ut tentaretur a diabolo.* — Cur autem Spiritus Dei Christum tentari voluit? Non sane ut probaret ejus fidelitatem, et videret an peccato non cederet : quod de impeccabili Filio Dei dicere blasphemum foret; sed ut Dominus nobis exemplum fortitudinis daret in tentationibus nostris, modumque eas superandi ostenderet, nobisque gratiam victoriæ promereretur.

Hæc ratio cur Dominus desertum petierit, licet sola ab Evangelistis signetur, non tamen unica censenda est. Cum enim Moyses antequam legem acciperet, quadraginta dies solus in monte versatus esset (Exod. XXIV, 18), et Joannes in eadem solitudine degisset; voluit Christus eum se ostendere, cujus Moyses figura, et Joannes præcursor fuisset. Præterea nos exemplo suo solitudinis amorem docere intendit.

Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Jejunavit quadraginta integros dies, ab omni cibo potuque abstinendo; quod Moysen antea (Exod. XXIV, 18) et Eliam (III Reg. XIX, 9) fecisse legimus, Deo supernaturaliter vires naturæ sustentante.

Cur autem Dominus quadragenarium hoc jejunium sustinere voluit?—1° Ut impleret figuras in Moyse et Elia olim exhibitas. Jejunavit enim Moyses quadraginta diebus antequam Legem acciperet promulgandam; item Elias, antequam vide-

ret Deum in monte Horeb, et mandatum acciperet ungendi regem et prophetam in Israel. Similiter Christus quadraginta dierum jejunio se præparare voluit ad publicandam novam Legem, et ad præbendum in sua persona Messiam, *unctum Domini*, Regem ac Prophetam verum, divinitus missum hominibus.

2° Ut exemplo suo nos exercitium jejunii doceret. Et quidem exemplum Domini principium fuit nostræ Quadragesimæ : *Jejunio* enim *suo Christus*, ut Hieronymus scribit, *quadragesimæ nobis jejunium consecravit.* — Observant Patres, mysticum hunc esse numerum quadragenarium. Etenim non solum Christus, Moyses et Elias, quasi numeratis ad calculum quadraginta diebus jejunarunt : quod ipsum erat satis, ut aliquod inesse huic numero mysterium intelligeremus; sed multa etiam alia hoc numero videmus facta, quæ casu facta esse non possunt. Inter alia, quadraginta dies et noctes pluit, quum diluvio Deus terram purgare voluit; quadraginta annos filii Israel in deserto morantur; quadraginta dies Goliath, diabolum, adversarium nostrum significans, stat exprobrans contra populum Dei; quadraginta dies Christus post resurrectionem, antequam in cœlum ascendat, in terris versatur. Jam vero mysticus hujusmodi numerus, ut ait Augustinus, totum præsentis vitæ repræsentat cursum, pœnitentiæ et peccatorum expiationi destinatum : qui cursus si rite peragatur, ad cœlum desinit. Merito itaque solemni pœnitentiæ seu jejunio quadragenarium spatium tribuitur.

Postea esuriit.

Naturam scilicet humanam suis viribus relinquendo esuriem pati voluit : idque -1) ne dubium nobis oriretur de veritate carnis suæ; -2) ut nos disceremus esuriem pati. *Scio... et abundare, scio et penuriam pati.* Phil. IV, 12.

Et accedens tentator.

Visibili, eaque humana specie, diabolum accessisse communis sententia est, in eo fundata, quod et multa cum Christo collocutus sit, et adorari se voluerit. — *Tentator*, ille nempe qui tentare solet. Quod nomen idem fere sonat ac *diabolus* seu

satanas, i. e. *adversarius*, *calumniator*, *insidiator* (I Pet. V, 8), et omnibus dæmonibus competit; hic autem, ut et alibi, designat Luciferum, dæmonum principem, qui antonomastice *Satanas* seu *Diabolus* vocatur.

Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

Duo, ut videtur, intendebat Satanas : 1° experiri utrum Jesus esset vere Filius Dei unigenitus, an solummodo filius Dei adoptivus, i. e. merus homo, quamvis sanctissimus. Videbat enim in Jesu hominem, non autem clare videbat Deum : quia mysterium unionis hypostaticæ ejus intelligentiam superabat. Cum autem ex superbia rem quam non intelligeret credere nollet, idcirco in incerto erat, et indicia quærebat quibus suum dubium solveret.

Hic quæri potest, an postea dæmones ex miraculis Jesu cognoverint, eum verum Messiam et Deum esse? — Resp. cum Suaresio (1) : Speciali quidem Dei providentia dæmones impediti fuerunt, quominus Jesum tempore infantiæ ac vitæ privatæ certo cognoscerent esse Messiam. Postquam vero Dominus prædicare cœpit et miracula facere, verisimiliter permissum est eis, ut cognoscerent illum esse verum Messiam ac naturalem Dei Filium, etsi fortasse cum aliqua formidine de opposito. Sciebant enim ex Scripturis Messiam fore Dei Filium. — Quod si dæmones, tum Judam, tum Judæos excitaverint ad Redemptorem immolandum; dicendum est, eos non intellexisse mysterium in Christi passione absconditum : i. e. hominum salutem ac maximam Dei gloriam in ea contineri nescierunt, nec, præ furore atque Dei seu Christi odio, prophetias hac de re factas satis animadverterunt, aut forsan eas prorsus ignorarunt (2).

(1) *De Incarnat.*, part. 2, disput. 31, sect. 3.

(2) Scilicet Salvator noster, inquit S. Leo (Serm. 11 de Pass.), ut humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis absolveret, et sævienti diabolo potentiam suæ majestatis occuluit, et infirmitatem nostræ humilitatis objecit. Si enim crudelis et superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere : ne omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem.

2° Tentator intendebat secundo loco, Jesum, si forte merus homo esset, ad peccatum deducere. — Probabile est, hypocritam inimicum virtutis larvam induisse : quasi Jesu divinitatem ideo cognoscere cuperet, ut eum adorare, eique adhærere posset; quapropter miraculum petit, tanquam divinitatis signum, dicens :

Dic ut lapides isti panes fiant. — Actum omnipotentiæ postulat, et alludere videtur ad Scripturæ verba : *Dixit et facta sunt* (Ps. XXXII) ; et ad illa : *Dixitque Deus : Fiat lux; et facta est lux* (Gen. I, 3). — Aggreditur Dominum illo tentationis genere, quod convenientius adhibendum judicabat erga hominem mirabilem, quem viderat in continua oratione et jejunio tam diuturno perseverantem. Dominus autem respondet :

Scriptum est...

Quia diabolus ad Scripturam allusisse videbatur, per Scripturam a Domino refellitur; quod in aliis quoque tentationibus occurret. — Porro ad Scripturam tanquam ad verbum Dei, atque summam agendi regulam et motivum, tum a Christo, tum etiam, etsi false, a diabolo appellatur.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Verba sunt desumpta ex Deut. VIII, 3, ubi de manna loquens Moyses, significat, Deum non indigere usitato cibo ut servos suos alat; posse enim quacumque re jusserit, hominem sustentare, sicut Judæos solo manna sustentavit in deserto. — Conclusio Domini est hæc : non panis mihi opus est quem tu vis, sed illud vitæ alimentum quod Deus voluerit. — Quoniam autem Dominus his verbis fiduciam ostendit in divina providentia, astutus tentator hanc fiduciam in præsumptionem ac superbiam extollere conabitur.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim...

Assumpsit eum, id est, transtulit Dominum realiter et localiter, eo probabiliter modo, quo angelus prophetam Habacuc legitur transtulisse (Dan. XIV, 35). Id autem non nisi permittente Domino factum esse patet : quod quidem non minus permittere potuit, quam postea se a tortoribus crucifigi. — Assumpsit in *sanctam civitatem*, i. e. Jerosolymam, quæ ratione templi sic vocatur. — *Super pinnaculum*, i. e. super peribolum, quod erat circa summum tectum templi, ne quis hic deambulans caderet.

Mitte te deorsum : ita nempe ut nullam læsionem accipias ; Deus enim Filium suum custodiet, de quo Scriptura illud expresse in Psalmis asserit : *Quia angelis suis mandavit de te...* — Si Christus merus homo fuisset, uti suspicabatur diabolus, hæc suggestio in eum, sicut in alios accidit, efficax esse potuisset.

Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Verba desumpta sunt e Psalmo XC, nec tamen fideliter a diabolo citata, multoque minus recte interpretata. Sensus enim est, hominem justum, in iis quæ secundum Dei voluntatem aget, etiamsi totus adversetur mundus, tam præsens Dei auxilium esse experturum, ut angelorum manibus gestari videatur. Jam vero diabolus verba illa, quæ de omni viro justo dicta sunt, Christo accommodat, sed sensu perverso : quasi omnis actio justi, etiam imprudens et prava, divinitus adjuvanda esset.

Ait illi Jesus : Non tentabis Dominum Deum tuum.

Verba desumpta ex Deut. VI, 16, quorum sensus a Domino hic intentus, est : Non licet sine necessitate aut justa causa, a

Deo miraculum postulare; quod faceret ille, qui ultro se præcipitans ab angelis sustineri vellet.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum.

Mons ille excelsus, juxta traditionem probabilem, non longe distat ab ipso loco deserti ubi jejunavit Dominus. — *Ostendit ei omnia regna mundi*, probabiliter non ita ut oculis ejus ea exhiberet; sed ita, ut cujusque regni plagam digito demonstraret, simul verbis explicando *gloriam*, seu cujusque regni præstantiam, et dicens :

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

Jam princeps superbiæ semetipsum Dei Filium esse fingit. Nam Christi modestia et silentio audacior factus et protervior, suspicans eum non esse Dei Filium, sed merum hominem, quamvis de cætero piissimum; simulque insita ei deitatis ambitione excæcatus, honores supremos a Christo, ut a cæteris hominibus postulare non dubitavit.

Notandum. In duabus prioribus tentationibus, directe satanas explorare voluit an Christus esset Filius Dei, indirecte vero eum sollicitare ad peccatum gulæ et vanæ gloriæ; in tertia vero, directe voluit sollicitare Christum ad avaritiam, ambitionem et idololatriam, indirecte vero et tacite explorare an esset unigenitus Dei Filius.

Postulanti itaque tentatori adorationem sacrilegam Dominus cum horrore respondet :

Vade, satana : scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Devicto tentatore, angeli accedere dicuntur, quasi, durante certamine, a longe steterint spectantes. — Angeli probabiliter

humani corporis specie assumpta accedentes, Christo tanquam victori congratulati sunt, et ministraverunt, mensam in solitudine sternentes, cibum deferentes, aliaque obsequii debiti officia prout circumstantiæ postulabant, exhibentes.

—

Explicatio secunda.

Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu

A quo spiritu Dominus ducitur? Quo ducitur? et quare?

1° A quo Jesus ducitur? -1) A Spiritu sancto quo plenus est : nihil enim agit, nisi movente eodem divino Spiritu ; et omnia facit ad quæ ab eo impellitur. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (Rom. VIII, 14).—2) Sunt qui ducuntur spiritu mundi, carnis, imo diaboli... Hi non sunt filii Dei : *Nos autem, non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* I Cor. II, 12.

2° Quo ducitur? -1) In desertum, i. e. in locum solitarium, remotum a mundi periculis, — dissipationibus, — commoditatibus ;—in locum recollectionis, convenientem innocentiæ, —pœnitentiæ, — et orationi ac commercio cum Deo : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (Oseæ II, 14). — En locus quo Spiritus sanctus Christum ducit, donec eum inde ad Evangelicum ministerium inchoandum reducat.-2) Non eo ducit spiritus mundanus ; sed ad frequentissimos cœtus, ad theatra, ad pericula omnigena...

3° Quare eo ducitur? — Ut ibi nos exemplo suo doceat, -1) quomodo nos ad Evangelicum ministerium præparare ; -2) quomodo orationi vacare et mortificationem exercere ; -3) quomodo tentationes vincere debeamus.

Ut tentaretur.

Quare Dominus tentari voluit? — Quare in deserto? — Quibus tentationibus (1) ?

(1) Cf. S. Thom. P. 3, q. 41, de loco, tempore, modo et ordine tentationis Domini ; ubi S. Doctor etiam examinat, cur tentatio subsecuta sit Christi jejunium.

1° Tentari voluit, -1) ut exemplo suo doceret nos, tentationes (1) esse necessarias : *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli. II, 1). -2) Ut ostenderet, tentationem in se non esse peccatum; sed exercitium virtutis et materiam meriti. -3) Ut nobis animum daret, in tentationibus socius factus. 4) Ut fiducia vincendi nos repleret, per tentationes suas nobis victoriam promerendo. -5) Ut nos pugnandi artem, et vincendi modum doceret : *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum* (Ps. CXLIII, cf. XVII). Nimirum exemplo ostendit, quomodo per mundi ac periculorum fugam, per orationem et mortificationem, nos contra tentationes præmunire debeamus ac præparare ; et ubi acciderint, quomodo, prompte, fortiter et constanter resistendo, eas superare possimus.

2° Tentari voluit in deserto, -1) ut intelligamus nullum locum in hac vita a tentatione et lucta immunem esse -2) Ut sciamus in deserto, i. e. in fuga mundi tentationes quidem occurrere, sed vinci ; in ipso vero mundo eas ingruere longe frequentiores, et quidem ita, ut passim ab hominibus inermis non vincantur.

3° Tentari voluit tentatione triplici, quæ triplicem concupiscentiam, seu tentationum fontem, adeoque omnia tentationum genera repræsentat. Prima tentatio est gulæ, quæ ducitur ex concupiscentia sensuum et carnis ; secunda vanæ gloriæ et ostentationis, quæ ducitur ex superbia; tertia ambitionis et idololatriæ, quæ ducitur ex avaritia. —Porro Christus suo exemplo et responsis docuit nos, primam tentationem, carnis nempe et nimiæ sollicitudinis de victu, superandam esse fiducia in Deum Deique providentiam; secundam, superbiæ et præsumptionis, vincendam esse timore Dei ; tertiam, avaritiæ et ambitionis, pellendam esse magnanimitate et contemptu mundi.

A diabolo.

1° Tentatio suscitatur a diabolo, non a Deo. Deus enim hominem tentare, i. e. ad peccatum sollicitare non potest;

(1) Cf. *Adjumenta*, Argum. 13, 14, 15.

sed probat servos suos, et tentationes exercitii causa permittit, non tamen supra id quod possumus (I Cor. X, 13). Quoniam autem tentatio in se semper aliquod periculum nobis continet, ideo eam fugere, et precibus quantum possumus avertere debemus, sicut Apostulus : *Ter*, inquit, *Dominum rogavi ut discederet* (tentatio) *a me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur*. II Cor. XII, 9.

2° Tentamur a diabolo, qui vel directe per se nos ad malum sollicitat, vel per varia sua instrumenta, quæ sunt passiones nostræ et mundana scandala.

3° Non tamen semper tentationes a diabolo, sed sæpe ab ipso homine eas ultro quærente, proveniunt.

Et cum jejunasset.

1° Dominus jejunio suo expiat nostra peccata intemperantiæ, gulæ et sensualitatis.

2° Exemplo suo docet nos jejunium *corporale*, quod vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et præmia...

3° Docet nos servare jejunium quadragesimale accuratissime, cum ipse tam stricte jejunet, ut nihil cibi potusve per quadraginta dies accipiat. Quod nihilominus Domini jejunium ei non grave fuit, quia orationis et contemplationis pabulo sustentabatur : ut intelligamus, oratione et devotione facile ac jucundum jejunium reddi; quod Moysis, Eliæ et omnium Sanctorum exemplo confirmatur.

4° Docet nos jejunium *spirituale*, quod ab omnibus servari potest, et nihil aliud est quam abstinentia a peccatis.....

5° Docet nos mortificationem carnis generatim, qua passionibus nostris, et sensibus alimenta sua subtrahimus. Oculi volunt curiosa videre, lingua narrare futilia, caro frui otio et commoditatibus, amor proprius aliis superesse, contradicentibus irasci, etc. : hæc denegentur naturæ corruptæ, et sic concupiscentia prava mortificetur.

Accedens tentator.

1° Tentator accedit quando primum nobis prava cogitatio occurrit, vel delectatio illecebrosa offertur; cui statim mentis et cordis ostium claudendum est.

2° Tentator a cibo corporali tentandi initium facit : ut sciamus, gulam, et generatim sensuum blandimenta ; imo non raro ipsam corporis sustentationem, cæteroquin in se honestam, primam tentationum materiam dare.

Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

1° Diabolus non nisi terrenum cibum et potum cognoscit et offert ; at filii Dei divino cibo vescuntur : *Non est regnum Dei esca et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Rom. XIV, 17.

2° Non offert nisi panem, quia Jesum esurientem videt : sic pauperes a Dei lege retrahere nititur propter panem et res necessarias ; divites vero, propter superflua et delicias.

3° Quam multos fallit hoc suggerendo verbum : Oportet vivere ! Sed respondendum cum Christo : Utique vivere oportet ; At *non in solo pane vivit homo...*

Non in solo pane vivit homo ; sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

1° Non est tanta sollicitudo habenda de pane ; sed fidendum Deo, qui servis suis de necessariis providebit : *Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Matth. VI, 32.

2° Non sufficit homini panis corporalis, et reliqua quibus corpus sustentetur ; sed opus est etiam, et multo magis, cibus spiritualis animæ. *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.* Joan. VI, 27.

3° Porro cibus animæ est omne verbum Dei, quod quidem multiplex de ore Dei procedit : nempe ipse Christus, Verbum incarnatum, panis vivus de cœlo descendens ; — item ejus doctrina, exempla, gratia, sacramenta, præsertim Eucharistia ; — Item verba Scripturæ ; — oratio et inspiratio Dei ; — divina voluntas, de qua Dominus dicebat : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Joan. IV, 34.

4° Cibus animæ est *veritas* respectu mentis, et *amor boni*, respectu cordis : quæ in solo Christo, ejusque sanctissima lege inveniuntur.

5° Cibus animæ quoque est lectio bonorum librorum...

6° Cibum quoque mentibus præbet diabolus : libros et scripta prava ; at non alimentum istud, sed venenum est.

Tunc assumpsit eum in sanctam civitatem....

1° Spiritus sanctus Christum duxerat in desertum; spiritus nequam eum portat in magnam civitatem, attollitque in locum altissimum, ubi ab omnibus videatur : sed ideo eum evexit in sublime, ut demum dejiciat in præceps. En motus spiritus mali, qui est superbiæ, motui Spiritus sancti prorsus oppositus : hic enim Spiritus humilitatis est, qui humiliando nos exaltat ; diabolus vero exaltando nos humiliat.

2° Christus permittendo se ita a diabolo deferri, quin suam potentiam ostendat, summæ nobis humilitatis ac mansuetudinis exemplum præbet.

Mitte te deorsum.

1° Ut magnus videatur, ac Filius Dei appareat, suadet ei diabolus ut se deorsum mittat : ex quo intelligimus, hominem, quum per superbiam sese extollere videtur, revera et oculis Dei deorsum tendere.

2° Deus ad superna vocat et movet, i. e. ad res spirituales et cœlestes ; diabolus vero ad infima, per terrenas et viles voluptates.

3° *Mitte te deorsum :* proprium diaboli est suicidium suadere, tum corporale non raro ; tum spirituale, per peccatum quo anima occiditur, frequentissime.

4° *Mitte te deorsum:* i. e. mitte te in turpitudinem, in infamiam, in infelicitatem, in infernum ; en quid dicat nobis, quotiescumque suadet peccatum. Ergo cum inobedientiam suadet, vindictam, luxuriam, etc., revera dicit: Mitte te deorsum, mitte te in infernum...

5° Id vero peculiari modo dicit, quando juventutem impellit, ut periculis peccandi sese temerario exponant, quasi ab angelis essent miraculose protegendi, sicut pueri in fornace Babyloniæ... Sed respondendum cum Jesu :

Non tentabis Dominum Deum tuum.

1° Tentare Deum est velle Deo servire, eumque peccato non offendere ; et tamen ultro peccati periculo se exponere. Item, velle animam salvare, et de bona vita interim non curare. Item, omnia a Deo exspectare, quin ex parte nostra, id quod possumus facere studeamus.

2° Dominus responso suo promptum ac certum medium insinuat tentationem vincendi. Quum enim in omni tentatione diabolus hoc agat, ut deorsum nos ipsos dejiciamus spe futuræ impunitatis ; quicumque fixum animo habebit illud : *Non tentabis Dominum Deum tuum*, non sic temere, quod inimicus petit, miraculum a Deo exiget. Miraculum enim est, ut qui male vixit bene moriatur, ut qui periculo se exponit in illo non pereat, etc.

Ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

Quid diabolus ostentat et promittit ? — 1° Ostentat bona terrena, quia, meliora non habet...

2° Neque ea quæ ostentat vera sunt, sed phantastica plerumque et imaginaria.

3° Promittit universum mundum pro peccato mortali, i. e. pro animæ jactura ; sed *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. XVI, 26.

4° Sæpe multo minora, viliora, turpiora promittit ; quæ tamen sufficiunt ut incauti homines capiantur.

5° Quin, ea quæ promittit, neque habet, neque dare potest : promittit ut decipiat, sicut protoparentes decepit ; quibus promittendo divinitatem, induxit mortem. — Non sic promittit Deus...

Quid diabolus pro pretio postulat? — 1° Ut homo cadat et adoret eum : i. e, ut cultum Deo debitum derelinquat, eumque creaturæ, imo diabolo tribuat...

2° Ut homo cadat in peccatum mortale et inde in infernum.

3° Ut animam suam perdat pretiosissimam.

4° Hinc docemur, quantum sit malum peccatum mortale, avaritiæ præsertim et ambitionis, quæ hominem coram satana sese prosternere eumque ut Deum adorare cogit ; quapropter Apostolus avaritiam *idolorum servitutem* (Col. III, 5) appellat. Est enim pecunia vere idolum, in quo satanam latentem avarus adorat ; et ideo Christus impossibile dicebat esse *duobus Dominis servire, Deo et Mammonæ*. Matth. VI, 24.

Vade satana !.... Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

1° Aliis tentationibus restitit Dominus fortiter ; huic cum indignatione : ut discamus, quanto zelo nos armari deceat adversus tentatores illos, qui Dei honorem, vel fidem, vel Ecclesiæ jura attingere præsumunt. *Zelus domus tuæ comedit me.* Ps. LXVIII.

2° Hæc vera gloria et magnitudo hominis, quod Deo eique soli genua flectat ; Deo, inquam, in se, vel in sui vicesgerentibus, legitimis videlicet superioribus, spectato.

3° Responso suo docet quoque Dominus, tentationes celeriter ac fortiter repellere hoc verbo fidei : *Vade satana...*

Tunc reliquit eum diabolus.

1° Hinc docemur resistentia forti, qua omnino et non ex parte rejicitur tentatio, fugari diabolum...

2° Reliquit Dominum perfecte devictus. Ita namque tentatorem Dominus devicit, ut non tantum -1) nullum peccatum commiserit, nec -2) ullum gaudium ei dederit, aperiendo suam divinitatem quam inimicus cognoscere cupiebat ; sed -3) ita, ut ob fortitudinem certandi, meritum immensum retulerit.

3° *Recessit*, inquit Lucas, *ab illo usque ad tempus :* ut sciamus, nunquam in hac vita nos posse quiescere securos, armaque deponere.

Non ita recessit, inquit Lucas Brug. (1), ut vellet Jesum reliquo vitæ suæ tempore, quietum absque molestia relin-

(1) In Luc. IV, 13.

quere ; sed ad tempus duntaxat, data opportunitate, aliave captata occasione rediturus ad tentandum. Rediit autem sub passionem præsertim, quando dixit Jesus Judæis, a quibus apprehendebatur : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum* (Luc. XXII, 53). Tunc enim diabolus, non dolis tentans, sed aperte oppugnans, et per seipsum, et per ministros suos, extremam adhibuit vim ad superandum et a Deo abstrahendum Jesum, vel certe perdendum et exstinguendum, quem nulla rerum objecta specie corrumpere potuerat. — Quandiu hoc in mundo sumus, nunquam tuti sumus a tentationibus satanæ. Tametsi enim aliquando desistat, quia frequentius refugit triumphari, non ideo tamen a certamine recedit, ut malitiæ finem faciat ; sed ut corda, quæ per quietem secura reddiderit, repente rediens facilius occupet inopinato. — At non deerit interim Deus totius consolationis : dabitque subinde, submotis dæmonibus, angelos qui nos erigant.

Et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei.

1° En post certamen triumphus, et post pressuram gaudium : magna enim solet esse Dei servis post victam tentationem consolatio.

2° Pater cœlestis nunc remunerator victoriæ, modo cum angelis suis fuit spectator certaminis : ut discamus, Deum cum suis angelis invisibiliter nobis in certamine assistere et opitulari ; quare eos in auxilium frequentissime vocare debemus, ne tentationibus succumbamus.

3° Angeli mensam sternunt Christo : ut discamus servis suis, dummodo cum patientia et confidentia fideles permaneant, Dominum speciali providentia in necessitatibus affuturum, eisque daturum esse *escam in tempore opportuno.* Ps. CXLIV.

DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA.

Matth. XVII, 1-9. Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum : et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. Et audientes discipuli cecide-

---

Marc. IX, 1-8. Et post dies sex assumit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem ; et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse; et erant loquentes cum Jesu. Et respondens Petrus ait Jesu : Rabbi, bonum est nos hic esse ; et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos ; et venit vox de nube dicens : Hic est Filius meus carissimus ; audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi quum Filius hominis a mortuis resurrexerit.

Luc. IX, 28-36. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Petrum et Jacobum et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera ; et vestitus

runt in faciem suam, et timuerunt valde. Et accessit Jesus, et tetigit eos; dixitque eis : Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

Explicatio prima.

I. *Transfiguratio.*
II. *Vox de nube.*

(Post dies sex) assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum : et transfiguratus est ante eos.

Appropinquante tempore passionis suæ, cum de instante sua morte, et de cruce a discipulis suis post se ferenda, nec non de finali gloria adventus sui locutus esset (1), addiderat Dominus, quosdam ex discipulis suis ante mortem suam visuros esse *Filium hominis venientem in regno suo,* id est, in

(1) Supra *Domin. in Quinquages.*, pag. 254.

---

ejus albus et refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, visi in majestate; et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo. Et factum est quum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse; et faciamus tria tabernacula, unum tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ : nesciens quid diceret. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos; et timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus : ipsum audite. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

regia claritate, qua venturus esset in fine sæculorum; seu eos visuros esse gloriam adventus ejus triumphalis, non quidem in se, sed in aliqua umbra seu specimine, nempe in Transfiguratione exhibendam.

Post dies sex, seu, adnumerando cum Luca partem diei primi et ultimi, *post dies fere octo*, die nempe sexta Augusti, anno prædicationis suæ tertio, assumpsit Dominus seorsum a reliquis discipulis Petrum, Jacobum et Joannem, quibus gloriam suam regalem, ut prædixerat, manifestaret.

Hic quæri possunt hæc quatuor : 1° cur Christus transfigurari voluerit? — R. -1) Ut discipulorum fidem juvaret respectu gloriæ illius futuræ, in qua se venturum dicebat, quæque nullo adhuc apparebat indicio. -2) Ut eos confirmaret pro tempore passionis suæ : cognita enim gloria quæ in Jesu abscondita latebat, futurum erat, ut minus scandalizarentur externis ejus humiliationibus, quas iidem testes Transfigurationis, in horto Olivarum propius erant spectaturi. — Aliæ rationes in *explicatione secunda* aperientur.

Q. 2° Cur paucos tantum discipulos, et non omnes, gloriæ suæ testes esse voluerit? — R. Inter alias, hæc ratio probabilis videtur : quod Dominus, qui per humilitatem nos salvaturus veniebat, de gloria sua quam minimum, et quantum præcise necessarium erat, volebat ostendere. Porro tres testes sufficiebant : *In ore duorum aut trium testium stet omne verbum.* Deut. XIX, 15.

Q. 3° Cur hos potius discipulos quam alios assumpserit? — R. Quia ipsi ut ad res magis secretas adhiberentur, digniores et aptiores videbantur. Petrus enim primus Apostolorum erat et Christo addictissimus; Joannes pariter Domini amantissimus; Jacobus, frater Joannis, Domino quoque fidelissime adhærebat, et primus ex Apostolis erat pro Magistro moriturus.

Q. 4° Quomodo Dominus sui transfigurationem effecerit? — R. Communicando tantisper mortali suo corpori claritatis dotem, qua usque ad resurrectionem suam, propter nos carere voluit. Abscondita namque erat in corpore humilitatis suæ, gloria unigeniti Filii Dei, sicut splendor lucernæ in vase luteo seu fictili. Quod si vas fictile perlucidum evaderet, statim lumine quod continet, resplenderet; similiter, sublato

impedimento naturalis obscuritatis suæ, Domini corpus cœlesti lumine illustratum apparuit. Statura ergo et forma eadem permanente, Christi facies corpusque totum claritate perfusum est. Illa porro claritas, quæ longe altioris ordinis et naturæ fuit quam claritas solis, Dominicæ carni intrinsece inhæsit, ita tamen, probabilius, ut non pervaderet intimas partes corporis, quod alioquin omnino diaphanum et transparens exstitisset. Hac cœlesti claritate effectum est, ut Domini vestimenta splendentia essent et candida sicut nix.

Dictum est, Christum communicasse suo mortali corpori *claritatis dotem*, i. e. claritatem gloriæ : nam, ut S. Thomas docet (P. 3, q. 45, art. 2), claritas Christi transfigurati fuit claritas gloriæ quantum ad essentiam, non tamen quantum ad modum. Claritas enim corporis gloriosi derivatur ab animæ claritate ; et similiter claritas corporis Christi in transfiguratione derivata est, et a divinitate ipsius, et a gloria animæ ejus. Aliter tamen quam in corpore glorificato : nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, sicut qualitas quædam permanens, corpus afficiens : unde fulgere corporaliter non est miraculosum in corpore glorioso. Sed ad corpus Christi in transfiguratione derivata est claritas a divinitate et anima ejus, non per modum qualitatis immanentis et afficientis ipsum corpus ; sed magis per modum passionis transeuntis : sicut cum aer illuminatur a sole. Unde ille fulgor tunc in corpore Christi apparens, miraculosus fuit : sicut et hoc ipsum quod ambulavit super undas maris.

Quod spectat ad præsentiam Moysis et Eliæ, Elias in propria persona, vivens corpore et anima, ex loco ubi vivens conservatur, in transfigurationis locum translatus est ; item Moyses, in suo proprio corpore, per temporaneam resurrectionem reassumpto, adfuit, ut communiter Patres sentiunt : alioquin non fuissent verus Moyses et verus Elias, in testes gloriæ Domini adhibiti. Videntur Moysis et Eliæ corpora aliquid de claritate corporis Christi participasse, et apparuisse gloriosa luce resplendentia : cum dicantur a Luca fuisse *duo viri visi in majestate*.

Juxta Scripturæ interpretes et traditiones antiquas, transfiguratio contigit in monte Thabor, qui situs est in medio

Galilææ campo, inter Nazareth et Tiberiadem ; atque idem esse videtur ac *mons* ille *Galilææ*, ubi post resurrectionem suam, Dominus sese multis discipulis ostendit. — Et re quidem vera, mons Thabor ad jucunda mysteria mire idoneus apparet. Nam ex omni parte rotundus, et æqualiter assurgens ad altitudinem triginta stadiorum seu quatuor milliarium, aspectu est amœnissimus. Cum enim cœli temperie saluberrima gaudeat, totus herbosus est et floridus, vineis, olivis, variisque arbustis et fructiferis arboribus consitus, rore perpetuo vividus, arborum frondibus umbrosus, atque suaveolentium florum odore fragrantissimus : adeo ut paradisi quamdam speciem exhibeat.

Quod attinet ad historicam circumstantiarum seriem, ex synopticis Evangeliis contextam, hæc sequenti modo proponi potest.

Cum ascendisset Dominus in montem, nocturno, ut videtur, tempore, vel summo mane, atque orare cœpisset, comites ejus discipuli obdormiverunt; iisque dormientibus, Dominus in oratione sua transfiguratus est, adveneruntque Moyses et Elias. Tunc excitati e somno Apostoli, viderunt Christum transfiguratum, et cum duobus viris colloquentem. Sub finem colloquii cœpit Petrus dicere: *Bonum est nos hic esse*, etc. His dictis, descendit nubes, qua Moyses et Elias contecti disparuerunt, Jesus autem cum discipulis obumbratus permansit spectabilis solus : tunc audita est vox : *Hic est Filius meus dilectus.* Territi hac voce discipuli ceciderunt proni in terram ; et mox a Christo confirmati, attollentes oculos, neminem viderunt nisi solum Jesum: qui præcepit eis, ne quidquam de iis quæ viderant loquerentur, antequam a mortuis resurrexisset.

Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Quod de facie dicitur, quia hæc magis conspicua, de toto corpore intelligendum est. — Splendor solis in similitudinem assumitur, non quasi perfecta hæc similitudo esset ; sed quia nihil splendidius in natura reperitur. Dicendum enim,

ut S. Teresia, quæ similem claritatem vidit, testatur, splendorem solis, cœlesti illi claritati comparatum, esse veluti lucis imaginem, a pictore mortuis coloribus expressam.

Idem censendum de albedine vestimentorum Domini, quæ candori niveo comparatur : longe enim albedo illa cœlestis ac splendida, omnem terrestrem colorem superat, ut Marcus significat, dicens : *Vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis velut nix; qualia fullo non potest super terram candida facere.*

Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias...

Etsi Moyses et Elias cum Christo transfigurato, a terra elevati ac sublimes depingi solent, videntur tamen in terra stetisse, saltem quando ab Apostolis conspecti sunt. Nam Lucas dicit : *Evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros qui stabant cum illo.*

1° Quæri potest, cur Dominus aliquos ex alio mundo suæ transfigurationis testes adesse voluerit? — Respondent interpretes : -1) ne res Apostolis ficta videretur; -2) ut ostenderetur Christum vivorum et mortuorum Dominum esse; -3) ut futurum Christi regnum ad vivum repræsentaretur, sub cujus adventum duos testes mittendos esse testatur Joannes. Apoc. XI, 3, 4.

2° Cur autem hos potius viros quam alios adesse voluit?— Ex mente veterum auctorum dicendum videtur, per Moysen legem, per Eliam prophetas repræsentari, et id quidem ut ostenderetur, -1) Jesum esse vere Messiam illum, quem lex et prophetæ annuntiarunt; -2) universam legem et prophetas in Christum tendere, in eoque terminari. — Alii docent, illos testes electos esse, ut Moysis mansuetudinem, Eliæque zelum Apostoli in prædicando Christo imitarentur.

3° Unde discipuli agnoverunt, viros illos esse Moysen et Eliam? — Potuerunt eos agnoscere, tum ex colloquio cum Christo, tum ex specie et habitu, tum maxime ex inspiratione divina.

Cum eo loquentes.

Qua de re loquebantur? *Dicebant,* ait Lucas, *excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem :* i. e. exitum ejus ex hac vita per mortem crucis, Moyses et Elias hic, audientibus Apostolis, prædixerunt Christo : ut scandalum et horrorem crucis Domini, tam iis quam nobis eximerent.—Sub finem colloquii, *respondens Petrus dixit ad Jesum :*

Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.

Bonum, i. e. jucundum, suave et beatum est nos hic manere. — Petrus, visa gloria Domini exsultans et velut ebrius, volebat in ea permanere, ut jugiter illa frueretur. Cumque sub finem transfigurationis Moyses et Elias abire pararent, ut retineret eos ne abirent, voluit conficere tabernacula. De cætero, si de tabernaculis minus congrue loqui videatur Apostolus, præ gaudio *non sciebat quid diceret.*

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.

Nubes in Scriptura signum est divinæ præsentiæ, symbolum ac velum gloriæ Dei. Hinc olim in nube, quia ipsa cœlestis est, et impervia visui, solebat Deus incomprehensibilem suam majestatem, tanquam velo obtectam Hebræis demonstrare. Sic (Exod. XIX, 9) dicit Deus Moysi : *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum.* — Hæc porro nubes videtur primum descendisse usque in terram, ut viros complecteretur : deinde vero ascendisse, ita ut eos obumbraret.

Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite.

Scilicet vox Dei Patris audita est.—Ex mente sanctorum Patrum, hic, perinde ac in Domini baptismo, symbolice repræsentata est SS. Trinitas : nam Spiritus sanctus apparuit in

nube, Pater in voce, Filius in carne gloriosus. — *Ipsum audite:* i. e. Christum; non Moysen aut Eliam, qui jam discesserant. Hi namque solummodo Messiæ ministri fuerunt, ut populum Israel ad eum ducerent, qui summus esset futurus Legislator et Propheta.

Quæ vox Patris ita intonuit, ut discipulos terruerit vehementer : illos autem Dominus benigne confirmavit: *Audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. Et accessit Jesus, et tetigit eos, dixitque eis : Surgite, et nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus dicens :*

Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

1° Nemini, ne aliis quidem Apostolis : ut nullam eis incredulitatis causam darent, aut etiam tristitiæ et invidiæ, quod ad gloriam Magistri spectandam et ipsi non fuissent admissi.

2° Præterea Christus silentium usque ad resurrectionem suam indixit, quia tunc erat futurum tempus opportunum hoc mysterium revelandi; tuncque illud intellecturi et credituri erant Apostoli, quum post passionem et mortem, in qua scandalizandi erant et turbandi, vidissent Dominum resurgentem in gloria, cujus hæc transfiguratio typus erat.

Explicatio secunda.

Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem. et ducit illos in montem excelsum seorsum.

1° Dominus paucos discipulos assumit, ut intelligamus, extraordinarios Dei favores et consolationes in hac vita non nisi paucis concedi, iis plerumque qui ferventiores se exhibent.

2° Tribus Christi sociis, ex mente pii Ludovici de Ponte, tres præcipuæ figurantur virtutes, comites elevatæ orationis, in

quo fit animæ transfiguratio : fides videlicet viva ac fervens, in Petro adumbrata ; spes firma, fortiterque adversus hostes orationis decertans, in S. Jacobo expressa, qui primus ex Apostolis mortem pro Christo oppetiit ; et ardens charitas, insinuata per S. Joannem.

3° Mons ille quo Dominus ducit suos, symbolum est sacræ solitudinis, mortificationis et perfectionis ; — atque ostendit quas conditiones Deus in animabus requirat, ut eis donum orationis, et peculiares favores largiatur ; — item viam virtutis et veræ gloriæ figurat.

Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Multa de hoc mysterio quæri possunt, nimirum : Quotuplex Domini transfiguratio distinguatur ? Quare Christus transfigurari voluerit ? Quænam mystica documenta hoc mysterium nobis exhibeat ?

1° Quintuplex Domini transfiguratio distinguitur : prima contigit in Incarnatione, qua Rex gloriæ, formam servi accipiens, habitu inventus est ut homo ; altera in Passione, qua ita deformatus est, ut non manserit ei species neque decor ; tertia in Resurrectione, qua mortale corpus ejus induit immortalitatem et gloriam ; quarta in Eucharistia, qua nobis corpus suum gloriosum sub figuris seu speciebus sacramenti veluti transfiguratum exhibet ; quinta demum in monte Thabor quæ proprie Transfiguratio Domini dicitur, et hic a nobis ex hodierno Evangelio consideratur.

2° Quare Christus transfigurari voluit ? R. -1) Ut ostenderet nobis gloriæ thesauros in Rege nostro humillimo absconditos (1). -2) Ut ostenderet nobis gloriosum præmium laborum, qui in hac vita pro pietate suscipiuntur ; et specimen nobis daret gloriæ (2), nobis discipulis suis reservatæ : *Quum* enim *apparuerit, similes ei erimus* (I Joan. III, 2). Notandum autem, ut S. Chrysostomus docet, minimo Beato in cœlis majorem

(1) *Adjumenta*, Argum. 50.

(2) Cf. *Elem. theol. dogmat.* tract. 19, cap. 3. n. 225 et seqq.

fore claritatem quam Christo in monte Thabor; quia Christus in transfiguratione, gloriam suam debilibus oculis et captui Apostolorum, adhuc mortalium, attemperavit. — Transfigurari voluit, -3) ut notitiam nobis daret pulchritudinis spiritualis et cœlestis, pro qua omnis pulchritudo terrena, velut putredo contemnenda est. -4) Ut discipulos suos ad crucem ferendam animaret, spe similis gloriæ, pro momentanea tribulatione retribuendæ. -5) Ut hoc mysterio plurima nobis documenta mystica daret.

Quas quidem Transfigurationis causas sic generatim Angelicus Doctor dilucidat. Dicendum, inquit (1), quod Dominus discipulos suos, prænuntiata sua passione, induxerat ad suæ passionis sequelam. Oportet autem ad hoc quod aliquis directe procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoscat. Et hoc præcipue necessarium est quando via est difficilis et aspera, et iter laboriosum, finis vero jucundus. Christus autem per suam passionem ad hoc pervenit, ut gloriam obtineret non solum animæ, quam habuit a principio suæ conceptionis, sed etiam corporis, secundum illud (Luc. ult.) : *Hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam;* ad quam etiam perducit eos, qui vestigia suæ passionis sequuntur. Et ideo conveniens fuit, ut discipulis gloriam suæ claritatis ostenderet, quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundum illud (Phil. III, 21) : *Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

3° Quænam documenta mystica Transfiguratio continet? — R. Sequentia. -1) Imago est pulchritudinis animæ justæ, quæ oculis Dei fide et charitate lucida, operibusque sanctis velut indumento niveo ornata conspicitur. Cum autem inter omnes, Christo gloriose transfigurato simillima semper exstiterit Beata et Immaculata Virgo Mater ejus ; ideo, ad exprimendam originalem ejus tum innocentiam tum charitatem, hæc ipsi verba Ecclesia accommodat : *Vestimentum tuum candidum quasi nix, et facies tua sicut sol.*

-2) Exemplar et symbolum est transfigurationis nostræ, qua et nos debemus in homines plane cœlestes transformari :

(1) S. Thom. Part. 3, q. 45, art. 1.

tum moraliter ac spiritualiter, induendo mores Christi ; tum corporaliter, induendo corpus gloriosum in futura resurrectione, *configuratum corpori claritatis Christi* (Phil. III, 21).

-3) Speciatim symbolum est *orationis* (1), quæ vera est transfiguratio animæ : oratione enim anima illuminatur, liberatur deformitate vitiorum, ornatur virtutibus, consolatione reficitur, amore Dei et crucis sursum elevatur, cum Deo colloquitur et unitur, atque *in eamdem imaginem transformatur, a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu* (II Cor. III, 18). — Quod orationis seu meditationis symbolum variis illustrari potest Transfigurationis Dominicæ adjunctis, quæ sunt : locus, tempus, nimirum *dum oraret ;* comites assumpti, splendor faciei et candor vestimentorum Domini, nubes lucida eum obumbrans, et vox Patris eum tanquam Filium suum hominibus manifestans, atque auctoritate sua communiens...

Moyses et Elias cum eo loquentes.

1° Christus transfiguratus loquitur cum personis alterius mundi : ut intelligamus, hominem, quando per orationis spiritum cœlestis factus est, conversationem habere in cœlis.

2° Moyses et Elias, lex et visio prophetica, duos indicant orationis effectus : ut lex Domini servetur, et ut divina mysteria clariore luce videantur.

3° Moyses et Elias, sicut ipse Dominus, quadraginta dies jejunarunt, et zelo gloriæ Dei fuere conspicui : ut intelligamus, tum jejunio, tum zelo eos tantam gloriam meruisse.

Dicebant excessum ejus.

De passione et cruce sermo est in hoc mysterio gloriæ ; ut sciamus, orationem, consolationem internam etc., eo conferre debere, ut ad crucem Domini participandam animemur.

Domine, bonum est nos hic esse.

Hic duplex documentum insinuatur : unum de sancto amore rerum cœlestium, alterum de rerum terrestrium amore

(1) *Adjumenta*, Argum. 34, § II, *de Oratione*.

inordinato. — 1° Petrus, licet guttulam tantum cœlestis suavitatis gustasset, ea tamen plane velut inebriatus est ; quid ergo in paradiso est futurum? ubi Beati inebriabuntur ab ubertate domus Dei, qui *de torrente voluptatis suæ potabit eos.* Ps. XXXV.

2° Non cogitabat Petrus de cruce ferenda, sed in illo consolationis loco volebat perpetuo manere, *nesciens quid diceret*, aut quid peteret : -1) quia hæc vita non est ad fruendum, sed ad patiendum ; -2) quia orationis consolationes non dantur ut in eis sistamus, sed ut eisdem ad labores excitemur ; -3) quia volebat gloriam ante certamen, et quietem ante laborem. Atque ideo, ut S. Leo docet, Petri suggestioni Dominus non respondit, *ut intelligeremus, quamvis non oporteat de beatitudinis promissionibus dubitari : tamen inter tentationes hujus vitæ, prius nobis tolerantiam postulandam esse quam gloriam.* — Non ergo in vita præsenti tabernacula lætitiæ collocanda sunt ; — sed tantum tabernacula salutis, in vulneribus pedum, manuum et lateris Salvatoris.

Ecce nubes lucida obumbravit eos.

1° In Vetere Lege Deus apparebat in nube caliginosa atque tonante ; nunc vero in nube lucida : ut Novæ Legis claritas et benignitas significetur.

2° Nubes est symbolum protectionis divinæ, quam vir orationis semper obtinet.

3° Item symbolum *fidei vividæ*, in cujus lucida obscuritate vir orationis vivit, et cœlestem conversationem invenit.

4° Item symbolum donorum Dei, quibus vir orationis perfunditur : orationis enim spiritus animam, ut nubes lucida illuminat, tegit, imbre igneo Spiritus sancti irrigat et fecundat.

Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

1° Quam suave, quamque magnificum Patris cœlestis testimonium, compensans abunde contumelias et opprobria, quæ Christo ab hominibus inferentur.

2° Tanquam filius agnoscitur a Patre : et quidem ejus filius dilectus est, non quia oculis hominum magnus apparet, etc. ;

sed quia diligit Patrem, ejus voluntatem facit, cum eo in oratione colloquitur, etc.

3° Et nos ut filii Dei agnoscemur, si Christo, adeoque Patri cœlesti efficiamur similes, Christum imitando et efficaciter audiendo.

Ipsum audite.

En perfecta obedientia Christo præstanda. — 1° Quia ipse Verbum est, quod Pater pronuntiavit seu manifestavit universo mundo, ut sit supremæ sapientiæ norma.

2° Verbum illud divinum omni modo loquitur : doctrina, miraculis, exemplis, imo ipso silentio suo... et in his omnibus audiendum est.

3° *Ipsum*, ipsumque solum, non vero mundum, passiones etc. audire debemus. *Beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud* (Luc. XI, 28). — Porro ipsum, illum Magistrum sapientiæ, loquentem audimus per os Ecclesiæ : *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16). — Audimus, dummodo attendamus animum, et aures mundano strepito clausas, veritatis Magistro præbeamus. *Beatæ aures, quæ non vocem foris sonantem, sed intus auscultant veritatem docentem.* Kemp. lib. III, 1.

Neminem viderunt nisi solum Jesum.

1° Ut significetur Legem et Prophetas, umbrasque Testamenti Veteris, præsente Christo et Evangelico lumine, disparuisse, ipsique locum cessisse ; Christumque solum superesse, qui veram novi Fœderis lucem hominibus præbeat.

2° Qui semel divino lumine illustrati, absconditam Jesu gloriam viderunt, terrenis rebus quasi cæci evadunt ; ita ut nihil amplius in mundo videant, nec videre possint *nisi solum Jesum.*

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA.

—

Luc. XI, 14-28. Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et quum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens

---

Matth. XII, 22-30. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus; et curavit eum ita ut loqueretur et videret. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo

vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit. Quum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem; et non inveniens, dicit : Revertar in domum meam unde exivi. Et quum venerit, invenit eam scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. — Factum est autem, quum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit : Quin imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

---

ipsi judices vestri erunt. Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet. Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit.

Marc. III, 22-27. Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis : Quomodo potest satanas satanam ejicere? Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet

Explicatio prima.

I. *Dominus ejicit dæmonium mutum.*
II. *Respondet Judæorum calumniis.*
III. *Commendat audiendum verbum Dei.*

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et quum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia...

Quæ hodierno Evangelio narrantur, ad annum secundum prædicationis Domini sunt referenda, cum Capharnai, mense ut videtur Julio, prædicaret. — Tunc autem factum est ut Dominus liberaret energumenum a dæmonio : quod quidem dæmonium *mutum* dicitur, quia misero homini quem possidebat, impediebat exercitium linguæ; imo non tantum linguæ, sed etiam oculorum usum ademerat : ut Matthæus testatur, energumenum illum *cæcum et mutum* appellans.

Hunc hominem cum Dominus liberasset, videntes miraculum turbæ in duas partes divisæ sunt : alii agnoverunt eum tanquam Filium David ac Messiam; — alii, nimirum Pharisæi et Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, animo recalcitrantes, Jesum vel tentaverunt petentes alia signa, nempe signa de cœlo; vel calumniati sunt, factum illud, quod negare non poterant, tribuentes potestati Luciferi, a quo ipse Dominus possideretur. Quare blasphemantes dixerunt : *In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia :* id est, magicis artibus, tanquam minister Luciferi, expellit dæmonia inferioris ordinis. — *Beelzebub* (i. e. deus muscarum) fuit deus seu idolum Accaronitarum, cujus nomine Judæi Luciferum, dæmoniorum principem, partim irrisionis, partim abominationis causa vocarunt.

Alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo.

1° Quamvis Domini miracula manifeste essent signa atque opera Dei, alia tamen Judæi postulant inutilia, sic tentantes Christum, Deumque Patrem ejus cœlestem.

2° Rogando *signum de cœlo,* insinuare videntur, miracula hactenus a Domino patrata de cœlo non esse, sed de inferno ac diabolo.

3° *Signum de cœlo* quod intelligunt, videtur esse miraculum aliquod in firmamento, sive adinstar Eliæ, ut descenderet ignis de sublimi ; sive quale in Sinai contigit, ut insolita tonitrua fierent, etc. : quasi non potuissent et illa calumniari, multoque melius potestati diabolicæ tribuere, quam curationes infirmorum et expulsionem dæmonum.

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit...

Non ad dicta, sed ad cogitata respondet, ait Ven. Beda, ut vel sic compellerentur credere potentiæ ejus, qui cordis videbat occulta.

Omne regnum, inquit, *in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.* — Dominus atroci injuria lacessitus, placido vultu sese ad adversarios convertens, summa mansuetudine calumniam diluit triplici argumento : -1) quia fieri non potest ut satanas contra semetipsum operetur; -2) quia ipsi Judæi fatentur, exorcistas suos Dei virtute dæmonia ejicere; -3) quia Dominus non tantum dæmonem ex obsessis expellit, sed eum ut verus ejus hostis divincit ac profligat; ita ut et diaboli adversarius, et potestate superiore, i. e. divina instructus manifeste appareat.

Regnum in se ipsum divisum, — i. e. ita divisum, ut caput insurgat adversus membra, rex adversus ministros, dux adversus proprios milites, et vicissim : hujusmodi imperium ipso facto dissolutum est.

Filii vestri. — Ex probabiliore sententia, filii Judæorum ejicientes diabolos, sunt exorcistæ, seu viri, qui etiam inter Judæos, peculiari Dei charismate quandoque donati sunt ut dæmonia ejicerent.

Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

Quod si *in digito Dei*, i. e. per potestatem Dei ac Spiritus sancti, ego *ejicio dæmonia*, evidens vobis fit, adesse in mea persona Messiam. — Quoniam adversarii fateri coguntur Dominum divina virtute operari, concludit regnum Dei, i. e. regnum Messianum venisse, seque esse Messiam. Etenim si Jesus ex Dei potestate agit, verum est id, quod ipse et Joannes Baptista tanquam basim suæ prædicationis posuere : *appropinquare regnum cœlorum.* — Rursus, si Jesus divinitus contra diabolum operatur, ipse Messias est, ideo in mundum venturus, ut diabolum, mundi principem, ejiciat, ejusque imperium dissolvat. Atqui Jesum vere diaboli adversarium ac victorem esse, clarius novo argumento ostenditur.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

Sensus est : Quando tyranni cujuspiam potentis castrum spoliatur, signum est inimicum potentiorem supervenisse ; atqui ego, Christus, satanæ regnum exspolio, dum peccatores illi subditos ad pœnitentiam ac salutem traduco ? ergo ego satanæ inimicus sum, et fortior ipso ; ergo nequaquam ejus minister, aut in ejectione dæmonum socius, ut vos calumniamini.

Etenim satanas est fortis armatus, humani generis tyrannus ; ejus imperium est mundus ; vasa seu arma vel instrumenta ejus, sunt fraudes et illecebræ vitiosæ, nec non impii homines ; ejus præda ac spolia, sunt peccatorum animæ et corpora quæ possidet : hæc autem cuncta eripit illi Christus, ita ut apertum bellum adversus tenebrarum principem gerat.

In quo quidem bello, homines sese vel Christo adjungere debent vel diabolo ; nec quisquam indifferens hærere, seu neutram partem amplecti potest. Quare Dominus ita pergit :

Qui non est mecum, contra me est ; et qui non colligit mecum dispergit.

Sententia proverbialis, applicata Pharisæis, qui coram populo, prudenti cunctatione erga Jesum uti simulabant, quasi causam ejus nec amplectentes nec impugnantes. Sensus est quasi Dominus diceret : Cum ego fortem armatum ac principem hujus mundi, diabolum, ejiciam ac devincam, divinitas mea satis est manifesta, et me ut Messiam vos, Pharisæi, agnoscere debetis. Nec licet vobis in hac mea causa manere indifferentes : imo vestris calumniis satis patet, vos, quia meam causam amplecti renuitis, reipsa non indifferentes, sed contra me esse : et dispergere ac perdere animas vestras, et animas populi, quibus scandalo estis. — Nec tantum contra me cum principe tenebrarum agitis, sed maxima cum pertinacia ac malitia mihi resistitis : quia utpote gratiis Dei abusi, et ex sanctitate legis Mosaicæ relapsi in servitutem diaboli, septemplici quasi vinculo ejus tyrannidi devincti estis.

Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa...

Ex circumstantia dæmonis, modo coram auditoribus suis ejecti, Dominus parabolam desumit, qua statum Pharisæorum patefaciat : qui non corporaliter quidem, sed spiritualiter, i. e. quoad animam, diaboli potestati subjacebant. Diabolus, inquit, ejectus ex energumeno, in quo tanquam in domo habitabat, similis est homini exuli et per loca deserta vaganti. Etenim velut in deserto diabolus versatur, ubi hominibus nocere non potest ; sed in deserto hujusmodi *requiem non invenit*, quia requies ejus ac delectatio consistit in nocendo hominum animabus et corporibus, et quia pristinæ commorationis suæ desiderio agitatur. — Dicit ergo : *Revertar in domum meam unde exivi.*

Reversus autem invenit *domum vacuam, scopis mundatam et ornatam:* i. e. invenit animam sibi accommodatam, nempe otiosam, a pietatis exercitiis quasi ab immunditiis purgatam, aulæisque superbiæ ornatam. Tunc eam occupat, non solus, sed cum septem sociis validissimis, ne scilicet unquam posthac ejici possit : *Vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingressi habitant ibi.* Quare *fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* — Jam vero ut tacite concludit Dominus, similis punitio manet generationem Pharisæorum adulteram, quæ nempe a fide Patriarcharum degenerata est ; nam postquam Salvator eos a dæmone liberavit vel liberare voluit, ipsi per suam incredulitatem inimicum illum revocant, novo furore armatum.

Factum est autem, quum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.

Dum Pharisæi docti et increduli Dominum impugnarent, reliqui auditores gravitate et unctione sermonum ejus capti, summa erga eum reverentia, summoque amore replebantur. Quare mulier quædam rudis ac plebeia, videns opera et audiens verba tam mirabilia, animi sensus continere non potuit ; cumque Jesus tantisper respirandi causa sermonem interrumperet, ipsa, absque ullo Pharisæorum timore aut ullo humano respectu, alta voce exclamavit : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti;* i. e. beata mater tua, non quidem per se, sed eo quod te, talem filium genuerit.

Laudat mulier Jesum per ejus matrem : qui laudandi modus laudantis personæ, ut patet, plane congruit. — Beatam dicit Jesu matrem, non patrem : quia sexui suo favens, similis filii se matrem esse exoptaret. Adde, a Spiritu sancto eam motam fuisse, ut in hæc verba, quæ Christum ex Matre Virgine sine patre natum significant, etiamsi id ipsum nesciret, prorumperet.

Credibile est, piam multitudinem mulieris exclamationem facie complacenti et murmure comprobante excepisse. Nec ipsi Domino displicuit simplicis mulieris laus ac pietas ;

verumtamen ut ipsam hanc laudem in utilitatem ac documentum nostrum verteret, in hunc modum respondit :

At ille dixit : Quinimo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

Dominus approbat simulque solatur magnanimam feminam ; quasi diceret : Tu beatam prædicas, nec immerito, matrem meam quod me genuerit ; atque tacite similem beatitudinem exoptas, dolesque forte quod talis filius tibi non obtigerit ; at ego solidiorem et meliorem beatitudinem tibi offero, quæ omnibus eam volentibus competit, nimirum si verbum Dei audias et custodias. Sic enim ego concipior et nutrior mente, et ita quidem ut animam meo spiritu vivificem : quæ res qualibet carnali dignitate, adeoque maternitate divina præcise spectata, longe est præstantior. — *Qui custodiunt verbum Dei*, i. e. qui meditantur illud et observant.

Hac ultima, ut patet, sententia, non tantum exclamanti mulieri respondet ; sed simul omnes adstantes monet Dominus, ut se tanquam Dei legatum dociliter audiant, verbaque sua opere impleant.

—

Explicatio secunda.

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.

1° Liberat Dominus hominem, quem dæmon possidendo mutum et cæcum effecerat : ut intelligamus animas, similibus malis a diabolo afflictas, Domini virtute liberari. Quod enim diabolus, Deo ob justas causas permittente, nocumentum affert corporibus, imago est nocumenti longe funestioris quod infligit animabus. Animam *mutam* efficit, quum impedit ne oret Deum, ne subditos debita correptione admoneat, ne peccata sua confiteatur... Animam scilicet mutam facere solet ubi loquendum ; verbosam vero, ubi tacendum foret. — Eam *cæcam* reddit, quum deducendo via vitiorum, impedit ne abyssum in quam deveniet prospiciat...

2° Hujusmodi anima a Christo liberatur, si ad eum recto corde accedit ; sicut liberatus est ille dæmoniacus, quem Dominus *curavit ita ut loqueretur et videret.*

In Beelzebub, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia.

1° En quomodo ingratitudinem et injurias Dominus pro beneficiis recipiat ; nequaquam tamen ideo a benefaciendo desistet.

2° Hic quoque videmus perversa hominum judicia... et quo ducat virtutis odium aut invidia. Caveamus, ne quidquam hujusmodi Pharisæos imitemur.

3° Ostenditur demum, quomodo evidentissima signa atque miracula, homo superbus et pravæ voluntatis rejicere possit.

Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur.

1° Mansuetudinis exemplum præbet Dominus, qui maxima moderatione ac dignitate rationes opponit injuriis.

2° Docet necessitatem unionis atque concordiæ in omni communitate ; quæ quidem unio tam est essentialis, ut ejusdem causa, omnia commoda, si opus fuerit, sint sacrificanda : *Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* — Hæc tamen unio peculiari modo necessaria est in Ecclesia Christi, et in omni regimine hierarchico : cum Domini expressa voluntas sit, ut discipuli sui omnes unum sint, et consummati in unum, ad imaginem SS. et individuæ Trinitatis. Joan. XVII, 21.

3° Docet, in unione ac pace servandum esse regnum internum animæ. *Ecce enim regnum Dei intra vos est*, dicit Dominus (Luc. XVII, 21) : regnum nimirum in eo consistens, ut Deus in medio corde sceptrum teneat, et ratio, seu libera hominis voluntas, Dei voluntati perfecte obediat, simulque vicissim suis sensibus efficaciter imperet. Porro felicissimum illud regnum dividitur, cum homo a divina voluntate peccando recedit, aut sensibus suis serviendo desinit imperare.

4° Regnum, Dei, tum externum tum internum, perfecte indivisum servat homo christianus, quando conjunctus remanet

cum Deo per orationem, — cum superioribus per obedientiam, — cum fratribus suis per charitatem.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

1° En falsa pax, et securitas mala, quam diabolus aliquantisper procurat iis quos in peccato tenet. Dormientes in atrio suo, seu in limine inferni custodit ab auditione verbi Dei, a cogitatione mortis, etc., quæ salutari remorsu peccatores a somno mortis excitare possent.

2° At pax illa falsa est : tum quia intimam animam non afficit, sed in sensuum ebrietate consistit ; tum quia mox per mortem et judicium perturbabitur...

Si fortior eo superveniens vicerit eum, universa ejus arma auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

En perfectum peccati exterminium, perfecta de diabolo victoria.—Oportet 1° ut superveniat fortior, i. e. Christus cum sua gratia, quæ a peccatore imploranda est ; 2° ut arma diaboli auferat, quæ sunt instrumenta peccati : nempe peccandi occasiones, et passiones immortificatæ. Hujusmodi arma inimici serio examine conquirenda sunt, nec desistendum donec destruantur : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant* (Ps. XVII). — Oportet 3° ut ejus spolia distribuat : hæc sunt peccatorum debita, per pœnitentiam christianam, eleemosynas, etc., redimenda.

Qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum dispergit.

1° En necessitas aperte et efficaciter Christi vexillum sequendi (1) : sicut enim inter cœlum et infernum non datur medium ; ita inter Christi et diaboli partes nullum medium nec indifferentiæ locus existit. Ne quis igitur dicat : Ego nemini noceo, nec improbe vivo ; solummodo sacramentis, etc., non utor : nam qui Christi sacramentis non utitur,

(1) *Adjumenta*, Argum. 43.

Christo non obedit, cum Christo non est, ac proinde contra ipsum est.

2° Cum Christo non sunt, quicumque humano respectui serviunt.

3° Neque illi, qui volunt duobus dominis servire, Deo et Mammonæ : qui nempe bona hujus mundi colligunt cum pietatis et conscientiæ detrimento : hi non colligunt cum Domino, et revera dispergunt thesauros animæ suæ.

4° Colligendum est cum Domino, bona opera, eleemosynas, etc. faciendo, quibus thesaurizatur thesaurus in cœlo.

Cum immundus spiritus exierit de homine... et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

1° En relapsus in peccatum, et damnum animæ ex relapsu proveniens (1).

2° Relapsus causæ præcipuæ quoque insinuantur, incuria, et neglectus orationis aliorumque mediorum.

3° Hinc etiam, ut patet, remedia contra relapsum deduci possunt.

Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti.

1° Beata utique merito prædicatur Salvatoris mater, et beata propter Filium : beatitudo namque Mariæ tota a Jesu, sicut claritas lunæ a sole dimanat : beata est quia Jesum tanquam filium possidet. — Sed et nos beati, qui Jesum ut fratrem habemus , et ut patrem et ut amicum , omnique modo ipsius possessione fruimur, dummodo fidem vividam habeamus.

2° Hæc pulcherrima laus a muliere de turba Domino tribuitur, dum ei a superbis Pharisæis obstinate contradicitur : ut intelligamus, corda humilia et docilia facile Christi veritatem videre et sapere ; superba autem eadem sapere non posse : *Revelasti ea parvulis.* Matth. XI, 25.

(1) *Adjumenta*, Argum. 14.

Quin imo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

1° Quanta dignitas et excellentia sanctificantis gratiæ, quæ animam reddit instar matris Christo charissimam! Quod paulo post explicitius declaravit Dominus, cum, accedentibus ad eum cognatis et Virgine Matre sua, consanguinitatem gratiæ quam cum discipulis contraheret, consanguinitati carnis aperte anteposuerit, dicens: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea et fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.* Matth. XII, 50.

Intima scilicet inter Christum et animas intercedit consanguinitas gratiæ, per quam Christus in animabus velut perpetuo renascitur : fere sicut in ordine naturæ, pater renascitur in filio suo, lumen in lucerna quæ ex eo accenditur. Similiter et multo magis, Christus in anima justa, ratione causalitatis et similitudinis, nascitur, et vivit tanquam in altero se ipso. Unde illud pervulgatum : *Christianus alter Christus.*

2° Qui audiunt et custodiunt verbum Christi, ipsum spiritum Christi et gratiam concipiunt, seu ipsum Christum spiritualiter mente concipiunt et operibus pariunt, alimentoque continui exercitii nutriunt.

3° Qui Christum prædicant, et proximum quomodocumque ad virtutem traducunt, aut ædificant, Christum non solum in se, sed et in aliorum cordibus pariunt, eique omni consanguinitatis gradu spiritualiter conjunguntur.

4° Ad beatitudinem perfectam, ex Domini sententia, duo requiruntur : -1) ut verbum Dei *audiatur*, concione, bonis libris, etc. annuntiatum ; et -2) ut verbum Dei *custodiatur*, i. e. ut meditatione et praxi quotidiana excolatur, quatenus fructum æternæ vitæ producat.

—

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA.

—

Joan. VI, 1-15. Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; et sequebatur eum multitudo magna : quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus : et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum. Quum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas, frater Simonis Petri : Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque

---

Matth. XIV, 13-23. Jesus secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum; et quum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. Qui ait eis : Afferte mihi illos huc. Et quum jussisset turbam discumbere

millia. Accepit ergo Jesus panes; et quum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant. Illi ergo homines quum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum. Jesus ergo quum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit, iterum in montem ipse solus.

---

super fœnum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, adspiciens in cœlum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis. — Et statim compulit Jesus discipulos adscendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, adscendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi.

Marc. VI, 34-44. Et exiens vidit turbam multam Jesus; et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa. Et quum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, et jam hora præteriit: dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos quos manducent. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? ite, et videte. Et quum cognovissent, dicunt: Quinque, et duos pisces. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos. Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. Erant autem qui manducaverunt, quinque millia virorum.

Explicatio prima.

—

Dominica quarta Quadragesimæ, quæ ab Introitu Missæ Dominica *Lætare* dicta est, suavem quamdam lætitiam spirat, et ad cœptum jejunium alacriter perficiendum fidelium animos nata est incitare. Quo pertinere quoque videtur Evangelium de multiplicatis panibus in deserto, ostendens quomodo Dominus discipulos suos, propter se esurientes, mirabiliter enutriat.

Multiplicationem quinque panum, ab aliis Evangelistis jam relatam, Joannes, contra suum institutum, hic quoque narrare voluit : quia miraculum istud velut introductio est ad sermonem Domini in synagoga Capharnaum, *de pane cœlesti*, id est, de sanctissima Eucharistia : quem sermonem Joannes referre intendebat. Proponit autem :

I. *Adjuncta quæ miraculum præcesserunt.*
II. *Ea quæ concomitata sunt.*
III. *Ea quæ subsecuta.*

—

Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.

Initio mensis Martii, anno secundo prædicationis suæ, cum Jesus esset Capharnai, audivit Herodem, fama miraculorum suorum commotum, cogitare et loqui, quasi ipse Jesus esset Joannes Baptista, qui anno superiore occisus, a mortuis surrexisset. Cumque eodem tempore excepisset Dominus duodecim Apostolos suos a missione revertentes, *abiit*, inquit Evangelista, *trans mare Galilææ*.

Hic quæritur cur, et quem in locum Dominus abierit? — R. 1° Abeundi causæ fuerunt, 1) ut se subduceret a manibus Herodis, qui existimans Jesum esse Joannem redivivum, qui nomine Messiæ, seu Christi, regnum Judææ ambiret,

instigantibus ut videtur Pharisæis, eum comprehendere volebat. -2) Ut discipulis a missione redeuntibus aliquam quietem daret. Reversi enim Apostoli narraverunt illi *omnia quæ egerant et docuerant. Et ait illis : Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi ; et nec spatium manducandi habebant* (Marc. VI, 31). — 3) Ut a populi applausu et nimio favore se removeret.

2° Quo abiit? — In locum desertum prope vicum Bethsaidæ, ad littus orientale maris Tiberiadis, tribus circiter leucis a Capharnao situm ; qui vicus Bethsaidæ confundendus non est cum oppido Bethsaidæ, patria Philippi, Andreæ et Petri, quod in littore occidentali situm erat.

Cum autem navigaret Dominus versus orientale littus, populus secutus est eum via terrestri, nimirum juxta littus septentrionale circumeundo. Ideo additur :

Et sequebatur eum multitudo magna : quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.

Erant scilicet quinque millia virorum, præter mulieres et parvulos, qui Dominum pedestres secuti sunt. — Tantæ multitudinis ratio erat -1) quia Dominus sanabat infirmos eorum ; -2) quia transeuntes in itinere per oppida littoralia multos socios alliciebant ; -3) quia erat proximum pascha, quo tempore frequentes occurrebant turmæ viatorum, Jerosolymam tendentium : hi autem occasionem captabant, ut Jesum viderent et audirent: *Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum.*

Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.

Interim appulit Dominus ad littus quo tendebat ; cumque descendisset in terram, ascendit in montem vico Bethsaidæ vicinum, ubi cum discipulis consedit. Non tamen ibi quievit multum : sed vix una, ut videtur, nocte transacta, descendit mane in campum, ubi vidit ingentem illam populi multitudinem quæ ad se confluxerat. Quod dicit : *Cum sublevasset ocu-*

los Jesus, insinuat, Domino solitum fuisse oculos modeste demissos tenere.

Quum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum...

Videns autem miseratione motus est, *quia*, ut Marcus ait, *erant sicut oves non habentes pastorem :* i. e. quia spirituali indigentia magna laborabant. Quare benigne excepit eos, docuit multa de regno Dei, et infirmos eorum curavit usque ad vesperam, i. e. usque ad initium vesperæ, seu horam nostram circiter tertiam pomeridianam. Vespertinum enim tempus a medio descensu solis usque ad occasum extendebatur. Illud utrumque, nempe initium et finis vesperæ, indicatur a Matthæo, XIV, 15 et 23 : *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus...* Deinde postquàm Dominus turbas saturavit : *Adscendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi.*

Perseverabat autem populus apud Christum, ejus doctrinæ et miraculis ita intentus, ut de abeundo et cibo sumendo non cogitarent, licet hora prandii jam præteriisset : *Hora jam præteriit* (Matth. XIV, 15). — Apostoli autem cum famem sentirent, Dominum monuerunt dicentes : *Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.* Respondit Dominus : *Non habent necesse ire, date illis vos manducare* (Matth. XIV, 15, 16). — Quod responsum mirati, illi persuadere sibi non poterant Magistrum serio loqui; et quidam eorum velut jocando, filiali quadam familiaritate dixerunt : *Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare* (Marc. VI, 37); quasi dicerent : Domine, rem impossibilem postulas. Nam ducenti denarii (i. e. centum et quinquaginta circiter franci,) non sufficerent; nobis autem tantam pecuniam non esse probe nosti.

Tunc convertens se Dominus, ad Philippum, interrogavit eum dicens :

Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus.

1° Cur Dominus interrogat, cum sciat, ut Evangelista testatur, quid sit facturus? *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* — Non interrogat ut discat, sed -1) *tentans eum :* i. e. ut Philippi et aliorum fidem excitet, fiduciam et constantiam probet; -2) ut discipulos ad considerandum futurum miraculum attentiores reddat : quod idem de toto hoc Domini cum discipulis familiari dialogo dicendum est.

2° Cur interrogat Philippum? Fortassis quia Philippus præ cæteris erat candidus, sed non ita acutus ut facile res supernaturales caperet : quod denotare videtur ejus in Cœna interrogatio : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Joan. XIV, 8.

Respondit Philippus : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Verissimum responsum : cum multitudo esset quinque millium virorum, *exceptis mulieribus et parvulis*, quorum numerus etiam ad quinque saltem millia esset æstimandus.

Tunc rogavit Dominus quot ipsi Apostoli panes haberent ad usum suum allatos.

Quot panes habetis? (Marc.)

Respondit Andreas, non habere sese nisi cibaria quæ a quodam puero portabantur, nempe quinque panes et duos pisces : *Est puer unus hic*, inquit, *qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid sunt inter tantos?* — Panes hordeacei erant cocti, juxta morem Judæorum, forma magni ac rotundi, sed uno tantum pollice crassi, ita ut facile frangi possent; pisces quoque cocti erant et parati in cibum. Quæ quidem cibaria Apostolorum fuisse probabilius censentur, etsi a puero portata.

Sic Christus viam sternit ad miraculum multiplicationis panum. Ideo enim turbas detinuit in deserto usque ad vesperam, ut discipuli dimissionem earum peterent; petentes au-

tem jubet ipsos dare populo cibum, ut eo testatius sit miraculum, eoque Domini beneficium gratius accidat, quo magis se vident in arctis, ciboque omni ad tantam turbam in deserto alendam destitutos.

Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

Cum respondissent Apostoli, se non alia cibaria habere quam quinque panes et duos pisces, præcepit Dominus ut eos sibi afferrent, simulque turbas ordine disponerent per campum : viros seorsim, et mulieres cum parvulis suis similiter seorsim. *Et præcepit illis*, inquit Marcus, *ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos* (Marc. VI, 39, 40). En apparatus ad convivium in deserto : mensam exhibet ipsa terra, verno gramine strata; cibos dabit ipse Dominus, dummodo homines ipsi simpliciter obediant, seseque in cœtus ordinatos, dirigentibus Apostolis componant.

Quare autem per contubernia seu distinctos cœtus Christus eos discumbere jubet? — R. 1° Ut facilius, nemine omisso, sua cuique portio dari posset; 2° ut decenter, ordinate, ac sine tumulto omnia fierent; 3° ut magis appareret discumbentium multitudo, nec non veritas ac magnitudo miraculi; 4° ut sic figura exhiberetur Ecclesiæ.

Accepit ergo Jesus panes; et quum gratias egisset, distribuit discumbentibus ; similiter et ex piscibus quantum volebant.

Postquam homines per campum velut convivæ dispositi sunt, et Apostoli ad Christum redierunt, attentis et exspectantibus omnibus, Dominus quinque panibus benedixit eosque per Apostolorum manus populo distribuit. Quam veluti ceremoniam quinque actibus peregit : nam -1) panes divinis manibus accepit; -2) aspexit in cœlum; -3) gratias egit, panibusque benedixit, ac piscibus similiter; -4) fregit

panes, fragmenta, ut videtur, cophinis imponens; -5) deditque panes sic divisos ac pisces discipulis, ut hi populo distribuerent.

Quod dicitur *gratias egit*, id est, Patrem ob beneficia sua laudavit; quod autem dicitur simul *benedixisse* panibus, i. e. Patris virtutem qua multiplicarentur, eis imprecatus est. Benedictione sua Dominus panibus virtutem aliquam, non physicam, sed moralem indidit, qua in suis Apostolorumque manibus multiplicarentur : quemadmodum fere indidit seminibus virtutem physicam, qua multiplicentur in sinu terræ. — Benedictio Dei et Christi est semper multiplicationis ac prosperitatis efficax; atque ita differt a benedictione nostra, quæ tantum deprecatoria est : nos enim benedicimus bene precando, Deus benedicit bene faciendo.

Dominus populo panem non distribuit per semetipsum; sed *dedit discipulis* distribuendum, ut per eos tanquam ministros quodammodo miraculum fieret, ipsique testes eo certiores miraculi essent. — Distribuentibus ergo panem Apostolis, universa populi multitudo de quinque panibus et duobus piscibus acceperunt, et saturati sunt.

Et manducaverunt omnes, inquit Matthæus, *et saturati sunt.* En miraculum non minus præclarum quam certum et evidens. Nam 1° *manducaverunt omnes :* ergo omnibus et singulis de facto constat, non solum externis sensibus, sed etiam experientia interna sensuque intimo. — 2° Quod manducaverunt omnes usque ad satietatem, non solum indicat panem fuisse copiosum, verum etiam optimum et sapidissimum; non secus ac vinum miraculosum in nuptiis Cana : *Dei* enim *perfecta sunt opera.* Deut. XXXII, 4.

Quæri autem potest, ubinam et quando panes actu multiplicati sint? — R. Probabilius dicendum est cum Maldonato (in Matth. XIV, 19), panes multiplicatos esse primum in manibus ipsius Christi, ad duodecim cophinos implendos; secundo, in manibus Apostolorum (etiam Judæ) distribuentium, cum cophini non exhaurirentur; tertio, in manibus comedentium, cum fragmentum acceptum unicuique plus quam sufficiens esset. Porro, ex mente S. Ambrosii, promebatur ex cophinis panis sicut aqua ex fonte; aut sicuti promebatur a

Sarephtana vidua oleum ex lecytho, et farina ex hydria : quantum nempe ab illa hauriebatur, tantum divinitus accrescebat, ita ut hydria farinæ non deficeret, nec lecythus minueretur. III Reg. XVII, 16.

Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.

Postquam omnes saturati sunt, jussit Dominus fragmenta colligi, dicens discipulis : *Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant.* Id autem præcepit, 1° accuratæ dispensationis causa, ne fragmenta utilia prodige perirent; 2° ut evidentius miraculum agnosceretur; 3° ut Apostolis ipsis, qui sua cibaria liberaliter dederant, liberalitas rependeretur. Nam *impleverunt duodecim cophinos fragmentorum*, puta tantum, quantum a Domino acceperant distribuendum; et multo plus quam ipsorum quinque panibus, quos Domino obtulerant, contineretur.

Illi ergo homines quum vidissent quod Jesus fecerat signum....

Remanet ut Evangelista dicat, quomodo milleni illi homines miraculum agnoverint et testati sint. *Illi ergo homines*, inquit, *quum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere Propheta qui venturus est in mundum.* Ita scilicet agnoscunt miraculum ejusdemque magnitudinem, ut indubitanter concludant, Jesum esse Messiam, Prophetam magnum ac regem Israel ; quare communi suffragio eum regem temporalem constituere ac promulgare volunt.

Quod cum cognovisset Dominus ab eorum sese manibus subduxit : *Quum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Non enim rex temporalis, sed spiritualis esse volebat, regnando in animas per fidem et charitatem.

Explicatio secunda.

Abiit Jesus, et sequebatur eum turba magna.

Tum Jesus abiens, tum turba sequens, exemplum nobis præbet.—1° Dominus a turba recedit -1) humilitatis causa, ut nimium ejus favorem fugiat ; turba autem tanto magis ipsum veneratur et sequitur. -2) Recedit quoque propter discipulos, ut eos doceat opus esse, recollectionis causa, sese interdum in solitudinem recipere : *Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum.* -3) Recedit quoque, ut videamus quomodo homines trahat, nempe sanando et docendo, i. e. beneficentia corporali et spirituali. -4) Recedit etiam, ut eos ducat in desertum, id est, ut eos removeat a mundi periculis, distractionibus, etc.

2° Turba exemplum præbet pietatis et fiduciæ erga Jesum (1) : nolunt enim ab eo separari ; sequuntur eum via pedestri ac difficili ; sequuntur in desertum, licet cibaria non habeant, nolentes propter panem ab eo discedere; faciuntque quod ipse commendaverat, dicens : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matth. VI, 33). Neque temerariam eorum fiduciam fuisse eventus ostendit.

Exiens vidit turbam multam, et misertus est super eos (Marc.).

His verbis manifestatur charitas Domini, ejusque misericordia erga homines.—1° Exit e solitudine ad turbam, quasi nova charitate instructus ut miseros adjuvet : non enim ad eos descendit nisi benefaciendi causa....

2° *Misertus est :* en patet cor Domini, quod totum est misericordia et amor erga nos, sed amor maxime purus et efficax ; miseretur enim ob inopiam, tum corporalem, tum

(1) *Adjumenta,* Argum. 33, schema 1 et 2.

præsertim spiritualem suorum ; simulque eos sanando et docendo indefessim juvat usque ad vesperam.

3e Speciatim autem hic manifestatur providentia et cura paterna, quam Dominus gerit de suis. Miseretur enim quia videt et cognoscit eorum inopiam : *Quia erant sicut oves non habentes pastorem ;* quo verbo sese statum eorum plane perspectum habere significat, prout in simili occasione explicatius dixit : *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt* (Marc. VIII, 2). Ita miserias nostras intime et in particulari cognoscit, pericula prævidet, titulos quibus sollicitudinem ejus meremur exquirit ; quas omnes causas sibimet ipse assumit, quasi propter eas obligatio juvandi nos sibi incumberet.

Jam sequitur paterna illa Domini cum discipulis deliberatio, qua -1) manifestat suavissimam suam erga discipulos benignitatem ; -2) docet nos in rebus dubiis prudenter deliberandum esse ; -3) deliberandum præsertim esse de rebus charitatis ; -4) ubi deliberatio hujusmodi vere christiana instituitur, ipsum Christum Dominum velut præsidem consilio præesse.

Porro in hac deliberatione quatuor sunt verba, quæ præcipue ad nostram instructionem faciunt : -1) Statuit Dominus ut ipsi Apostoli turbas nutriant ; -2) interrogat quomodo putent id fieri posse ; -3) respondent Apostoli, nullatenus illud in sua esse potestate ; -4) jubet eos afferre sibi quæcumque cibaria habent.

Dimitte turbas (Matth. XIV).

1° Quod dicunt Apostoli : *Dimitte turbas...* exiguam eorum misericordiam demonstrat : defatigatos enim et esurientes homines dimittere volunt, ut dimissi sibi provideant ; ob tacitam rationem quod ipsi Apostoli eos nutrire non possint. Et quidem, si secundum prudentiam humanam res aspiciatur, non male agebant ; at secundum prudentiam fidei seu spiritus, errabant, prout responso Domini patet. Dicit enim :

2° *Date illis vos manducare :* i. e. *vos*, discipuli mei, dilatate viscera misericordiæ : distribuite quæ habetis, et quæ desunt, a me qui potens sum, flagitate. Ut doceat nos, quanta et qualis esse debeat nostra, præsertim superiorum, misericordia, charitas et beneficentia : ut *ubi angustiantur vasa carnis, dilatentur viscera charitatis.* Augustin.

Unde ememus panes?

1° His verbis Dominus interrogat Philippum, *tentans eum*, ut ejus nostramque in se fiduciam excitet circa necessaria corporis ; fiduciam, inquam, fundatam promissione expressa, fore ut quærentibus regnum Dei et justitiam ejus, necessaria non desint. Quacumque ergo in angustia propter Dominum et legem ejus, homo constituatur, existimet Christum sibi dicere : *Unde ememus panes, ut manduces tu ?* et sciat se tentari ac probari a Domino, qui vult, ut in rebus desperatissimis confidentiam in eum non amittamus.

2° Non loquitur Dominus nisi de pane, non de carnibus, aliove delicatiore cibo : quia necessitati nostræ consulit, non voluptati.

3° Loquitur numero plurali, et quasi familiariter cum suis discipulis deliberans, dicit : *Unde ememus ?*.... ut intelligamus, nos cum ipso velut patre, veram familiam constituere.

4° Quid ego interroganti Domino respondissem ? Quid responderunt Apostoli?

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.

1° En diffidentia humana circa Dei auxilium.—Sensus responsionis est : Non habemus satis pecuniæ, ergo panes emere aut cibare turbas non possumus... Addere debuissent : nisi tu, Domine, aliquo modo quæ desunt suppleas. Vel melius respondissent : Non suppetit quidem nobis pecunia sufficiens ; sed tu, Domine, supplebis : quoniam tua voluntas est, ut populum nutriamus.

2° Simili diffidentia, seu fiduciæ defectu laborant ii omnes, qui bonum opus pro Deo aggressi, ad Dei auxilium non respiciunt, sed humanis mediis velut unice innituntur.

Quot panes habetis? Ite, et videte (Marc. VI, 38).

Hæc Dominus mandat, -1) ut discipuli discant facere quæ possunt, et a Domino petere quæ non possunt. -2) Ut constet de necessitate miraculi, quod tantum per modum supplementi defectui nostro Deus concedere solet : *Juva te ipsum ; et a Deo juvaberis.* 3) Ut occasionem præbeat Apostolis liberaliter quæcumque habent erogandi. -4) Ut ostendat in erogandis eleemosynis et in operibus beneficentiæ, peculiarem semper fore providentiam, qua subsidia nostra quasi multiplicabuntur. -5) Ut Apostolos tanquam cooperatores ad miraculum adhibeat, prout in omnibus suis operibus creaturarum suarum cooperationem requirit ; quamvis alioquin, absque ullo pane, vel absque Apostolorum concursu, multitudinem satiare potuisset.

Quinque panes et duos pisces... sed hæc quid sunt inter tantos? -1) Quinque panes hordeacei et duo pisces : en cibaria Domini et Apostolorum ; en eorum frugalitas ac paupertas. -2) *Hæc quid inter tantos?* Exiguas suas vires agnoscunt et Domino confitentur : quod quidem recte agunt, dummodo a Domino supplementum petant et exspectent. -3) *Quid inter tantos?* Cui quæstioni respondet Christus, non verbo sed facto, sufficere abunde illa pauca, dummodo benedictione superna fecundentur.

Afferte mihi illos huc. -1) Jubet cibaria sibi afferri, ut Apostolorum obedientiam, fiduciam et liberalitatem exerceat. -2) Petit omnia : ut doceat nos eleemosynam elargiri, et cum generositate dare quæcumque habemus. -3) Apostolorum prompta obedientia, fiducia, eleemosyna et studium succurrendi miseris, miraculum a Christo elicuit : si enim panes non attulissent, nec eos Dominus multiplicasset.

Postquam Domino allati sunt panes, primum jubet populum disponi ; deinde panibus benedicit ; tertio, dat panes discipulis ut populo distribuant ; quarto, sic miraculose populum satiat.

Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia (Marc.):

1° En ordo, quem Dominus in omnibus vult servari : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* I Cor. XIV, 40.

2° En imago Ecclesiæ, seu populi christiani, in diœceses et parœcias auctoritate hierarchica distributi, ut a Christo per ministerium sacerdotum pascantur. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit : in loco pascuæ ibi me collocavit.* Ps. XXII.

3° En conditio quam Dominus a populo ad accipienda dona sua requirit : ut Apostolis eorumque successoribus obediendo, sese rite disponant.

Accepit ergo Jesus panes.

1° Dominus gratias agit, et benedicit cibis, ut doceat nos similiter refectionem sanctificare, præmissa benedictione et subjuncta gratiarum actione.

2° Dominus panibus benedicit, ut intelligamus quam pretiosa sit, quamque necessaria, in rebus etiam temporalibus, benedictio Domini, per quam omnia prosperantur, sine qua omnia dilabuntur.

3° Accipit panes manibus, ut intelligamus, eleemosynas quas pauperibus damus, ipsius Christi manibus acceptari.

4° Aspicit in cœlum, ut doceat, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum.* Jac. I, 17.

5° Gratias agit, docens nos, Deo gratos esse pro quovis dono.

6° Benedicit, docens nos, a benedictione ipsius esse principium multiplicationis panum, omnisque nostræ abundantiæ.

Et dedit discipulis, discipuli autem turbis.

Quod idem sic Joannes dicit: *Distribuit* (ipse Christus, sed per Apostolos) *discumbentibus.* — 1° En miraculum, repræ-

sentans providentiam specialem in Ecclesiam, pro rebus temporalibus quibus indiget : *Hæc omnia adjicientur vobis.*

2° En figura convivii Eucharistici, quo excellentius et mirabilius a Christo, per Apostolorum manus, pascuntur fideles et saturantur....

3° Dedit per discipulos panem turbis : ut intelligamus, quomodo per Ecclesiæ Pastores ipse suos pascat fideles ; et voluntatem ejus esse, ut in ministris Ecclesiæ ipsius Domini personam aspiciamus.

4° Panes in distribuendo multiplicantur : ut intelligamus, per eleemosynæ distributionem multiplicari bona nostra, tum temporalia, tum præsertim spiritualia. Eleemosyna enim velut semen est, quod seminanti multiplicatur : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus* (copiose, large), *de benedictionibus et metet... Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* I Cor. IX, 6 seqq.

5° Insigni miraculo multiplicationis panum ostendit Christus, eumdem sese Deum ac Dominum esse, qui de paucis granis segetes creando, universum mundum pascit. Hanc autem seminis, adeoque panis multiplicationem, quam efficit secundum ordinem naturæ, quia res quotidiana nec ullatenus insolita est, nemo miratur; prodigium vero multiplicationis panum in deserto omnes mirantur : *non quia majus est, sed quia rarum est* (August· Tract. 24 in Joan.).

Manducaverunt omnes et saturati sunt (Marc.).

1° Christus ita nutrit suos, ut vere saturentur : scilicet non tantum necessaria præstando corpori, sed præsertim animæ desideria implendo : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ps. CII.

2° *Jubet colligi fragmenta ne pereant :* -1) ut diligentiam, etiam in administrandis rebus temporalibus, commendet; -2) ut condemnet prodigalitatem.

3° *Et impleverunt duodecim cophinos.* En quantum Dominus pro erogatis quinque panibus rependat : ut fructum be-

neficentiæ et liberalitatis erga egenos ostendat nobis : *Date et dabitur vobis; mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Luc. VI, 38.

Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

1° En gratitudo populi : Jesum agnoscunt ut Messiam ac Regem suum; atque ita, ut Regi tam benefico, tamque potenti servire cupiant. Exemplum nobis imitandum.

2° En effectus beneficentiæ vere christianæ : hæc non tantum corpora nutrit, sed etiam animos ad fidem in Christum, omnemque bonam frugem excitat.

At Dominus, videns favorem populi, fugit in montem :

Fugit iterum in montem ipse solus.

1° Quo exemplo docet nos fugam gloriæ et humanæ laudis, peracto bono opere.

2° Docet, ministros suos habitualiter esse debere in monte sancto : hoc est, in monte orationis ac recollectionis sanctæ; unde descendant opportuno tempore ad populum juvandum; et quo, post impletum suum ministerium, iterum revertantur.

DOMINICA PASSIONIS.

—

Joan. VIII, 46-59. Dicebat Jesus turbis Judæorum : Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes? Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo ; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet. Amen, amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis? Respondit Jesus : Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est ; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, et non cognovistis eum : ego autem novi eum ; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Explicatio prima.

Evangelium Dominicæ Passionis ostendit nobis mortem Domini appropinquantem, et jamjam in sua causa præparatam, nempe in injusto odio Judæorum. Cum enim ineunte Octobri tertii prædicationis suæ anni ; id est, sex fere ante passionem suam mensibus, in gazophylacio templi doceret Dominus ; et mirabili sermone demonstraret, se esse divinitus missum Messiam, imo Filium Dei ac Deum de Deo : auditores in duas partes divisi sunt, aliis credentibus, aliis credere renuentibus.

Ad rebelles primum loquens, dicit obstaculum quominus credant, cordis pravitatem esse, non defectum evidentiæ. Quo magis autem veritas testimonii sui pateat, probationes jam allatas novo confirmat argumento, quod ducit ex sua impeccantia, et per modum occupationis proponit. *Quis*, inquit, *ex vobis arguet me de peccato ?* quasi diceret : Nec valet objicere me esse peccatorem, me sabbatum violare, etc., ac proin fide indignum esse; provoco enim ad vestrum testimonium atque judicium : quis ex vobis me convincet de peccato ? Cumque illi reposuissent contumelias, has etiam maxima mansuetudine confutat Dominus.

Tum ad eos qui credebant, orationem convertens, immortalitatem eis promittit, dicens : *Amen, amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

His auditis, iterum adversarii ansam arripiuut Dominum impugnandi, quasi de immortalitate corporali in hoc mundo consequenda loqueretur, et sese perperam Abrahamo superiorem jactaret, qui immortalis nequaquam fuit. — Respondet Dominus, sese tanquam Abrahamo majorem ab ipso Abrahamo fuisse agnitum, quippe qui exsultaverit ut videret diem Christi. — Quod verbum iterum in alienum sensum de-

torquentes, adversarii ad lapides recurrunt, et Dominum fugere cogunt e templo.

Dicebat Jesus turbis Judæorum : Quis ex vobis arguet me de peccato ?...

Sensus est : Nullus ex vobis me de peccato, non dico accusare, sed convincere potest ; ergo neque de mendacio, quod in mea doctrina peccatum gravissimum foret, suspectum me habere potestis. — Unde concludit Dominus : *Si* ergo *veritatem dico vobis*, prout ipsi fateri debetis, *quare non creditis mihi ?* — Cui quæstioni ipsemet respondet, subjiciens quod sequitur.

Qui ex Deo est, verba Dei audit : hoc est, qui ex Deo natus est, Deumque patrem habet, eum amat, eique obedit, verba ejus audit, ejusque spiritu ac instinctu movetur : *Vos* ergo *propterea non auditis, quia ex Deo non estis :* seu, ideo non auditis verba Dei, quia animum filialem erga Deum non habetis, Deumque ut patrem non colitis.

Responderunt ergo Judæi et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?

Irati Judæi, correptionem nec confutare nec sufferre valentes, respondent contumeliis : *Samaritanus es ;* quod verbum, ex probabili sententia, significat, *adversarius tu es gentis nostræ ;* imo, inquiunt, *dæmonium habes*, cum non nisi dæmoniacus dicere possit, nos, filios Abrahæ ac populum Dei, non esse Dei sed diaboli filios. Ergo vere diximus te esse hominem hostilem et dæmoniacum, quod iterum clare ex sermone tuo patet.

Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo ; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam...

Respondet Dominus : Nequaquam verba mea a dæmone sunt inspirata ; sed ita loquor, quia *honorifico* Deum, *Patrem meum*, ac propterea non patior, ut vos per injuriam filii ejus

dicamini. Rectissime ergo loquor ego ; vestræ autem objurgationes injustæ contumeliæ sunt, quibus *vos inhonorastis me*. Verum *ego non quæro meum honorem*, nec eum vindicare volo : *Ego autem non quæro gloriam meam.*

Quod addit : *Est qui quærat et judicet*, Judæos Messiæ contemptores salutariter terrere intendit. Sensus enim est : Licet ego nullam vindictam velim, et injurias ex animo condonem, sciant tamen inimici mei, se vindictam Dei non esse evasuros; quandoquidem injuriæ mihi, Dei legato ac Filio illatæ, in ipsum Patrem meum redundent. *Est* ergo *qui quærat :* nimirum est Deus, *qui inhonorantes me* non impunitos dimittet, sed *judicabit et puniet.*

Post hanc responsionem, ad auditores dociliores se convertens, solemniter hæc verba pronuntiat : *Amen, amen dico vobis*,—nempe credentibus, *si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* — Sermonem Domini *servare*, est illum fideliter implere; *videre, gustare mortem,* est experiri, subire mortem, scilicet *spiritualem;* ita ut sensus sit : Quicumque meam doctrinam susceperit, vitam æternam habebit, tum secundum animam, per gratiam sanctificantem in hoc mundo, et per gloriam in futuro ; tum etiam secundum corpus per resurrectionem gloriosam.

Dixerunt ergo Judæi...

Judæi, puta contradictores, Domini sermonem iterum interrumpunt. Intelligentes enim, vel intelligere simulantes verba Domini, quasi dicerentur de morte corporali et naturali ; argumentum novum inde captant ad suam calumniam confirmandam, et hæc reponunt : *Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et prophetæ ; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?* Quasi dicerent : Nonne satanicum omnino est, quod discipulis tuis immortalitatem promittas, cum Abraham, Dei amicus, et prophetæ sancti, immortalitatem nec dare potuerint, nec ipsi habuerint, sed mortui sint omnes? Ergo majorem te censes Abrahamo? Vel quem te esse fingis?

Respondit Jesus : Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est : est pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est...

Si grandia et vere magnifica, quæ de me ipso loquor, non nitantur nisi testimonio meo, atque ita ego magnificem memetipsum; utique *gloria mea nihil est*, et verba mea sunt vaniloquia : id vobis concedo. At vero nequaquam ita sese res habet : nam Pater cœlestis me honorat indesinenter; quandoquidem miraculis, quæ per manus meas operatur, testimonium de missione mea divina perhibet, demonstrans, me vere eum esse quem me profiteor : ipse utique *quem vos dicitis quia Deus vester est*, ipse *glorificat me*.

Et non cognovistis eum : ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. — Quod dicit : *Et non cognovistis eum :* loquitur Dominus de cognitione non mere theoretica, sed practica; de cognitione non tantum mentis, sed cordis et amoris, per obedientiam legi; hujusmodi cognitione Judæi falso et mentientes Deum se cognoscere asserebant.

Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est.

Quæstioni contumeliosæ, utrum Abrahamo major esset Jesus, ut jam respondeat, dicit se ab ipso Abrahamo tanquam majorem esse agnitum. Nam Abraham divinis promissionibus credens, gavisus est cogitando, fore ut aliquando *videret*, i. e. nuntio saltem cognosceret *diem ipsius*, id est, adventum suum tanquam Messiæ; et ecce modo *vidit*, nempe notitiam mei adventus accepit, in limbo, per revelationem, ideoque *gavisus est.* — *Dixerunt ergo Judæi ad eum :*

Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

Judæi verba Domini contorquent, quasi se Abrahæ coævum dixisset. — Ad contumeliam et ludibrium solemniter respondet Dominus, suam æternitatem affirmando : *Amen, amen dico vobis : antequam Abraham fieret ego sum.* Quod

verbum Judæi, in incredulitate obstinati, clarissima miraculorum et rationum argumenta aspernando, tanquam blasphemiam interpretantur, ob quam Dominum lapidare volunt.

Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Jesus autem, vel divina virtute invisibilem se reddendo oculis eorum ; vel, ut alii probabilius censent, immiscendo se turbis, *abscondit se* ab eis, *et exivit*, seu evasit *de templo* : quia nondum venerat hora ejus, neque alia morte quam morte crucis immolari volebat.

—

Explicatio secunda.

Quis ex vobis arguet me de peccato?

1° Protestatur Dominus se nullum peccatum facere, et quidquid iniquum est ita detestari atque odio habere, ut id committere non possit. *Iniquitatem odio habui et abominatus sum : legem autem tuam dilexi* (Ps. CXVIII). Ut doceat nos perfectum odium peccati.

2° Dominus paupertatem, dolores et ignominiam non refugit ; solum peccatum abhorruit : ut doceret nos, peccatum tanquam unicum malum abhorrere.

3° Quanta securitas homini, quem sua conscientia non reprehendit, qui nullius peccati sibi conscius est ! Hanc securitatem per Dominum consequi possumus, dicendo ex animo : *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Luc. XVIII, 13.

4° In Christo, utpote Filio Dei, peccatum non est, nec esse potest (1) ; imo ipse est summus peccati adversarius et destructor : *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*. Joan. I, 29.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

1° Veritatem nobis Dominus locutus est, veritatem tot miraculis ac testimoniis probatam, ut nemo prudens et odio

(1) Cf. *Elementa theol. dogm.* Tract. 8, *de Incarnat.* cap. 2 n. 118 et 139.

non excæcatus de ea dubitare possit. Si itaque vera est doctrina Christi, credenda est; nec tantum credenda, sed etiam opere servanda, sub pœna æternæ damnationis. His verbis docemur certitudinem fidei nostræ, et necessitatem ei obediendi.

2° *Quare non creditis mihi?* Quare potius creditis mundo? Nonne melius est credere veritati, Christo, quam mundo mendaci?...

3° *Quare non creditis* efficaciter, i. e. fide operativa? Prima causa esse solet ignorantia sacræ doctrinæ, quam multi solide addiscere negligunt; altera, prava cordis dispositio, qua passionum blandimenta divinæ voluntati ac virtuti, et instinctum inspirationemque diaboli instinctui divino præferunt, seseque constituunt filios diaboli, cujus veluti spiritu animantur.

Qui ex Deo est, verba Dei audit.

Auditionem verbi Dei Dominus commendat. — Quare, et quomodo verbum Dei audiendum est? R. 1° Hæc auditio boni animæ status, imo beatæ prædestinationis causa est et indicium. Vis ergo scire utrum Dei amicus existas? vide an verbum Dei audias. Visne amicus Dei esse et permanere? verbum Dei audi.

2° At quomodo audiendum? — R. Adeundo conciones sacras, legendo bonos libros, etc.; et quidem ita, ut verbo Domini, ejusque inspirationibus sanctis obediatur, atque audita in praxim redigantur.

Samaritanus es, et dæmonium habes. — Ego dæmonium non habeo.

1° En contumeliæ a Judæis Domino illatæ; eædemque mansuetissime ab ipso acceptæ: ut doceamur Judæorum exemplum vitare, Christi vero exemplum imitari.—Horribile sane Judæorum peccatum, quod ita Dei Filium unigenitum inhonorant: sed simile peccatum committit, non solum ille, qui Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum quomodocumque *blasphemat* (1); — sed etiam quicumque fratrem suum

(1) *Adjumenta,* Argum. 6, § 3, *De blasphemia.*

verbis lædit, quandoquidem injuria proximo illata, in Christum ipsum redundet.

Mansuetudo Domini sane mirabilis est, qui tam atroci calumniæ nullum opponit convicium, neque iram aut vindictam, quæ tam facilis ipsi esset ; sed moderationem summam et rationem : docens nos, omnem exprobrationem et contradictionem patienter ferre (1).

2° Alibi in Pharisæos Dominus vehementer invectus est : hic autem eosdem, etsi objurgatione dignissimos, nequaquam exagitat. Cujus rei hanc rationem dat Chrysostomus : ubi oportebat Dominum eos docere, et contra eorum superbiam invehi, asper erat; ubi vero exprobrantes sufferre, multa mansuetudine utebatur : ut scilicet disceremus quæ ad Deum pertinent vindicare ; quæ vero ad nos, despicere.

Sed honorifico Patrem. — Non quæro gloriam meam.

En principium omnis prudentiæ et sapientiæ Christi : zelus gloriæ Patris, oblivio sui. Si quid ergo Dei honor, seu, quod idem est, bonum animarum requirit, illud verbis et operibus persequitur et procurat; reliqua, etiam personalia commoda, quatenus ad Patris honorem non pertinent, pro nihilo reputat : quo docet nos, unice et in omnibus quærere gloriam Dei, atque nostram proximorumque salutem ; et persequi semper, non ea quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi.

Mortem non videbit in æternum.

1° Quid promittit Dominus? — Immortalitatem, seu æternam vitam, tum secundum animam, tum etiam secundum corpus...

2° Qua conditione promittit? — Ea conditione ut servetur sermo ejus, id est, ejus lex et doctrina, per breve spatium præsentis vitæ. *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

3° E contra, quicumque sermonem Domini non servaverit, mortem videbit in æternum.

(1) Item, Argum. 33, schema 2; et Arg. 8, § 6.

Abraham mortuus est...

1° Judæi in omnibus Domini verbis, scandali et injuriarum occasionem inveniunt : quia male sunt dispositi, et passione, seu pravo cordis affectu, voluntarie obcæcati.

2° En effectus temerarii et malevoli judicii, omnia in pejorem partem interpretantis.

3° Sic Dominus suas misericordissimas promissiones contra se retorqueri videt, et nihilominus moderationem non deponit, nec a benefaciendo desistit.

Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.

Exemplum, quo propriæ laudis appetitui resistere docemur. Homo de se nihil est : quidquid est vel habet, id a Deo accepit, et quidem ad Deum, non ad semetipsum glorificandum : quod si, suimet oblitus, glorificaverit Deum, a Deo glorificabitur : *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum* (I Reg. II, 30). Quo verbo Deus et hoc virtualiter dicit : *Quicumque glorificaverit se, humiliabo eum.* Nam glorificantes se contemnunt Deum; *qui autem contemnunt me*, inquit, *erunt ignobiles* (ibid.).

Et non cognovistis eum : ego autem novi eum... et sermonem ejus servo.

Prima et excellentissima cognitio, est vera cognitio Dei, in qua vita æterna sita est; quæ non inest semper doctis et eruditis, sed servantibus humiliter sermonem Dei. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII, 3.

Vidit, et gavisus est.

Abraham exsultavit ut videret diem Christi : *vidit et* gavisus est; et nos, quicumque post Christi adventum nati sumus, nonne vidimus, nonne videmus in effectibus, in Ecclesia mirabiliter ab ipso ædificata, *diem Domini?* Utique manifeste *habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus.* — Cur ergo non in eo gaudemus, qui omnis lætitiæ causa est, medela omnis in-

firmitatis nostræ?... *Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in Deo Jesu meo.* Habac. III, 18.

Antequam Abraham fieret, ego sum.

1° En Domini æternitas : ipse enim est Filius Dei unigenitus, qui secundum naturam divinam, ex Patre natus est ante omnia sæcula ; secundum naturam humanam vero exstitit ab initio mundi in promissione Dei et in fide patriarcharum : in propria autem carne, a die nativitatis suæ exstitit ac porro existit semper, et anni ejus non deficient : *Jesus Christus heri, et hodie, ipse et in sæcula.* Hebr. XIII, 8.

2° Antequam nos fieremus, ipse est, et post mortem nostram futuram, ipse permanebit ; ita ut generationibus singulis transeuntibus dicat : *Ego sum...* — Inimici tui, Domine, morientur, deficietque memoria eorum cum sonitu : ipsi peribunt, tu autem permanebis, et quidem ita, ut omnes tibi adhærentes efficias immortalitatis tuæ participes. *Ego vitam æternam do eis.* Joan. X, 28.

Tulerunt ergo lapides.

1° En effectus iracundiæ : rationibus lapides opponunt. Sic omni tempore, inimici Christi et Ecclesiæ, veritatis voci violentiam opposuerunt : quasi veritas armorum vi opprimi vel destrui posset...

2° En qualem gratitudinem Dominus pro sua charitate ac zelo recipiat...

Jesus autem abscondit se.

1° Dominus cum ad alios juvandos miracula innumera faceret, pro se miraculorum potestate non utitur : ut exemplum nobis præbeat perfectæ charitatis, aliorum commoda magis curantis quam sua. Quo exemplo ducti, homines pii in se ipsos rigidi, erga alios benigni esse solent.

2° Docet, non esse semper suo jure aut accepta potestate utendum ; sed aliquando opportune ac discrete eam dissimulandam, tolerando multa in qua statim animadvertere non expediat, et *dando locum iræ.* Rom. XII, 19.

3° Docet proprias injurias vi potestatis non ulcisci : quum enim Judæorum lapides in illos reflectere potenter potuisset, humiliter eos declinare maluit.

4° Docet declinare et fugere nos posse injustam et violentam persecutionem, maxime personalem. — Hæc omnia nos suo ignominioso, ut carnali homini videri potest, discessu, altissima Dei Sapientia docuit.

DOMINICA PALMARUM.

Matth. XXI, 1-9. Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Bethphage ad montem Oliveti, tunc misit duos discipulos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi ; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem : Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium

---

Marc. XI, 1-10. Et quum appropinquarent Jerosolymæ, et Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis, et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum, et adducite. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis ? dicite quia Domino necessarius est : et continuo illum dimittet huc. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio ; et solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis. Et duxerunt pullum ad Jesum ; et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via ; alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in via. Et qui præibant, et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna : benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis.

subjugalis. Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus. Et adduxerunt asinam et pullum ; et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via ; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via ; turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis.

Luc. XIX, 29-38. Et factum est, quum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos, dicens : Ite in castellum quod contra est ; in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit : solvite illum, et adducite. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis? Sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat. Abierunt autem qui missi erant ; et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum ? At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et quum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis.

Joan. XII, 12-16. In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, quum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est : Noli timere, filia Sion : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum : sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecerunt ei.

Explicatio prima.

—

De triumphali Christi ingressu in Jerusalem hodie, in Dominica Palmarum, Evangelium prælegitur, 1° quia ingressus ille hoc anniversario contigit, quinto nempe ante Passionem die ; 2° quia idem ingressus veluti præambulum est immolationis Domini in cruce, ad quam veluti ad verum Pascha ab Ecclesia deducimur. — Dicitur merito præambulum immolationis Dominicæ : nam 1) sicut Judæi paschalem agnum quinque diebus antequam mactaretur, cum pompa et lætitia in domum suam recipiebant (Exod. XII, 6) ; sic divinum Agnum, Christum, in civitatem suam lætabundi recipiunt, post quinque dies crucifigendum. 2) Quoniam per triumphalem hunc ingressum Dominus inauguratur ut Rex, regnumque solemniter acceptat : quod indicat profecto, proximum esse tempus ut ascendat in crucem, velut in thronum suum : *Regnavit a ligno Deus.* — Duæ partes distingui possunt :

I. *Ingressus Dominici præparatio.*
II. *Ipse ingressus.*

—

Quum appropinquasset Jesus Hierosolymis, et venisset Bethphage, ad montem Oliveti...

Quum Dominus ultimum Jerosolymam ascenderet, et transiisset per oppidum Jericho, feria sexta ante Dominicam Palmarum, id est, die 18 Martii, seu, ut Joannes inquit, *ante sex dies paschæ* (Joan. XII, 1) : venit Bethaniam, ubi quindecim circiter diebus ante, Lazarum a mortuis suscitaverat ; ibique postero Sabbato die, in domo Simonis leprosi, Magdalenæ unguentis capite perfusus est, obmurmurante Juda.

Postridie, id est, Dominica die sequenti, quam vocamus Dominicam Palmarum, iter perrexit Jerosolymam. Non tamen viam tenuit consuetam, quæ recta tendebat in urbem ; sed

aliam secutus est longiorem per Bethphage, qui pagus erat Bethaniæ vicinus, similiter situs ad radices montis Oliveti, paulo plus semileuca a Jerusalem distans, ex parte orientali (1).

Cum itaque venissent Bethphage, substitit Dominus, misitque duos discipulos in proximum castellum seu pagum, ut sibi jumentum adducerent quod conscendere volebat : *Tunc misit duos discipulos, dicens eis :*

Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi...

Sensus est : Ite in castellum istud, quod e regione conspicitis ; et statim ac intraveritis, invenietis duo jumenta alligata, asinam et pullum, cui nemo unquam insedit, et cui ego insidere volo. Solvite itaque et adducite mihi, non tantum pullum, sed et asinam simul. — Ideo videtur Dominus jussisse asinam simul adduci, ut pullus non reluctando sequeretur : salvo tamen quod suberat rei mysterio.

Addit autem : *Et si quis vobis aliquid dixerit*, scilicet ad impediendum, *dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos :* hoc est, quia ego, qui sum Messias, Rex, Deus et *Dominus* omnium, his uti volo : quo intellecto libenter acquiescet.

Mandatum discipuli impleverunt, remque totam prout Dominus indicaverat invenerunt. *Et abeuntes*, inquit Marcus, *invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio ; et solvunt eum. Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.*

Et adduxerunt asinam et pullum, in locum ubi cum reliquis discipulis exspectabat Dominus (2).

(1) De ingressu Domini per viam orientalem, vid. tom. 2, Domin. 9 post Pentec. ad Luc. XIX, 44 : *Eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

(2) Locum illum ubi Christus jumentum conscenderat, cum olim Christiani per traditionem cognoscerent, exstructo sacello consecraverant, quod monumentum labente tempore deletum est.

Plura hic animadvertenda occurrunt. — 1° Videmus Christum res absentes et futuras intueri tanquam præsentes, quod divinitatis ejus argumentum est.

2° Noluit Dominus invitis possessoribus auferri jumenta, quod jure suo supremo facere poterat; quia ejus providentia non minus suaviter operatur quam fortiter. Vult itaque ut contradicentibus ratio reddatur talis, ut ipsi animalia abduci permittant.

3° Asinus quem Christus conscendere vult, animal erat olim, in Judæa præsertim, majoris pretii atque usus, quam hodie est; solebant enim principes ac nobiles insidere asinis, ut patet ex his : *Jair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti et duos annos, habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum* (Judic. X, 3). — *Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini.* Ibid. V, 10.

4° Res quidem insolita erat, at mysterio plena, quod Christus qui longissima itinera indefessim pedibus facere consueverat, tunc, ut brevem viam perageret, uti vellet jumento; et quidem eo, cui nondum quisquam insederat : id est, tali, ut ad usum sacrum destinatum videretur. — Et revera, ut Evangelista explicat, *hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem :*

Dicite filiæ Sion ; Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum, filium subjugalis.

Prophetia Zachariæ, non tam quoad verba quam quoad sensum citatur; sic enim textus habet : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator ; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum, filium asinæ.* Zachar. IX, 9.

1° *Filia Sion*, Filia Jerusalem, Hebræorum more poetice dicitur pro civitate Jerusalem, ædificata in monte Sion, quæ decoris causa spectatur ut virgo, seu sponsa ornatissima. *Cui comparabo te virgo, filia Sion?... Hæccine est urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ* (Thren. II, 13, 15)*?* — Mystica autem ratio hujus nominis esse videtur, ut Jerusalem clarius

appareat esse figura Ecclesiæ, Virginis sponsæ Christi Regis, de qua Joannes : *Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Apoc. XXI, 2.

2° *Sedens super asinam, et pullum, filium subjugalis:* sensus probabilius est : *sedens super asinum, pullum masculinum asinæ.* Nam-1) ex Hebræorum more particula *et* idem valet ac : *id est, nimirum*, et secundum sententiæ membrum est repetitio prioris.-2) Vox *asina* in Vulgata videtur emendanda, et mutanda in *asinum :* quia hebraico textu Zacharias habet *asinum ;* quare vocabulum græcum ἐπὶ ὄνον, quod utriusque est generis, probabiliter sumendum esset generis masculini, et vertendum *super asinum* (1). Alii tamen interpretes, qui Vulgatæ versionem præferendam censent, existimant Christum tam asinæ quam pullo successive insedisse. Et quidem hæc sententia præplacet Card. Toleto, dicenti Christum primo sedisse super asinam, quæ Judæorum populum significabat ; postea vero super pullum, per quem Gentes indomitæ, et jugo legis non assuetæ figurabantur.

Cur autem Dominus hujusmodi pompa, simul humili et simul gloriosa, Jerosolymam intrare voluit ? — R. Ut regni sui, regiæque potestatis aliquod specimen daret, quod sat gloriosum esset, ut ex una parte appareret, Jesum nequaquam esse pauperem, vilem et contemnendum ; et ex altera pateret, regnum Messianum esse regnum humilitatis, magisque spirituale quam temporale. Ideo Dominus jumento vectus, modesto quidem modo, sed, ut supra dictum est, apud Judæos nullatenus ignobili, Jerosolymam intrare voluit. — Aliæ sunt causæ mysticæ, quæ infra exponentur.

Discipuli autem adducentes asinam et pullum, quantum pro sua paupertate possent, ornare voluerunt animalia illa, ut decenter Dominum ferrent.

(1) Beelen, *Nov. Test. translat. flandr.* adnot. in hunc loc.

Et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

Quod dicitur *super eos*, i. e. super utrumque animal, discipuli, nescientes utrum e duobus Jesus conscendere vellet, vestimenta seu pallia sua straverunt. Vestis enim superior, seu pallium, erat pannus quadratus, magnus, qui a pauperioribus etiam pro stragulo lecti adhibebatur. — Notandum hic discipulos, ut et populi turbam, Spiritus sancti instinctu permotos fuisse, ut regalem hanc pompam Christo adornarent.

Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via ; alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.

Alii scilicet pallia sua, alii ramos et frondes ante pedes Domini conjecerunt, ut eum quasi regem exciperent. Mos enim orientalis erat, ut ad ingressum Principis, ex utraque parte viæ tapeta pretiosa sternerentur, floresque spargerentur, ut in medio Princeps cum comitatu transiret. Hujusmodi honorem, quatenus possent, turbæ Domino deferre contenderunt. — Rami fuere probabiliter palmarum, olearum, et aliarum arborum fructiferarum, quibus mons Oliveti plenus erat, quæque in Palæstina mense Martio jam virent et frondescunt.

Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant...

Turbæ illæ erant magna ex parte homines extranei, ad festum Paschatis adventantes, et fama Jesu excitati ; nam Domini adventus eum Jerosolymis præcesserat (Joan. XII, 12, 13) ; probabiliter quoque occurrerunt multi ex iis, qui pridie Bethaniam venerant, *non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.* Joan. XII, 9.

Hosanna filio David : benedictus qui venit in nomine Domini; — benedictum quod venit regnum patris nostri David ; — pax in cœlo, et gloria in excelsis ; — hosanna in excelsis !

Hæc verba omnia, tanquam a favente populo edita, a variis Evangelistis citantur. Acclamatio *hosanna !* vox est hebraica, significans *da salutem, sit salus et benedictio, vivat*, prosperetur! Ergo *hosanna filio David*, seu Messiæ, est acclamatio precatoria pro Jesu Nazareno, quem ut Messiam agnoscunt, et tanquam regem suum salutant et inaugurant.

Hosanna in excelsis, id est, a Deo in cœlis benedictio descendat in Christum; vel : Deo benedictio ac laus tribuatur, ob datum nobis Christum Messiam. Quo fere sensu et hæc habentur apud Lucam : *Pax in cœlis, et gloria in excelsis ! — Benedictus qui venit Rex in nomine Domini :* i. e. qui venit Messias a Deo missus, ac divina potestate ornatus.

Benedictum quod venit regnum patris nostri David : id est, benedicat Deus regno Messiano, quod pridem, et in Davide promissum et figuratum, tandem feliciter advenit.

—

Explicatio secunda.

Cum appropinquasset Jesus Hierosolymis.

Dominus cum ad eam urbem veniret, ubi post quinque dies crucifigendus esset, solemniter et triumphantis instar intrare voluit. Quare triumphali pompa hic usus est? et qualem apparatum elegit?

1° Ingressum facere triumphalem, voluit (1), -1) ut agnosceretur tanquam Messias, qui juxta vaticinia prophetarum tali modo Jerosolymam adventurus erat.-2) Ut characterem suum regium manifestaret : hoc enim triumpho tanquam Rex cœlitus promissus apparet et agnoscitur; mox autem coronabitur et regnare incipiet : primo quidem in passione, ut rex

(1) *Adjumenta,* Argum. 43, 42 et 32.

virtutis et fortitudinis, deinde vero in resurrectione, ut rex gloriæ. 3) Ut ostenderet gaudium, quo labores ac dolores sibi Jerosolymis subeundos acciperet. 4) Ut contemptus et ignominiæ, quæ illi imminebant, hac ratione graviores redderentur. -5) Ut hoc facto ostenderet, quam sit inconstans mundi gloria, hominumque favor et opinio, cum clamor *hosanna!* tam cito mutandus sit in *crucifige*. 6) Ut doceret, suum suique sequacium regnum et gloriam in hac vita, consistere in passione et cruce; ideoque hanc non aversandam sed ambiendam esse. -7) Ut figuram exhiberet ingressus sui spiritualis in animam, per divinam gratiam; — et ingressus sui gloriosi in cœlum : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales; et introibit Rex gloriæ.* Ps. XXIII.

2° Qualem triumphi apparatum elegit? — Non currum regium, neque equum aut mulam superbe phaleratam; sed humile jumentum, pauperibus discipulorum vestibus ornatum; præterea vero nihil, nisi amorem et venerationem populi. — Scilicet apparatum sumpsit -1) quam modestissimum; -2) dignum tamen, et ad reverentiam conciliandam idoneum; -3) cujus quasi anima esset populi amor ac veneratio, quam sibi sanctitate et effusa beneficentia comparaverat. Ut discamus, mundi pompam vanam despicere; et apparatu auctoritati necessario quam modestissime uti, atque ita, ut ei semper Christi paupertatem, mansuetudinem et humilitatem præferamus.

Invenietis asinam alligatam et pullum cum ea.

1° En omniscientia Dei,—en Providentia quæ res hominum omnes cognoscit, et ad sua consilia dirigit, quin homines quidquam suspicentur...

2° Quanta felicitas, quantaque gloria homini illi, qui jumenta sua Domino præstare potuit!

Quia Dominus his opus habet.

1° Licet omnia possideat, tamen nostris rebus Dominus uti dignatur, quasi iis opus haberet : ut scilicet nobis beneficentiæ gloriam et meritum procuret.

2° Opus habet rebus nostris, quotiescumque eleemosynæ, vel alterius cujuscumque boni operis occasio offertur.

3° *Dominus* opus habet : scilicet non tam pauperes, quam in eorum persona ipse Christus Dominus opus habet et necessitatem patitur, qui propter nos egenus factus est, — qui est dominus ac possessor omnium, — et a quo omnia quæcumque habemus accepimus.

5° Quicumque considerat, Dominum esse qui opus habet, qui eleemosynam, etc., postulat : non potest profecto quin confestim et libenter concedat ac dimittat : *Et confestim dimittet.*

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.

Hæc verba ad omnes pertinent : Christus enim Rex omnium nostrum est, ad unumquemque veniens. Utinam intelligam qualis ille Rex meus sit, et quomodo veniat mihi !

1° Rex est mansuetus, humilis, suavis; simulque dives, beneficus, gloriosus, immortalis....

2° Venit mihi de summo cœlo per Incarnationem, per sacram Communionem ; — item per internam gratiam, et per exhortationes externas, quibus sollicitat ingressum in animam meam, ut in ea beatum regnum constituat. — Item venit ad me, quoties aliqua tribulatione me visitare dignatur.

3° Nonne ei occurrere debeo, eique cor meum totum aperire et offerre?...

4° Ecce Rex tuus, o anima, verus et legitimus ; noli ipsi præferre tyrannum, diabolum et mundum...

Sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.

Beatum sane jumentum quod Dominum portat, et a Domino vicissim ducitur in civitatem sanctam Jerusalem ! En figura animæ, quæ prius vinculis peccatorum alligata, per Apostolorum manus soluta est ; et assumpto onere Christi, feliciter huic Domino incipit obedire, eoque duce in æternam vitam ingreditur... — Beatus homo humilis, docilis, patiens laboris pro Domino : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Ps. LXXII.

Euntes discipuli fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

1° Discipulorum fides et obedientia imitanda.

2° Obedientiæ successus : *Et adduxerunt asinam et pullum :* etenim *vir obediens loquetur victoriam* (Prov. XXI, 28) ; impedimenta scilicet quælibet vincuntur in nomine Domini jubentis : *Quia Dominus his opus habet.*

Imposuerunt super eos vestimenta sua... Plurima turba straverunt vestimenta,... et ramos cædebant de arboribus, et clamabant.

En quomodo Apostoli et turbæ Dominum honorifice introducant : vestimentis se spoliant, palmarum et olivarum ramos gestant, lætabundi Deum laudant : ut discamus, 1° exuere nos pro Christo veterem hominem, rejecta præsertim mundana pompa, et exuto affectu ad res temporales.

2° Ut discamus ei victorias de nobismetipsis per ejus gratiam relatas, offerre : oliva enim symbolum est gratiæ ; palma vero, triumphi ac fortitudinis qua gratiæ cooperari debemus. Utinam in hora mortis cum palmis et olivis Domino occurrere possimus !

3° Ut, dum viva fide Christum spectamus, repleatur cor nostrum gaudio, et lingua nostra exsultatione ac laude.

4° Ut discamus honorifice excipere Dominum Eucharisticum, præsertim quando in festo Corporis Christi, solemni supplicatione comitante, per plateas nostras ingreditur.

5° Ut discamus Domino fideliter adhærere, et non sicut instabiles turbæ, mox mutare *hosanna* in *crucifige*.

Benedictus qui venit in nomine Domini.

1° Hæc verba conclamabant turbæ *quæ præcedebant, et quæ sequebantur :* et sic figurabant fideles omnium mundi temporum, qui vel Christi adventum præcesserant, vel eumdem essent subsecuturi usque ad consummationem sæculi ; quique omnes, Christum confitendo et invocando, salvati sunt, vel salvabuntur.

2° Hæc verba adhibet Ecclesia in sacrosancto Missæ sacrificio, ut salutet Christi Domini adventum in altare. Qui venit *in nomine Domini*, i. e. ex parte Dei optimi et misericordissimi, bona quæcumque, et omnes spirituales divitias afferens mundo, ob quæ Deo benedicere et gratias æternas agere debemus.

3° His verbis quoque, dum a fidelibus repetuntur, agnoscitur Christus ut Rex, eique corda subjiciuntur.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

—

SCHEMA PRÆVIUM.

DE MYSTERIO RESURRECTIONIS DOMINI.

—

Surrexit Dominus vere. Luc. XXIV, 34.

Inter historica facta nullum apparet resurrectione Christi præclarius. Quid enim cum eventu tali ac tanto comparari possit? De quonam eventu agitur?... Nonne res hujusmodi universæ humanæ historiæ supereminet? — Imo, quocumque respectu Jesu Nazareni resurrectio consideretur, manifestum est, eam tum mirabilitate, — celebritate, — certitudine; — tum effectibus ac faustissimo in mundum universum influxu, omnes alios historicos eventus immensum superare... — Nec modo mysterium est præclarissimum, sed simul etiam contemplantibus maxime jucundum ac salutare. Quapropter illud sincera et diligenti mente contemplemur, tres examinando quæstiones :

I. *An vere Christus a mortuis resurrexerit?*
II. *Quomodo resurrexerit?*
III. *Quæ sint resurrectionis dominicæ consectaria?*

—

I. *An vere Christus a mortuis resurrexit?* — 1° Merito multoties Evangelia testantur : *Quod surrexit Dominus vere, et apparuit* (Luc. XXIV, 34). Etenim inter res memorabiles, quæ historica fide certissimæ conservantur, nulla est resurrectione Jesu magis indubia : neque Alexandri victoriæ, neque Cæsaris mors, aut ipsius Caroli Magni imperium, tanta testimoniorum luce clarescunt... Adeo ut, si possibile foret de hujusmodi profanæ historiæ factis rationabiliter dubitare, de

Christi resurrectione id fieri nequaquam posset. — Divina scilicet Providentia manifestissimam hanc certitudinem esse voluit, quia Dominica resurrectio fidei nostræ basis est ac fundamentum; seu, quia argumentum ac motivum credibilitatis existit præcipuum, quo reliqua omnia motiva vel continentur vel confirmantur. — Quocumque sub respectu consideretur Christi Domini resurrectio, sive in figuris ac prophetiis, sive in sua impletione, sive in testimoniis, sive in effectibus, in omnibus certissima atque evidentissima apparet. Etenim :

2° Christi resurrectio fuit antiquitus figurata. — Isaac immolatus, et tamen vivus ex immolatione surgens; Joseph, a fratribus quasi occisus, et in carcere quasi sepultus, indeque gloriose egrediens; Daniel in lacum leonum descendens et ex eodem illæsus evadens; Jonas morti addictus, in ventre ceti sepultus, et post tres dies e vivo sepulcro emissus : en figuræ resurrectionem dominicam adumbrantes.

3° Christi resurrectio fuit prædicta : quare merito dicit Apostolus : *Resurrexit tertia die secundum Scripturas* (I Cor. XV, 4). — Scripturæ porro variis locis hanc prophetiam continent. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (Ps. XV). — *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (Isai. XI, 10). — *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne* (Osee XIII, 15). — Sed ipse Christus clarissime et sæpius suam resurrectionem prædixit : *Surrexit sicut dixit* (Matth. XXVIII, 6). — *Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget* (Marc. IX, 30). — *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam* (Marc. XIV, 28). — *Signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus : sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (Matth. XII, 40). — Prædictio Domini erat publica, adeo ut Judæorum principes Pilato dicerent : *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens : Post tres dies resurgam.* Matth. XXVIII, 63.

4° Christi resurrectio fuit oculis spectata, omnibusque testium sensibus cognita. — Viderunt resurrectionem evenisse custodes sepulcri, et per eos Judæorum principes

(Matth. XXVII), licet ipsi Dominum redivivum videre digni non fuerint.—Ipsum Dominum redivivum viderunt Apostoli, sanctæ mulieres, aliique discipuli : eum conspexerunt præsentem, loquentem audierunt, manibus palpaverunt, cum ipso manducaverunt et biberunt; idque non semel, sed sæpius, variis circumstantiis, per dies quadraginta; nec paucis, sed pluribus testibus Dominus manifestus apparuit, imo, ut Paulus ait, *plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc.* I Cor. XV, 6.

5° Christi resurrectio nota facta est universo mundo, a testibus omni exceptione majoribus : quippe qui sunt numerosissimi, diversissimi, atque tales, ut nec decipi potuerint ipsi, nec alios decipere voluerint, nec decipere potuissent si voluissent.

Quinam hujusmodi testes existunt? — Apostoli in primis, testes præordinati. *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo, nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit a mortuis* (Act. X, 40). — Quod si explicare quis velit, quomodo Apostoli testes fuerint omni exceptione majores, sufficiet, ut eorum numerum, indolem, incredulitatem, sanctitatem, unanimitatem, constantiam usque ad sanguinis effusionem, etc. consideret.

Testes præterea sunt mulieres, omnisque generis discipuli; item Judæorum principes, ad sepulcrum excubias ponentes, nec tamen in testantes Apostolos tanquam in mendacii reos animadvertentes; — testes sunt Judæi et Ethnici innumerabiles, propter resurrectionis evidentiam ad Christum conversi; testes sunt ipsi christiani nominis hostes acerbissimi, ut Celsus, Porphyrius, Hierocles, Julianus Apostata : qui resurrectionem Christi, sicut cætera ejus miracula, magicis quidem artibus tribuendo elidere conati, negare tamen nunquam sunt ausi.

Addi potest resurrectionis testes fuisse innumeros Martyres, imo generationes hominum universas, ab Apostolorum tempore usque in hodiernum diem, ob resurrectionis evidentiam in Christum credentes .. Testes sumus nos, aliquo modo oculati; cum spectemus sepulcrum Domini vacuum,

sepulcrum gloriosum... cum spectemus Ecclesiam catholicam stantem, tanquam monumentum vivum, conspicuum, resurrectionis dominicæ in qua fundata est .. Nec tantum testes resurrectionis sumus indirecte, in effectibus; sed erimus aliquando testes directe, oculis Christum redivivum spectantes : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Apoc. I, 7.

Nec quidquam adversus factum tam luculentum objici potest, quod non simplici rationis aspectu evanescat. Objectiones quæcumque reducuntur ad sequentes. 1) Forsitan Apostoli non fuere testes idonei : forsitan vel decepti vel deceptores... Sed vident, audiunt, palpant; non credunt nisi evidentia coacti; ad unum omnes, absque ulla humana spe, cum omni humano detrimento, unanimiter, constanter hominis crucifixi resurrectionem usque ad mortem crudelissimam asserunt... Num testes unquam hisce similes inventi sunt?... Vel, num conspiratio unquam suscepta, quæ esset ex una parte tam absurda, tamque impossibilis, et ex altera tam mirabili successu coronata ?... — 2) Forsan, inquiunt, Christus non fuit vere mortuus... Sed lancea perfossus est, mortis ejus et sepulturæ testes fuerunt ipsi ejus inimici... — 3) Forsitan Christi corpus mortuum ab Apostolis sublatum est... Sed res fuit impossibilis ratione militum custodientium, ratione timiditatis Apostolorum, ratione stultitiæ hujusmodi consilii ex parte auferentium, etc. — 4) Fortassis, ut Julianus Apostata dicebat, magicis artibus resurrectio tribuenda est... Sed tunc ars magica, quomodo differt a dominio vitæ et mortis quod soli Deo competit?... *Utique*, ut Richardus Victorinus dicebat, *si error est, Domine Deus, a te decepti sumus...*

Ergo surrexit Dominus vere.

II. *Quomodo Christus resurrexit?* — seu quomodo resurrectio peracta est? quæve eventus circumstantiæ? — 1° Respectu causæ, propria virtute surrexit Dominus, non aliena, ut Lazarus... virtute tranquilla, sine conatu vel strepitu, sicut sponsus e thalamo, sicut sol tranquilla majestate emergit e nocte...

2° Respectu temporis : tertia die ; die octava eademque prima hebdomadæ, i. e. die Dominica. — Primo mane... — Brevi post occasum suum sive mortem...

3° Respectu loci. — Surgit e sepulcro novo, clauso, obsignato... — In loco ubi passus erat et mortuus... ubi inimici aderant et frustra sepulcrum custodiebant...

4° Respectu sui. — Resurgit in statu novo, corpore eodem quoad substantiam, sed renovato ac glorificato. Corpus enim redivivum gerit, quatuor ornatum dotibus gloriosis : -1) subtilitate, -2) agilitate, -3) claritate, -4) immortalitate atque impassibilitate perfecta. — Quam suam gloriam oculis hominum pro libitu manifestat vel abscondit. — In gloriosa autem carne vulnerum cicatrices conservare voluit : quare ? Non tantum ut sui redivivi identitatem demonstret ; sed etiam, -1) ut exhibeat nobis principia gloriæ, — signa amoris sui, — fontes gratiarum ; atque -2) ut vulnera ostendat Patri in cœlo, — et universo orbi, justis et peccatoribus in die judicii.... (1).

5° Respectu actionis historicæ (2). — Anima Domini in cruce mortui, e corpore simul et agone ac doloribus, velut luna e nubibus emersa, victrix et beata ad limbum Patrum descendit, ubi animæ protoparentum, omniumque justorum mundi antiqui Redemptorem suum, tanquam in aula præparata exspectabant... Ingressa ad eos Verbi incarnati anima, sanctitate ac divinitate ornata, mansionem illam illuminat, atque in paradisum transmutat : *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. XXIII, 43). — Spectatur tandem ab Adamo, ab Abrahamo.... ille desideratus cunctis gentibus.... Adoratur... auditur... amatur... laudatur....

Non tamen cohiberi potest, quin statuto tempore ad resurgendum revertatur. — Comitantibus, ut credere licet, animabus sanctis, redit ad sepulcrum, ubi passionis vestigia cernuntur, ubi corpus jacet non habens speciem neque decorem... At subito Christi corpus, morte fœdatum, ipsius anima informatur, glorificatur, illuminatur, sicut cristallum accensa lucerna subito lumine pervaditur... Quanta majestas !

(1) Cf infra, Evang. *Dominicæ in Albis*, explic. secunda, ad Joan. XX, 20.

(2) Cf. Infra, Evang. diei Paschatis, *Explicatione prima*, et *secunda*, ab initio.

Nunc speciosior quam in monte Thabor... Nunc vere Filius Dei apparet et Rex humani generis : *Filius meus es tu : ego hodie genui te* (Ps. II). — *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis... specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna* (Ps. XLIV). — Vere *tu Rex gloriæ, Christe !...*

Interim, dum hæc aguntur, Apostoli et discipuli tristes erant de Christi acerbo funere... Judæi vero, quasi triumpho suo, non tamen sine sollicitudine gaudentes : donec paulo post, eadem fere hora, tum Apostoli, tum Judæi, rei nuntium acciperent...

Mulieres enim sanctæ, cum sabbatum sacra quiete transegissent, die sequenti, primo mane, cum aromatibus venerunt ad sepulcrum, ut, juxta Judæorum morem, corpus Domini ungerent. Invenerunt autem sepulcrum apertum, et angelum juvenili specie sedentem, qui Christum resurrexisse diceret. — Custodes jam aberant : angeli enim fulgurantis facie perterriti, ad principes aufugerant, quid ageretur nuntiantes. Principes vero obdurati, data pecunia, sicut a Juda proditionem, ita a militibus emerunt mendacium : ut hi scilicet sese ad sepulcrum obdormiisse, et tempore somni sui corpus Christi ab discipulis ablatum esse, in vulgus dictitarent...

Interea Christus apparebat Mariæ Magdalenæ, aliisque mulieribus ; deinde Petro, discipulis euntibus in Emmaus, discipulis decem in cœnaculo, discipulis undecim post dies octo, discipulis septem ad mare Tiberiadis, discipulis in monte Galilææ, quem locum constituerat illis Jesus ; demum in monte Olivarum post quadraginta dies, ubi spectante discipulorum multitudine in cœlum assumptus est...

6° Dominus redivivus cum discipulis suis, non minus quam antea, versatur : *Exsurrexi, et adhuc sum tecum* (Ps. CXXXVIII) ; modo tamen diverso : non jam affixus terræ, sed velut descendens in terram ; non cohabitans cum hominibus, sed eos visitans ; nec visibilis hominibus quibuscumque, sed tantum discipulis suis ; nec visibilis permanenter oculis eorum, sed per intervalla apparens, licet omnia quæ agant cognoscat, et invisibiliter cum ipsis versari non desinat ; demum, non jam ut homo terrenus, sed ut homo plane cœlestis... cujus prin-

cipalis et ordinaria conversatio in cœlis est... Quæ Christi redivivi conversatio in Ascensionem desinit...

III. *Quæ sunt resurrectionis dominicæ consectaria?* — E resurrectione Jesu sequitur, 1° Jesum Nazarenum esse Christum, id est, Dei legatum et verum Filium Dei. Resurrectionem enim suam Dominus ut magnum, utque supremum proposuit suæ divinæ missionis argumentum, adeoque ut ultimum suæ veritatis criterium. Quapropter Apostoli dum Christum prædicant, vix aliud præter resurrectionem ejus in demonstrationem afferunt. *Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum,... quem vos crucifixistis... hunc resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus... Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum* (Act. III, 22 seq.). — Portius Festus Præses, cum Cæsareæ loqueretur regi Agrippæ de Paulo, dicebat, eum virum esse qui *superstitionem* prædicabat *de quodam Jesu, quem Paulus affirmabat vivere* (Act. XXV, 19). — *Si Christus non resurrexerit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra .. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis.* I Cor. XV, 14.

2° Sequitur, religionem Christi esse veram, ita ut hujusmodi ratiocinium sit ineluctabile : Christus resurrexit, ergo vera est religio christiana... ergo omnibus, sub pœna æternæ damnationis servanda est...

3° Sequitur, nos esse similiter resurrecturos. *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit* (I Cor. XV, 13). Hinc necessario fluit istud : Si ergo Christus resurrexit, et nos resurgemus : *Nunc autem Christus resurrexit a mortuis,* PRIMITIÆ DORMIENTIUM (Ibid. 20). — Scilicet Christus est frater noster ; omnes autem fratres ejusdem carnis sunt, carnis nempe ad resurrectionem destinatæ : *Frater et caro nostra est* (Gen. XXXVII, 27). — Christus est caput, nos ejusdem corporis membra ; Rex est, nos populus... quæ omnia renovationem carnis nostræ, adinstar carnis ejus, necessariam esse demonstrant. *Christus est primogenitus ex mortuis... qui reformabit corpus humilitatis nostræ , configuratum corpori claritatis suæ* (Coloss. I, 18 ; Phil. III, 21). — Dummodo sta-

tutas conditiones impleamus, Christum sequamur, et simus boni... Quid si mali fuerimus? *Ecce mysterium vobis dico : omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* I Cor. XV, 51. Cf. cap. illud integrum.

4° Alius effectus resurrectionis dominicæ, triumphus Domini Jesu. — Triumphat de inimicis suis : non quidem eis nocendo... sed eorum obstacula et machinationes superando, imo eadem mirabiliter ad consiliorum suorum impletionem vertendo, quæ consilia cum sua exaltatione conjuncta sunt... — Triumphat splendidissime, sed inchoate tantum, nec dum adæquate... Triumphus adæquatus seu consummatus, in eo consistit, ut universum genus humanum Christum Regem agnoscat et adoret ; quod in præsenti sæculo partim tantum peragitur, in futuro autem, i. e. in die judicii plene perficietur : quando Jesum in majestate venientem omnes videbunt, et in nomine Jesu omne genu flectetur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Phil. II, 10.

5° Jesus triumphat de *morte*... sensu plenissimo intellecta : *Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit* (Præfat. paschal.). — *Ut destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum ; et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Hebr. II, 14.

6° Cum Jesu triumphat causa ejus, puta justitia et veritas, vita et felicitas.—Justitia et veritas de iniquitate triumphat et de errore ; vita et felicitas, de morte, de servitute ac de miseria... *Mors et vita duello conflixere mirando : dux vitæ mortuus regnat vivus* (Sequentia Pasch.). — Hic iterum triumphus est inchoatus tantum, et in decursu sæculorum peragitur ; fere sicut sol ab ortu suo, adversus nebulas luctans procedit, donec tandem in splendore meridiano, velut plene triumphans appareat... Ita causa justitiæ aliquando triumphabit plene, adæquate : in die nempe judicii et æternitatis...

7° Cum Christo triumphant omnes justi, ejus discipuli ; at nondum actu, sed in potentia tantum ac spe : eo scilicet sensu, quod Christus ipsis gratiam promeruit ut triumphent de peccato, de tentationibus, et de persecutionibus iniquorum ; deditque ipsis pignus ac certitudinem triumphi perfe-

cti, in die resurrectionis referendi. *Confidite, ego vici mundum* (Joan. XVI, 33).— *Palam triumphans eos* (principatus adversos) *in semetipso.* Col. II, 15.

8° In Christo resurgente exhibetur exemplar resurrectionis nostræ spiritualis, in gratia. — Resurgere debemus ex corpore mortis, ex sepulcro peccati, — ut vivamus vita sancta, lucida, cœlesti, immortali, conversationem habentes in cœlo. *Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus... Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Rom. VI, 4, 9 seq.). — *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Coloss. III, 1.

9° In Christo exhibetur exemplar resurrectionis nostræ corporalis, in gloria. — *Quum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Col. III, 4. Cf. I Cor. XV, 35 seq.). — *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus* (I Joan. III, 2). — Igitur, quibus dotibus Christus redivivus ornatur, iisdem nos donabimur... Quæ sunt illæ dotes (1)?... Quomodo promerendæ singulæ?...

Conclusio. — *Hæc* ergo *dies quam fecit Dominus: exsultemus et lætemur in ea* (Ps. CXVII). — Omnia nos ad gaudium provocant, ad gaudium sanctum, verissimum, suavissimum... Quam pretiosa spes, quamque firma! *Surrexit Christus, spes mea!... Reposita est hæc spes mea in sinu meo* (Job. XIX, 27; Sequentia Pasch.). — At spes mea ad certam realitatem deducenda est, secundum Apostolorum monita: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* (II Pet. I, 10). — *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram* (Col. III, 5).—*Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* I Cor. XV, 58.

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tom. 2, tract. 19, cap. 3. nn. 182, 225 seqq.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

—

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Marc. XVI, 1-7. Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem

---

Matth. XXVIII, 1-7. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum : erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus : Nolite timere, vos : scio enim quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis : non est hic; surrexit enim, sicut dixit. Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis.

Luc. XXIV, 1-10. Una autem sabbati valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata ; et invenerunt lapidem revolutum a monumento. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Quum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, quum adhuc in Galilæa esset, dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et

sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

—

Explicatio prima.

Festum Paschatis, etsi vulgo idem sonat ac festum Resurrectionis Dominicæ, longe tamen latius quam ad mysterium Resurrectionis recolendum extenditur. — Quid enim *Pascha* est? 1° Judæorum *pascha* seu *phase*, i. e. *transitus*, celebrabatur immolatione agni, in memoriam *transitus* angeli exterminatoris in Ægypto, et subsecutæ liberationis filiorum Israel ex Ægyptiaca servitute, per *transitum* maris rubri. Agnus ille mysteriis plenissimus, vocari poterat *victima liberationis ac transitus ex Ægypto*, et figura erat Christi, pro mundi salute in cruce immolati.

---

crucifigi et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. Et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

Joan. XX, 1, 2, 11, 12. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Jesus; et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.... Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum; et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

2° Pascha Christianorum est immolatio *Agni Dei*, Jesu Christi, non tantum in memoriam, sed in effectum liberationis a servitute peccati, per mare rubrum sanguinis Domini. Ille Agnus Dei, pascha nostrum, Christus, immolatus est semel cruente in Calvario; incruente autem immolatur perenniter in altari Eucharistico, ubi et a fidelibus manducatur. Hac celebratione paschatis *gratiam* recipimus, per quam vel inchoatur, vel magis magisque perficitur noster *transitus* de servitute ad libertatem, de morte ad vitam ac participationem resurrectionis Jesu Christi. Quo sensu Ecclesia cantat : *Pascha nostrum immolatus est Christus : Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi ; qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit.*

Hodiernum Evangelium historiam continet Dominicæ resurrectionis secundum S. Marcum. Quæ quidem historia, præsertim quatenus spectat ad mulieres sepulcrum adeuntes, obscura satis est et intricata. Cujus rei causa est, quod Evangelistæ plurima facta coacervant, quin ea distinguant, aut quin circumstantias, coævis suis passim notissimas, explicent. Nobis autem hujusmodi circumstantias ignorantibus narratio, explicatione destituta, obscurior evasit. Quapropter, ut eam dilucidarent interpretes, varias, nec improbabiles hypotheses protulerunt. Explicatio tamen sequens, utpote simplex et naturalis, visa est præferenda, juxta quam tota rerum series sic ponitur contigisse.

Ipso die mortis Domini, hoc est, feria sexta, vespere, Joanna et quædam aliæ mulieres, cum vidissent *quemadmodum corpus Domini esset positum* in sepulcro, abierunt et *paraverunt aromata*, ut post sabbatum venirent et ungerent Jesum. Luc. XXIII, 55.

Die sabbato, omnes juxta legem Moysis quieverunt.

Post transactum sabbatum, quod more Judæorum finiebatur vespere illius diei, circa horam sextam, qua hora incipiebat dies sequens : statim Judæi adiverunt Pilatum, ut juberet custodiri sepulcrum (Matth. XXVII, 62). — Antequam autem venirent milites custodes, eadem fere hora sexta, venit Magdalena cum duabus sociis, nempe Maria Jacobi et Salome, videre sepulcrum : et statim abeuntes, paraverunt etiam

aromata, ut primo mane venientes ungerent Jesum. Matth. XXVIII, 1 ; Marc. XVI, 1.

Die dominica, circa auroram, Angelus, tremente terra, descendit de cœlo, terruit custodes, et lapidem revolvit a sepulcro vacuo : Dominus jam resurrexerat (1).

I. Eodem fere tempore, ad auroram, cum adhuc crepusculi tenebræ essent ; venit Magdalena ejusque sociæ, dicentes : *Quis revolvet lapidem ?* Cumque mox vidissent lapidem revolutum, territæ sunt et substiterunt. Sola Magdalena, præ amore audacior, progressa est, adivit sepulcrum, angelo sese non manifestante ; et cum abesset corpus Domini, putavit ablatum. Rediit turbata ad socias, dixitque corpus Domini, esse ablatum ; simulque suasit eis ut domum se reciperent, donec ipsa ab Apostolis exquireret ubi corpus Domini esset ; cujus locum ubi cognosceret, se reversuram ad eas, ut illuc simul sua aromata ferrent. Duabus ergo mulieribus domum abeuntibus, Magdalena currit ad Petrum et Joannem, eisque nuntiat Dominum esse ablatum, seque et suas socias nescire ubi sit positus : *Nescimus ubi posuerunt eum*. Joan. XX ; Marc. XVI, 2, 4.

Petrus et Joannes statim cucurrerunt ad monumentum ; ipsaque Magdalena eos paulo post secuta est. Quæ cum prospexisset plorans locum vacuum, ubi fuerat corpus Domini, vidit duos angelos, quos meros homines arbitrata est ; mox autem, cum paululum recessisset, ipsum Jesum prima videt redivivum (Marc. XVI, 9. Joan. XX, 14) ; ab eoque mittitur ut resurrectionem annuntiet discipulis.

II. Altera mulierum turma, Joanna nempe cum sociabus, veniunt etiam valde diluculo, ferentes aromata illa quæ feria sexta paraverant. Ipsæ ab angelis discunt Domini resurrectionem, et nuntium ferunt discipulis. Luc. XXIV, 1-9.

III. Maria Jacobi et Salome, cum domi frustra expectassent Magdalenam, redierunt solæ ad monumentum : et ingressæ, vident angelum sedentem in dextris, a quo, cognita resurrectione, mittuntur ad Apostolos. Territæ autem valde rever-

(1) Giraudeau, *Evangile médité*, tom. 8. — Item Desmedt, *Vita Jesu Christi*. — Cf. etiam Patrizi, *Evang*. t. 2. Dissert. 53.

tuntur ; et in itinere obvium habent Jesum dicentem : *Avete.* Marc. XVI, 2, 5, 8 ; Matth. XXVIII, 9.

Annuntiarunt resurrectionem Apostolis mulieres hoc ordine : 1° Magdalena sola, 2° Joanna cum sociabus ; 3° Maria Jacobi et Salome.

Porro, eadem die Dominica, non solum Magdalenæ, et deinde aliis mulieribus sese Dominus redivivum ostendit, primo mane ; sed etiam, interdiu, apparuit Petro : cujus testimonium Apostolis majorem, quam mulierum relatio, fecit fidem; ita ut vespere redeuntibus ab Emmaus dicerent : *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.*

—

I. *Quomodo sanctæ mulieres veniunt ad sepulcrum.*
II. *Quomodo ibi Domini resurrectionem cognoscunt.*

Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata...

Hæ sunt mulieres piissimæ, quæ, sicut Christo viventi servierant, et de *facultatibus suis ministraverant* (Luc. VIII, 3), ita eum mortuum omni obsequio colere non desinunt.

Si quæratur quasnam hic mulieres Evangelista designet, sic videtur probabilius respondendum (1). *Maria Magdalena* non alia est quam illa quondam peccatrix, cui Dominus peccata remisit, cujus soror Martha, et frater Lazarus, a mortuis suscitatus. — *Salome* erat mater filiorum Zebedæi, Joannis et Jacobi (majoris).

Quod attinet ad illam quæ dicitur *Maria Jacobi,* hæc alibi vocatur *Maria, Jacobi et Joseph mater:* quia revera horum parens erat ; vocatur etiam *Maria Cleophæ*, quia uxor erat *Cleophæ* sive *Alphæi*, quod idem nomen est. — Porro Maria Jacobi, a Joanne (XIX, 25) dicitur *soror Matris Jesu :* non quidem soror germana, sed consanguinea ; quia vir ejus Cleophas erat germanus frater sancti Joseph, sponsi, et probabiliter etiam frater sancti Joachim, patris Mariæ Virginis.

(1) Calmet. - A Lapide — Patrizi, *Evang.* t. 2, dissert. 9, cap. 20, part. I.

Hinc filii Mariæ Cleophæ vocantur *fratres Domini*, i. e. juxta loquendi modum Scripturæ, ejus consobrini. Sunt autem hi quatuor: -1) Joseph; -2) Jacobus (minor), Apostolus, et primus Jerosolymæ episcopus; -3) Simon vel Simeon, Jacobi in episcopatu successor; 4) sanctus Judas, Apostolus, auctor epistolæ canonicæ.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

Unctum fuisse corpus Domini a Joseph ab Arimathæa et Nicodemo, ignorare potuerunt; quod si resciverint, unctionem illam probabiliter imperfectam judicaverint, cum ob instantem diem sabbati, præcipitanter fuisset facta. Quare accuratius Dominum inungere voluerunt, id quod novis involucris facere possent, quin lintea jam circumposita solverent.

Quod dicitur *una sabbatorum*, i. e. prima die sabbatorum, seu hebdomadæ, die nempe Dominica. Mulieres scilicet, pro sua pietate, sabbati quietem servaverant : *Sabbato quidem siluerunt, secundum mandatum*. Luc. XXIII, 55.

Valde mane... orto jam sole. — Probabiliter *sol* pro *luce* ponitur, hoc sensu : *prima luce, in aurora;* quare Joannes dicere potuit : *Quum adhuc tenebræ essent.* — Tam cito properarunt mulieres, tum ex amore erga Jesum, tum ob timorem Judæorum, ne ab eis viderentur.

Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Adeo in parandis aromatibus et pietatis studio occupatæ fuerunt, ut non antea de removendo lapide, quod muliebres vires superabat, cogitaverint. — De militaris custodiæ obstaculo non loquuntur, quam appositam esse ignoraverint : etenim tantum die sabbato, post occasum solis, posita erat.

Respicientes, — attollentes oculos, viderunt revolutum lapidem, qui a longe propter magnitudinem videri poterat.

Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.

Et introeuntes : introire in sepulcrum poterant, cum esset spelunca sat spatiosa, ut plures personas capere posset. — *Viderunt juvenem*, i. e. angelum juvenili specie, ut ex Matthæo patet : *Ecce terræ motus factus est magnus; angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix... Respondens autem angelus dixit mulieribus : Nolite timere vos...*

Lucas et Joannes fuisse angelos duos tradunt : nam Magdalena prospiciens in monumentum, *vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* — Horum probabiliter Matthæus et Marcus unum tantum nominant, illum videlicet qui et mulieribus propior esset, et pro duobus verba faceret. Hunc fuisse Gabrielem, quidam non improbabiliter existimant. — Porro cœlestes illi spiritus non omnibus advenientibus, nec eodem modo sese spectabiles exhibuerunt.

Videntes autem mulieres *obstupuerunt*, i. e. timore simul et miratione correptæ sunt, tum ob visionem angeli, tum ob sepulcri aperti spectaculum. — Advenientibus mulieribus jam aufugerant custodes ; angelus quoque terrificum aspectum in mitem mutaverat, et mulieres benevole alloquens, dixit illis :

Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic : ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis sicut dixit vobis.

Angelus mulieribus et animum et fidem ingerere satagit ; ideo tum secreta revelat, tum sepulcrum vacuum ostendit : Vos, inquit, amicæ Jesu, nolite mei aspectum formidare, qui non ad terrendum vos hic adsum; scio enim vos quærere Jesum quem amatis. Quare nolite timere, imo gaudete : Jesus

enim vester a mortuis surrexit, sicut prædixerat. Quoque facilius credatis, venite, intrate in monumentum, videte illud esse vacuum, et oculis inspicite locum ubi positus erat Dominus. Ite ergo et resurrectionem nuntiate *discipulis et Petro*, nominatim scilicet Petro, ut Apostolorum principi.

Præcedet vos in Galilæam : i. e. præcedere vos decrevit in Galilæam, Apostolorum patriam. Eo enim Apostoli redire cogitabant; porro ibi Dominus sese palam ostendere volebat omnibus discipulis simul congregatis, qui in Judæa difficilius congregari potuissent.

—

Explicatio secunda.

Resurrectionis testimonia refert Evangelium, resurrectionis vero in se spectatæ modum, et circumstantias intimas non revelat; quare partim ex aliis fidei documentis, partim ex piis Doctorum sententiis, silentium Evangelistarum sic suppleri potest.

Post horas circiter octodecim ab initio passionis suæ, Dominus in cruce animam exhalans, descendit ad inferos, i. e. in Limbum, et illico in medio sanctorum Patrum veteris mundi comparuit; atque Adamo, Abrahamo, cæterisque patriarchis et prophetis non tantum ostendit gloriosam animam suam, sed et deitatem ei hypostatice conjunctam : ita ut visionem beatificam eis tribuendo, inferorum domum mutaverit in paradisum. — Die Dominica, circa auroram, cum Patribus egressus ex inferno, venit ad sepulcrum, ibique eis monstravit corpus suum, informe, lividum, cruentum, discissum, etc., pro ipsis; mox vero illud iterum animæ suæ gloriosæ uniendo animavit, vivificavit et glorificavit. Anima enim Christi gloriosa splendorem in corpus suum diffudit, præsertim in quinque plagas, quæ præcipua claritate, *tanquam sidera* emicuerunt.

Surrexit Dominus initio diei Dominicæ, inter mediam noctem et auroram, hora nobis ignota. *Sola nox*, ut Ecclesia cantat, *meruit scire tempus et horam, in qua Christus ab in-*

feris resurrexit. Evasit autem redivivus Christus e monumento clauso, lapidem nimirum ostii sua subtilitate penetrando. Quem lapidem mox angelus removit, simul dispellens custodes, ut mulieribus aditum patefaceret. Tunc Dominus redivivus primum apparuit B. Virgini Matri suæ; deinde Magdalenæ, apud sepulcrum perseveranti, et postea aliis sanctis mulieribus.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome.

1° Beatæ mulieres istæ, quæ primæ, et quidem præ Apostolis, testes esse meruere resurrectionis Domini! Meruerunt autem propter pietatem, qua digne repræsentant illum quem Ecclesia *devotum femineum sexum* appellat, quaque omnibus præbent exemplum.

2° Piæ sane mulieres, quæ sicut Dominum coluere viventem, ita mortuum colere non desistunt. Dum latitant Apostoli, negligunt discipuli, sive timore perculsi, sive ignavia remissi, sive etiam deficiente fide aversi, ac de Christo jam sepulto minus solliciti; solæ mulieres in officio perseverant, labori non parcunt, offensionem non timent...

3° Ostendunt nobis exemplo suo, qua devotione Christum colere debeamus : nimirum obediendo legi, agendo diligenter, perseverando constanter. Nam -1) mulieres sanctæ legem sabbati religiose servarunt. -2) Postridie, primo mane, cum adhuc tenebræ essent, itineri se dediderunt. Hac enim diligentia quæri vult Sapientia incarnata : *Qui mane vigilant ad me, invenient me* (Prov. VIII, 17); et colligendum est manna cœlestium gratiarum præveniendo solem (Sap. XVI, 23). -3) Non deterritæ sunt mulieres propter difficultates occurrentes; sed quamvis non ignorarent sibi non suppetere vires, ut ingentem illum lapidem ab ostio monumenti removerent, prosecutæ tamen sunt iter suum, confidentes in Deum, quod provisurus esset modum et medium ad lapidem removendum. Idque revera contigit. Nam ubi paululum progressæ sunt, viderunt revolutum lapidem, quamvis esset magnus valde; et quidem revolutum manu angeli, idque in præmium fiduciæ, qua semper in rebus obsequii divini procedendum est.

Emerunt aromata.

En pietas ac liberalitas in Dei cultu.—1° Emuntur Domino aromata, quando pecunia (Mammona iniquitatis) in ornandis ecclesiis, vel alendis pauperibus impenditur; e contra, quum facultates fastu et pravis voluptatibus consumuntur, infernali rogo ligna coemuntur.

2° Aromata sunt etiam, præter eleemosynas, oratio, meditatio sacra, et reliqua pietatis officia : quæ suavem odorem Deo et proximo exhalant, — et quibus Christus in anima spiritualiter inungendus est.

Valde mane.

1° En sanctificatio primitiarum diei. — Maximi refert ad christiane vivendum, ut, mane prompte pieque surgendo, diei primitiæ Deo tribuantur : *Consurgit diluculo qui quærit bona* (Prov. XI, 27); qui enim pigre, et minime religiose surgendo, diei exordium dat diabolo, diem tam male inchoatam non transiget Deo.

2° En quoque fervor in pietatis operibus. Mulieres enim nullo tempore intermisso, primam occasionem ungendi Christum arripiunt ; et ubi primum licuit, pietatis officium implent : ut discamus diligentiam et celeritatem in Dei cultu adhibere : *Nescit*, inquit Ambrosius, *tarda molimina Spiritus sancti gratia*. Et Psalmista : *Mane oratio mea præveniet te*. Ps. LXXXVII.

Veniunt ad monumentum.

Monumentum, seu sepulcrum Domini, maxima abscondit mysteria : *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (Isai. XI, 10). Omnis vitæ veræ, spiritualis, ac gloriosæ principium significat.

1° Sepulcrum Domini symbolum est humilitatis, ac mortis mysticæ perfectæ, ex qua vita nova exoritur. Quicumque resurgere vult cum Christo, et in novitate vitæ (primum gratiæ et deinde gloriæ) ambulare : oportet ut cum Christo consepultus, descendat in inferiores partes terræ ; oportet ut illic deponat veterem hominem cum vitiis et concupiscentiis suis...

2° E sepulcri tenebris exoritur sol mundi, *ascendens super occasum*, i. e. sol oriens in Occidente, et nesciens occasum : Christus nempe, et cum eo Ecclesia, e sepulcro surgens, ut splendidus Lucifer, ut vera lux mundi apparet et permanet in ævum. Ideo quoque mane, auroram præveniendo resurgere voluit. — Quapropter, sabbato sancto, Ecclesiæ canticis celebratur ut *Lucifer matutinus, ille Lucifer qui nescit occasum ; ille qui regressus ab inferis, humano generi serenus illuxit.*

3° Sepulcrum apertum est, ut significetur mortem esse devictam, ejus carceres apertos, et inferni claustra sublata, ut mortis captivi evadere possint.

4° Apertum etiam est, ut nos intremus... Sepulcrum enim Christi, non est sedes mortis, luctus, putredinis, horroris ; sed vitæ, lucis, gaudii, cœlestis pulchritudinis et suavitatis : in quam anima ingreditur per humilitatem et omnimodam sui abnegationem.

5° Apertum est ex parte cœli ; ut statum animæ, carni et mundo mortuæ repræsentet.

6° Quam differt monumentum istud a sepulcris regum terræ !... quæ finis gloriæ sunt, et symbolum omnis vanitatis ac miseriæ ; nec non imago animæ peccatricis, quæ merito sepulcrum dealbatum appellatur.

7° Sepulcrum Domini etiam repræsentat altare Eucharisticum, ubi corpus Christi immolatum jacet velut mortuum, speciebus panis vinique involutum... quo accedere debemus primo mane, devotionis aromata ferentes...

Quis revolvet nobis lapidem?...

Lapis iste impedimentum est, quale semper in bono opere perficiendo occurrit, et animi fortitudine, ac fiducia in Deo superandum est.—1° Ubi mulieres primum difficultatem animadvertunt, non propterea redeundum statuunt, sed inter se deliberant, et de difficultate removenda consultant : *Quis*, inquiunt, *revolvet?....* et mox *respicientes viderunt revolutum lapidem :* ut intelligamus, non debere nos a virtutis opere propter impedimenta desistere; impedimenta enim divino adjutorio tolli, si fiduciam servemus.

2° Nulla fere virtus acquirenda, aut conversio perficienda suo lapide caret : vel pravæ consuetudinis, vel tentationis internæ, vel tribulationis ac adversitatis externæ ;... sed omnes hos lapides tollit angelus Domini, de cœlo descendens : i. e. virtus et auxilium Dei ejusque gratia, quæ non tantum facit prava in directa et aspera in vias planas, sed omne removet impedimentum quominus ad Christum perveniamus.

Introeuntes in monumentum.

1° Non tantum accedendum, sed in Domini sepulcrum intrandum est, ut videantur visiones cœlestes,... ut fides, consolatio, gaudium sanctum accipiatur.

2° Introitur autem per Baptismum, i. e. vivendo secundum Baptismum, quo abrenuntiavimus Satanæ, et omnibus operibus, et omnibus pompis ejus : *Consepulti cum Christo per Baptismum in mortem.* Rom. VI, 4.

Viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida.

Sicut Dominum in humilitate natum nuntiaverunt angeli ; ita renascentem in gloria, iidem nuntiantes apparent. Ille præcipuus angelus, de quo Evangelium loquitur, primum descendit de cœlo tanquam bellator, cum potentia formidanda, terram tremore concutiens, lapidem revolvens, custodes fulguranti facie perterrens ; deinde vero specie mutata, juvenili aspectu, sermone blando mulieres excipit et recreat.

Angeli scilicet quum apparent, eam speciem induunt, quæ rei propter quam apparent conveniat. Hic ergo cœlestis resurrectionis nuntius Christum redivivum repræsentat, gloriæ dotibus ornatum, terribilem improbis, suavissimum justis. Quod quidem clarius, si rem per partes consideraverimus, perspicietur.

Angeli aspectus est sicut fulgur : 1° fulgur, quatenus fulgidissimum, potentissimum, subtilissimum et agillimum, quatuor dotes gloriosi corporis, tam Christi quam Beatorum, repræsentat : claritatem, impassibilitatem, subtilitatem et agilitatem.

2° Hæc tamen non unica causa est, cur angelus appareat ut fulgur : nam et fulgur naturæ ac dotibus angelorum congruit, quos vidit Ezechiel euntes *in similitudinem fulguris coruscantis* (Ezech. I, 14), et Psalmista vocat *flammam ignis.* Ps. CIII.

3° Fulgur, symbolum zeli, vindictæ cœlestis et gehennalis ignis, apposite producitur oculis impiorum custodum. Quod si angelus, solo vultu fulgureo intuens eos adeo perculit, ut essent velut mortui ; quid, si manus in eos injecisset, suumque robur exercuisset? Nam unus angelus hac ratione occidit una nocte, centum octoginta quinque millia militum in castris Sennacherib (Isai. XXXVII, 36). Quid, cum ipse Christus in die judicii, angelorum millibus stipatus, aspiciet impios, eos alloquetur, damnabit, vindictæ tradet?...

Angelus sanctis mulieribus apparet ut juvenis : 1° ut repræsentet gloriosam juventutem Christi Domini, ejus pulchritudinem, vivacitatem, immortalitatem, agilitatem, potentiam...

2° Quia juventus angelorum naturæ et ministerio congruit, significatque eorum vigorem, decorem, et in obediendo Regi suo Christo, militarem quamdam alacritatem et promptitudinem.

Angelus apparet indutus veste candida et fulgenti : 1° ut significet gaudium et gloriam resurrectionis Christi, et præsertim dotem claritatis. *Stola candida,* ait Gregorius, *coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia annuntiavit.*

2° Ut repræsentet puritatem, innocentiam et castitatem angelorum, quam nos, cum Christo resurgentes, imitari debemus. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Eccl. IX, 8.

Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum.

Ratio cur pavere non debeant, est quod Jesum quærunt crucifixum. — 1° Quicumque quærunt recto corde Dominum Jesum, eumque crucifixum pro nobis, nihil trepident ; cum angelos habeant defensores...

2° Illi autem qui Jesum vel non quærunt, vel quærunt crucifigendum, vel eum in sepulcro retinere contendunt : illi timeant fulgura et vindictam Dei.

Surrexit, non est hic.

Christus redivivus non manet in sede mortis, nec linteis ligatus, nec in subterraneo et obscuro specu... non manet vivens cum mortuis... ut intelligamus, quomodo nos cum Christo spiritualiter resurgentes, ex pristina, terrena, corrupta vita egredi debeamus... Ita ut de nobis, respectu pravorum habituum, sociorum, etc., dici possit : *Surrexit, non est hic.* Quare Apostolus monet : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Coloss. III, 1.

En fructus et effectus Dominicæ resurrectionis in anima : qui fructus non tantum velut in figura indicatur, sed per merita Domini ac virtutem resurrectionis ejus, nobis communicatur : qui *resurrexit propter justificationem nostram.* Rom. IV, 25.

Ite, dicite discipulis ejus et Petro.

1° Cum aliis scilicet, gaudium vestrum et fidem resurrectionis communicate. — Qui vere cum Christo resurrexerunt, alios bonæ vitæ exemplo illuminant et ædificant.

2° *Et Petro.* Non tantum quia Apostolorum princeps existit, Petrus nominatim designatur; sed etiam, ut post peccatum pœnitens et lugens, peculiari amicitiæ testimonio recreetur. En vis et efficacia veræ pœnitentiæ, per quam non solum pristina, sed nova ac speciali Dei benevolentia peccator dignus evadit. Ideo quoque Christus Petro seorsim apparuit, ipso resurrectionis die : *Apparuit Simoni.* Luc. XXIV, 34.

Præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis.

En promissio cœli (1), et futuri nostri cum Domino consortii, cum Domino, inquam, *primogenito ex mortuis* (Coloss. I, 18). Præcedit nos in æternam patriam, quo nos tendere

(1) *Adjumenta* Argum. 50.

debemus, et ubi eum videbimus sicuti est, facie ad faciem. Nunc autem interim, in fide ambulantes et non in specie, per speculum et in ænigmate eum contemplamur; quum autem Christus apparuerit, vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria (Coloss. III, 4), et similes ei erimus : quoniam *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*. Phil. III, 21.

DOMINICA IN ALBIS.

Joan. XX, 19-31. Quum sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit ; et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt. — Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus ; et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide

---

Luc. XXIV, 36-43. Dum hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte : quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et quum hoc

manus meas; et affer manum tuam et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

—

Explicatio prima.

Hodierna Dominica, quæ prima est post solemnitatem Paschatis, vocatur *Quasi modo*, ab initio Introitus missæ; vel *In albis*, ob vestes albas quas olim neophyti recens baptizati, tunc deponere solebant.

Dominica hæc solemnis est, dies Octava Paschatis, qua quidem festa paschalia, et solemnis *Octava Paschatis*, non vero *tempus paschale* concluditur. Tempus enim paschale veluti continuata festivitas, vitam gloriosam Domini in terris, et jucundam Paracleti missionem de cœlis complectens, usque ad Dominicam post Pentecosten, quæ est Dominica SS. Trinitatis, extenditur.—Dominus scilicet redivivus, per quadraginta dies, cum discipulis gaudentibus, velut *sponsus cum filiis sponsi* conversatus, beato illo tempore mysticas nuptias cum Ecclesia sua celebravit; eamque ad promissum Spiritum sanctum recipiendum disposuit : quo Spiritu in die Pentecostes misso, nuptiæ divinæ consummatæ sunt. Idcirco Ecclesia tempus paschale lætabunda sanctificat, juxta mentem divini

---

dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et quum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

Sponsi, qui dixit : *Numquid possunt filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus?* Matth. IX, 15.

Evangelium duplicem apparitionem continet, qua Dominus sese Apostolis suis congregatis ostendit, primum die resurrectionis, absente Thoma; deinde post octo dies, Thoma præsente.

I. *Apparitio Domini decem Apostolis, absente Thoma.*
II. *Potestatis ad remittenda peccata collatio.*
III. *Altera apparitio Domini, præsente Thoma.*

Cum sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus...

Eadem die, scilicet prima die hebdomadæ, sive Dominica resurrectionis, Christus discipulis congregatis apparuit; quæ apparitio illius diei jam sexta erat : ut scilicet omni modo resurrectionem suam probando, mœstos filios suos quam primum consolaretur.—Hæc autem apparitio, ut communius tenetur, eadem est quam refert Lucas, XXIV, 36.

Cum sero esset, i. e. sub noctem, quum discipuli duo ab Emmaus reversi, de apparitione quam ipsi viderant loquerentur. — Ideo autem Dominus sero venit, ut discipulos inveniret congregatos, et aliorum testimoniis jam ad credendum dispositos.

Et fores essent clausæ. — Ad declarandam futuri miraculi magnitudinem pertinet, quod per januas clausas Christus ad discipulos penetraverit, sicut e sepulcro nondum aperto evaserat. — At vero, quærat quispiam, cur non potius januis apertis ingressus est? Sic enim melius probasset quod probare volebat, nimirum verum sibi corpus esse; cum ipsum fores penetrare proprium sit, non corporis sed spiritus. Resp. Præter alias hujus rei causas, ita egit quia probare volebat, non tantum sibi corpus esse *verum*, sed etiam *glorificatum*, simulque Apostolorum mentes ad sensus spirituales erigere.

Ubi erant discipuli congregati.—Locus ubi congregati erant, fuisse Cœnaculum, communiter traditur. — Porro nomine

discipulorum, inquit Toletus, non solum Apostoli, sed etiam alii, addicti Christo, significantur. Quod quidem ex Lucæ cap. ultimo colligitur : nam illi duo revertentes ex Emmaus, dicuntur invenisse *undecim, et qui cum illis erant;* atque adhuc aderant ipsi quando Dominus venit : *Dum hæc loquuntur, stetit Jesus in medio.*

Et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis.

Verbum illud *stetit* hanc habet vim, ut indicet, non apertis foribus, nulloque dato sui ingressus indicio, subitum atque improvisum in medio constitisse Jesum ; *in medio*, quo melius ab omnibus conspiceretur, seque illis ostenderet. Dixit autem :

Pax vobis! — Hebræorum hæc usitata est salutatio, qua iis quos salutant *omne bonum* apprecantur ; a Domino tamen ita adhibetur, ut maxime sit circumstantiis accommodata. Nam 1° Apostoli timore turbati, tristitia ob mortem Domini, et incertitudine circa resurrectionem commoti erant ; ideo Dominus eorum animos confirmat, dicendo : *Pax vobis.*

2° Ante mortem dixerat : *Pacem meam do vobis;* nunc iterum dando pacem, ex consueto quasi sermone, melius quis sit agnoscetur.

Et cum hoc dixisset ostendit eis manus et latus.

Cum dixisset *pax vobis,* ostendit Dominus vulneratas suas manus, et latus, et, ut Lucas addit, etiam *pedes.* — Exhibet eis vestigia passionis suæ, ut non alium se quam Jesus esse demonstraret ; nec alio, quam quod cruci affixum fuerat, corpore surrexisse. Quapropter, juxta Lucam, antequam manus et pedes ostenderet, dixit : *Ego sum, nolite timere.* Timebant enim et dubitabant, saltem plures ex eis. Cum nempe subito, serotino tempore, januis non apertis, adstare viderent hominem quem sciebant mortuum, territi sunt, existimantes spiritum humana specie sibi apparere. Quibus Dominus dixit : *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum ; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Hinc patet, 1° Dominum in corpore suo redivivo cicatrices, imo foramina vulnerum suorum retinuisse : quod quidem altissimo consilio factum credendum est : — 2° corpus ejus redivivum, fuisse simul subtile vel palpabile, visibile vel invisibile, pro Domini voluntate ; quod idem omnibus Beatis post resurrectionem continget. — Ad claritatem quod attinet, cujus exiguum specimen in monte Thabor discipuli sustinere non potuerant ; hanc quoque dotem Dominus redivivus velavit, vel ita temperavit, ut nimio splendore discipulorum oculos non perstringeret, nec attentam considerationem impediret.

Discipulos suis manibus, ut sibi certam fidem facerent, Christi vulnera reipsa contrectasse, licet Scriptura non expressum, probabilius tamen affirmatur ; idque non obscure significare videtur Joannes, quum dicit : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ : et vita manifestata est, et vidimus et testamur.* I Joan. I, 1 (1).

Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

Non statim quidem viso, cum primum turbati sint, putantes se spiritum videre; sed deinde, plene *viso Domino*, i. e. manuum contrectatione cognito, *gavisi sunt.* — Gaudii causa si quæratur, discipuli gavisi sunt, tum ratione Christi, tum ratione sui : id est, 1° quia Christum de morte ob quam tantopere erant tristati, ad vitam resurrexisse videbant ; 2° quia ab eo omnia bona promissa jam certo sibi danda sperabant.

(1) Hic interpretes nonnulli quæstionem tractant, quæ, licet coram populo proponenda non sit, utilitate tamen ad privatam ædificationem non caret. Quærunt enim, an gloriosum Domini corpus quopiam, vel quali indumento tegeretur, cum latus suum videndum et tangendum præberet? Probabilius respondetur, Dominum redivivum fere ut antea vestitum apparuisse, quo melius eum discipuli agnoscerent ; latus autem ut videri posset denudasse. Non tamen eodem semper habitu visus est : nam Magdalenæ ut hortulanus, discipulis Emmaus ut peregrinus apparuit. Similiter vestitus ascendit in cœlum, quousque visus est a discipulis et nube absconditus. Tunc autem dote claritatis pollens, non veste, sed gloria indutus est instar Dei, qui *amictus* est *lumine sicut vestimento.* Ps. CII.

Dixit ergo eis iterum : Pax vobis!

Pacem iterat, 1° ut abundantius ea fruantur ; 2° ut magis ejus pretium cognoscant ; 3° ut intelligant pacem perfectam, seu omnia bona, sibi a Christo proventura ; ideoque tanquam primitias, statim adjungit donum aliquod excellentissimum, nempe potestatem remittendi peccata ; 4° ut intelligant pacem fundari in remissione peccatorum, et conscientia pura.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

His verbis tradit Apostolis generale quoddam officium, generalem potestatem, communicando ipsis missionem similem missioni suæ. Illam similitudinem exprimit particula *sicut*, qua Apostolos quodammodo sibi æquat et pares efficit, scilicet proportionaliter, ut suos successores et vicarios.

Porro similitudo quæ particula *sicut* continetur, est multiplex. — 1° Similitudo in missionis principio, quasi diceret Dominus : Sicut Deus Pater misit me, ita ego Deus Filius, eadem divina auctoritate pollens mitto vos : *data est* enim *mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (1). Matth. XXVIII, 18.

2° Similitudo in ipsa missione, seu in auctoritate et officio ; quasi diceret : qua potestate me Pater instruxit ad instituendam et regendam Ecclesiam ; eadem vos instruo, ut sitis ejus custodes, doctores, rectores et sanctificatores, sicut ego sum. Quare in particulari, vobis trado potestatem remittendi peccata, quam ego habeo. — *Nota.* In hac tamen similitudine potestatis, ea dissimilitudo est, quæ inter principem et delegatum, proprium magistratum et vicarium ejus esse solet ; quare Apostolus scribit : *Pro Christo* (non pro nobis ipsis) *legatione fungimur.* II Cor. V, 20.

3° Similitudo in missionis fine : mittuntur sicut Christus Apostoli, ad animarum salutem in universo mundo procurandam.

4° In missionis modo et mediis : Apostoli sicut Christus animas salvare debent verbo, exemplo, miraculis, ora-

(1) Cf. Tom. II, Evang. *Domin. SS. Trinitatis.*

tione, charitate, laboribus et tribulationibus multis : sicut Agnus Dei peccata mundi sustulit, ita et ipsi ad peccata mundi tollenda, mittuntur tanquam agni inter lupos...

Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum....

Duplex hic quæstio occurrit : de Spiritu qui datus dicitur, et de insufflatione rituque quo datus est. — 1° Spiritus sanctus a Domino hic communicatus, non est Spiritus sancti plenitudo, quæ *missione* visibili in die Pentecostes erat effundenda ; sed est peculiare Spiritus sancti donum seu charisma, nempe potestas remittendi peccata : quæ potestas, utpote opus sanctificationis, Spiritui sancto appropriatur, sicut Patri potentia, et Filio sapientia ac sapientiæ opera tribuuntur. — Cum hoc *charismate* conjuncta quoque erat *gratia gratum faciens*, non secus ac in sacramento Ordinis, una cum charactere eadem gratia datur.

2° Cur Dominus insufflavit? R. -1) Ut imaginem quamdam exhiberet sacramentorum Ecclesiæ suæ, quibus signo seu ritu visibili spiritualia dona conferuntur. -2) Ut significaret naturam et processionem Spiritus sancti, qui veluti Patris et Filii flatus ac spiratio est. -3) Ut ostenderet eumdem se, qui primitus Adæ inspiraverat spiraculum vitæ naturalis, nunc spiritum vitæ supernaturalis communicare. -4) Ut intelligant Apostoli, debere se in remittendis peccatis, copioso spiritu zeli, charitatis, etc. esse animatos, ut peccatoribus veram pœnitentiam inspirent.

Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.

His verbis continetur potestas remittendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, prout Concilium Trid. adversus Protestantes definivit, Sess. 14 can. 3 (1). — Recte quoque ex hoc loco infert Cyprianus, potestatem remittendi peccata in

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tom. 2, tract. 14. — Item. *Adjumenta*, Argum. 25.

sola esse Ecclesia catholica, in qua sola Spiritus sanctus dari potest.

Quæritur autem quandonam Thomæ, qui tunc aberat, potestas peccata remittendi collata sit? — Juxta S. Cyrillum, eam simul cum aliis, etsi absens recepit. Quæ quidem sententia non improbabilis est ; at, inquit Toletus, quia potestas hæc data est cum sanctificatione et insufflatione, quæ absenti Thomæ non fuit communicata ; probabilius videtur dicere datam fuisse, quando videns Dominum credidit. Non enim omnia ab Evangelistis scripta sunt.

Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum.

Thomas, quod nomen hebraicum græce vertitur *Didymus*, et latine *geminus*, *anceps*, *dubius*, tunc aberat. Paulo tamen ante, ut Maldonatus cum Augustino censet, adfuerat inter undecim, cum nempe advenirent duo redeuntes ab Emmaus, et narrarent se Dominum vidisse. Mox autem, antequam illi de apparitione loqui desiissent, eo quod Thomas incredulus ea audire fastidiret quæ velut deliramenta respuebat, e fratrum cœtu discesserat.

Cum autem rediisset, eadem ut videtur nocte, audivit discipulos adhuc congregatos dicentes sibi : *Vidimus Dominum ;* quæ verba substantiam quidem, non vero integritatem sermonis eorum referre censenda sunt. Verisimile enim est, pluribus eos verbis enarrasse, non solum vidisse se Dominum, sed cum eo etiam collocutos, cum eo edisse et bibisse, ejusque vulnera manibus suis contrectasse. Hinc ergo Thomam occasionem sumpsisse credendum est, ea dicendi quæ sequuntur.

Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Non negat Thomas visum esse Dominum a discipulis ; sed tantum inficiatur, eum in proprio corpore redivivum adfuisse. Spiritum Christi phantastico corpore apparuisse affirmat ; discipulosque falli, putantes se vulnera tetigisse, cum solum tetigerint vulnerum similitudinem ; addit, se profecto prudentiorem fore, neque oculis, neque manibus crediturum, nisi ipsa quoque plagarum mensura respondeat.

Peccavit hic Thomas. -1) incredulitate, qua testimonio sufficienti acquiescere noluit : propter quod postea a Domino reprehenditur... -2) Præterea peccavit pertinacia ; -3) superbia ; -4) præsumptione, quia non aliter voluit credere, nisi manum et digitos in Christi vulnera inferret, atque ita quasi legem Christo præscripsit ; -5) obstinatione, qua in hac incredulitate perstitit per octo dies. — Hanc autem sui discipuli incredulitatem Dominus misericorditer permisit, ut nobis resurrectionis fidem faciliorem ac firmiorem efficeret.

Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus ; et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis.

Post dies octo, id est, in octava Paschæ, Dominica in Albis, iterum Dominus discipulis apparuit, præsente Thoma. — Quærit Maldonatus cum Chrysostomo, Theophylacto et aliis, quare post dies octo, et non antea Dominus venerit ? — R. 1° Ut Thomas interim audiendo fratres suos, et corde recogitando melius disponeretur.

2° Forsitan etiam, quia non antea discipuli omnes congregabantur : *Iterum erant discipuli ejus intus.*

3° Quia hæc dies erat octava resurrectionis, quam nova apparitione sanctificare volebat. — Unde Cyrillus notat, Apostolos jam tunc cœpisse die Dominica conventus ecclesiasticos

agere, et diem Dominicam quasi consecrare, eo quod illa die Dominus resurrexisset ; atque ipsum Christum tunc apparendo in medio conventus eorum in Cœnaculo, illum morem approbasse, et Dominicam diem sabbato substituendam esse suaviter insinuasse.

Et Thomas cum eis. — Hanc occasionem exspectavit Dominus, ut maxima omnium ædificatione, incredulo discipulo non tantum videndum sese, sed et palpandum præberet ; sicque mirabili dignatione, errantem illam ovem ad gregem reduceret.

Venit Jesus.—Quod iisdem prorsus ac antea circumstantiis Dominus venerit, hæc videtur esse causa, quia volebat Thomæ conditiones quas ipse ut crederet postulaverat, summa benignitate præstare. Thomas enim se crediturum negaverat, nisi Dominum januis clausis ingressum, non tantum videret, sed vulnera ejus contrectando, palparet.

Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas ; et affer manum tuam et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis.

1° Non erat opus Christo iterum apparere ut Thomæ suam persuaderet resurrectionem, multoque minus se ei exhibere palpandum ; cum sola voluntate sua incredulum animum illuminare et convertere posset. At propter nostram instructionem Dominus id fecit : ut suam nobis bonitatem manifestaret, nostramque non minus quam Thomæ fidem confirmaret.

2° De industria iisdem verbis, quibus Thomas usus fuerat, Dominus utitur : -1) ut demonstret sese, cum hæc dicta sunt, invisibiliter præsentem fuisse, et sic efficacius reluctantem animum disponat ac vincat. -2) Ut tanta bonitate, quasi unctione quadam suavissima, Thomam flectat et moveat. -3) Ut eum sic tacite et suaviter reprehendat.

3° Quod dicit : Infer digitum *et vide*, hoc est, tange, experire, atque ita indubitanter cognosce.—Jam vero Thomam re ipsa Domini vulnera explorasse, etsi Evangelista id non declaret communis sententia est. Et sane, præter alias rationes

verosimile videtur, Christum voluisse ut sua vulnera, etiamsi se jam credere diceret, Thomas contrectaret, neque ullam dubitationis fibram retineret.

4° Quod addit : *Noli esse incredulus, sed fidelis:* non tantum legitima conclusio et adhortatio est ; sed etiam Thomæ incredulitatem voluntariam esse ostendit, quasi diceret : Incredulus fuisti hactenus, quia voluisti. Habebas namque unde credere posses ; sed noluisti : at modo noli esse incredulus, quando argumenta habes quæ tu ipse petisti (Toletus).

Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus !

Respondet, postquam tetigit Thomas : Tu es, o Christe, *Dominus meus et Deus meus*. Non dicit : credo, Domine, te vere Jesum esse, teque a mortuis surrexisse ; sed respondet, quod majus est : *Dominus meus et Deus meus:* hominem scilicet videns, Deum credit. Agnita enim veritate resurrectionis, simul confirmata videt quæcumque Christus docuit, præsertim de divinitate sua ; quare viva fide divinitatem ejus confitetur, dicens : *Dominus meus et Deus meus !* Tanto clariorem edens fidei confessionem, tanto gravius testimonium, quanto magis fuerat incredulus.

Dixit ei Jesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt.

Beatos prædicat eos qui non sicut Thomas corporeis oculis viderunt, et tamen crediderunt : quia, ut ait S. Gregorius Magnus, *ibi fides majus habet meritum, ubi humana ratio non præbet experimentum.* — Dicit *crediderunt*, per præteritum loquens de futuro, eos respiciens, qui per Apostolorum verbum usque ad finem mundi essent credituri.

Postquam citavit verba, quibus Dominus beatos pronuntiat credentes, ipse Evangelista hæc subjungit, quibus veluti hortatur nos ad credendum : *Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est*

Christus Filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

Explicatio secunda.

Nota. Tota quidem Domini vita lux mundi est, et exemplum omnibus hominibus propositum; peculiari tamen modo vita ejus laboriosa et dolorosa ad illas animas pertinet, quæ in via purgativa et illuminativa versantur : i. e. quæ in vitandis peccatis, domandis passionibus, et christianis virtutibus acquirendis adhuc laborare debent. — Similiter vita Christi gloriosa ad eas peculiarius animas spectat, quæ ad viam unitivam pervenerunt : i. e. quæ in habitu christianarum virtutum jam firmatæ, et a passionibus veteris hominis moraliter jam expeditæ, per integram sui immolationem Deo soli vivere contendunt.

Etenim 1° Christi resurgentis nova vita repræsentat vitam animæ justæ ac sanctæ, prout innuit Paulus, dicens : *Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Coloss. III, 3.

2° Christi redivivi apparitiones repræsentant spirituales in anima visitationes, id est, speciales operationes, quibus Spiritus sanctus animam excellentiore quodam modo consolatur, illuminat, roborat et inflammat.

Cum sero esset die illo.

Cur Dominus hanc Apostolorum visitationem usque ad horam vespertinam distulit? 1° — Ut eos qui ad credendum tardiores erant, per aliorum testimonium sensim disponeret.

2° Ut eorum qui melius erant dispositi, desiderium augeret, probaretque patientiam et fiduciam.

3° Ut doceret nos, spem et fiduciam ob dilationes non esse deponendam.

4° Ut intelligamus Domino familiare esse, omni tempore, et inopinato suos consolari et visitare, nostrumque non esse

cognoscere tempora et momenta. Quare, *si moram fecerit,* ait propheta, *exspecta illum : quia veniens veniet et non tardabit.* Habac. II, 3.

Cum fores essent clausæ.

1° Cœnaculum clausum repræsentat, tum Ecclesiam catholicam, ex qua Judæi et Hæretici excluduntur; tum animam sanctam, vitiis et mundi vanitatibus clausam, quam Dominus visitare et pace sua replere dignatur.

2° Christus januis clausis intrare voluit, non tantum, -1) ut corporis gloriosi subtilitatem demonstraret ; sed præterea -2) ut ostenderet se, tanquam Dominum, posse animam a se creatam ingredi, visitare ac mutare pro libitu suo, quin omnes inferni portæ ejus efficaci voluntati possint resistere ; -3) ut intelligamus, necesse nobis esse portas sensuum custodire, si a Domino visitari exoptamus.

Stetit in medio.

1° En dies Dominica (1), velut in sua originè celebrata, ejusque sanctificatio viva quadam ac sensibili imagine expressa : est enim prima dies hebdomadæ, et discipulorum conventus, et Jesus in medio, dans pacem et ostendens vulnera sua...

2° En vis unionis et concordiæ : hæc enim Jesum allicit ut stet in medio, instar solis, coadunata corda illustrans, etc. Quod alioquin expresse dixit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio illorum.* Matth. XVIII, 20.

3° En amabilissima erga suos discipulos Domini bonitas, qua eos visitat et lætificat : quamvis tempore passionis fuerit ab omnibus derelictus.

Et dixit eis : Pax vobis.

1° Dominus in medio discipulorum apparens, tria verba protulit, quæ sunt effectus et signa boni spiritus : -1) *Pax vobis ;* est enim Deus pacis. -2) *Ego sum,* non alius ; *ego* idem ille qui antea eram, vester magister, amicus, frater et pro-

(1) *Adjumenta,* Argum. 35.

tector. Pronuntiavit autem hoc verbum voce suavissima ac sibi propria, ex qua ovibus omni certitudine verus pastor innotuit. — Non sic inimicis suis dixit *ego sum*, in horto Oliveti. —3) *Nolite timere :* quasi diceret : Etsi invadit vos timor, ne tamen illum admiseritis; nam præsente me in medio vestrum, ab omnibus periculis tuti estis.

Pax vobis, i. e. pacem, quam passione mea et morte jam promerui vobis annuntio et communico. — Præcipuus scilicet scopus adventus Christi in hunc mundum, fuit dandi hominibus pacem; ideo nascens per angelos proclamat : *Pax hominibus bonæ voluntatis ;* mittensque discipulos, vult eos evangelizare pacem, et primum dicere : *Pax huic domui;* rediens autem post resurrectionem ad suos, primum dicit : *Pax vobis.* — Porro pax quam Dominus suis fidelibus largitur, omnino differt a pace mundi, estque varia, et præsertim triplex : -1) pax cum Deo, consistens in amicitia Dei; -2) pax cum proximo, consistens in charitate et condonatione injuriarum; -3) pax nobiscum ipsis, consistens in subjectione carnis omniumque passionum erga spiritum.

3° *Pax vobis :* etsi Dominus fuerit a discipulis in passione derelictus, maxima tamen benevolentia ad eos venit, non aspera verba sed pacifica afferens.

Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus.

1° Dando pacem ostendit vulnera, ut significet relationem inter pacem et sua vulnera existentem; utque intelligamus, per passionem ejus pacem nobis cunctaque bona esse promerita; et nos, ut pacem gustemus, eamque aliis tribuamus, debere Dominicam patientiam imitari, ejusque mortificationem ac stigmata in corpore nostro portare.

2° Cur stigmata in suo glorioso corpore conservare voluit? R. -1) Ut essent veræ resurrectionis, suique identitatis argumentum. -2) Ut essent signa honorifica : sicut victori gloriæ sunt cicatrices vulnerum, quæ pro patria accepit. -3) Ut glorificando sua vulnera, gloriam crucis et patientiæ nos doceret. -4) Ut animaret nos ad similiter stigmata morti-

ficationis in corpore nostro ferenda. -5) Ut ea Patri cœlesti pro nobis ostenderet. -6) Ut ea ostenderet nobis, tanquam principium gloriæ, tum suæ, tum etiam nostræ : *Hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (Luc. XXIV, 26). -7) Ut ea pro nobis accepta ostenderet justis, ad eos fervore inflammandos ; et peccatoribus, ad eos convertendos. Vulnera enim illa loquuntur, et dicunt quid pertulerit Dominus, ut retrahantur manus nostræ ab operibus pravis, pedes nostri a laqueis mortis, utque cor nostrum salutari dolore compungatur... -8) Ut essent omnibus refugium misericordiæ a facie inimici. -9) Ut essent omnibus fontes gratiarum : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (Isai. XII, 3). — 10) Ut ea ostenderet in die judicii, ad confundendos peccatores.

Gavisi sunt discipuli viso Domino.

En principium gaudii : videre Dominum, ad eum viva fide respicere, ejusque recordari : *Renuit consolari anima mea : memor fui Dei et delectatus sum.* Ps. LXXVI.

Dixit eis iterum : Pax vobis.

Dominus bis pacem dat discipulis : et primo quidem in ipso suo ingressu eam apprecatus est, ut eorum animos pacando, ad mysterium suæ resurrectionis cognoscendum disponeret : *Beati pacifici, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Pacem apprecatur iterum, quia melius adhuc disponendi erant, ad munus pacificationis et reconciliationis evangelicæ accipiendum et obeundum.

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

1° En apostolica, seu sacerdotalis dignitas, simul et onus. -1) Magna dignitas : nam constituuntur viri apostolici in Christi loco, ut ejus legati et successores, ut *alteri Christi* ad animas salvandas. -2) Magnum onus, nam illam missionem eadem ac Christus via implere debent, via sanctitatis, laboris, abnegationis et patientiæ. Non enim mittuntur ad quiescendum, etc.

2° Aliquo modo omnes fideles mittuntur sicut Christus missus est : ut nempe per viam crucis ad resurrectionis gloriam perveniant.

3° *Ego mitto vos :* magna fiducia replebitur quicumque cogitabit a quo mittatur....

Insufflavit.

1° Dominus non tantum Apostolis munus demandat, sed simul potestatem ac robur communicat, ut munere rite fungi possint. Robur illud Spiritus sancti donum est.

2° Flamen oris Domini significat zelum, quo ministri sacri spiritum pœnitentiæ, etc., peccatoribus afflare debent.

Accipite Spiritum sanctum.

Non dicit, accipite aurum et argentum, aut quælibet terrena dona; sed, accipite spirituale donum, quod incorruptibile, æternum, ac solum vere bonum est.

Quorum remiseritis.

En potestas divinissima, amplissima... en institutio sacramenti Pœnitentiæ... His verbis quoque confessionis sacramentalis necessitas, — utilitas, — frequentatio, — conditiones continentur.

Thomas non erat cum eis.

Quia abfuit Thomas a consortio fratrum, ideo tam beneficia apparitione Domini caruit, et in miseram incredulitatem devenit; postea vero, quia in pio Apostolorum cœtu præsens fuit, Dominum videre meruit : ut discamus piorum consortium esse diligenter retinendum, Ecclesiæ cœtus frequentandos, etc.

Nisi videro... non credam. — Infer digitum tuum huc, et vide...

Varii in Thoma manifestantur defectus, in Christo autem virtutes amabilisimæ. — Defectus Thomæ sunt, præ-

ter segregationem et singularitatem, incredulitas, pertinacia, præsumptio, et obstinatio ac durities; — Christi vero virtutes : charitas, ad ovem perditam reducendam; comitas et affabilitas, qua Thomam est allocutus, non dure eum increpando, sed ejus imbecillitati suaviter sese accommodando : vere *apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Tit. III, 4.

Noli esse incredulus, sed fidelis.

Post tot argumenta, quibus fidei nostræ veritates demonstratæ sunt nimis, et non minus quam Thomæ, palpabiles et evidentes factæ sunt nobis; ad unumquemque nostrum quoque Dominus dicit : *Noli esse incredulus, sed fidelis.* — Quanta sunt mala incredulitatis !... Quanta bona docilis fidei !...

Dominus meus et Deus meus !

Præclara et exemplaris Thomæ fidei confessio : non tantum credit, sed fidem profitetur; — non tantum credit, sed amat; — credit fide vividissima, hominem hunc esse Deum suum ac Dominum : *Deum suum*, et omne bonum; *Dominum suum* ac Regem, cui soli servire ac totum se devovere intendit.

Beati qui non viderunt, et crediderunt.

Ad nos hæc beatitudo pertinet... Utinam fidei pretium intelligamus ! Utinam fide illa vivida, qua credidit Thomas videns, nos qui non vidimus credamus ! — Tunc utique vere beati, et quidem jam in hac vita : quia *conversatio nostra erit in cœlis*, — et *Christus* per fidem habitabit *in cordibus nostris.* Phil. III, 20; Eph. III, 17.

—

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

—

Joan. X, 11-16. Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.

—

Explicatio prima.

Dominica secunda post Pascha, *Dominica boni Pastoris* appellari solet, propter Evangelium, Dominum exhibens ut bonum Pastorem, qui animam suam ponit pro ovibus suis. Omnia autem, non tantum in Evangelio, sed in tota Missa diei, mansuetudinem Christi spirant; quam de cætero mansuetudinem, benignitatem ac suavitatem Dominus post resurrectionem suam, modo magis sensibili, dilectissimis suis discipulis toto tempore manifestavit.

I. *Pastor bonus non deserit oves ut mercenarius.*
II. *Sed eas servat dando vitam pro eis.*

Dominus sese ut bonum pastorem describit mercenario oppositum. Cum enim Pharisæi, qui veluti Synagogæ duces erant, Christo adversarentur, et populum ab ipso qui verus Dux et Pastor Israelis existebat, arcerent; Dominus verum rerum statum aperit, ostendendo Pharisaicos doctores esse, respectu ovium domus Israel, falsos pastores, id est, fures, et cupidos mercenarios; se autem esse verum et magnum Pastorem, non tantum domus Israel, sed etiam Gentilium: adeo ut ex utrisque unum ovile congregaturus sit. — Hunc Dominus sermonem habuit Jerosolymæ prope templum, occasione sanationis cæci nati, ineunte Octobri, anno prædicationis suæ tertio.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (1).

Sensus est : Ego sum Pastor verus et perfectus, et quidem singularis, unicus, Pastor nempe per excellentiam, (*le bon Pasteur, le type du pasteur parfait*) ; Pastor ille promissus a Prophetis : *Suscitabo super eas* (oves meas), *pastorem unum, qui pascet eas, servum meum David* (i. e. magnum Davidis filium). Ezech. XXXIV, 23.

Tres a Domino homines distinguuntur, qui ad gregem accedunt : -1) fur, seu pastor falsus, qui oves mactat; -2) mercenarius , seu pastor malus , qui gregem periclitantem deserit : -3) pastor verus et bonus, qui vitam suam pro ovibus sacrificat, ut ipsæ vitam habeant et abundantius habeant.

Semetipsum pastorem bonum esse declarat, non tantum quia non est fur, sed pastor legitimus; verum etiam -1) quia non est mercenarius; -2) quia vitam suam pro ovibus ponit. Sic enim Domini oratio procedit : Ego sum pastor bonus ; etenim bonus pastor ille est qui non est mercenarius, sed

(1) Tolet. in Joan. — Item Beelen, *nov. Testam. flandr.* adnotat. in hunc loc.

-1) proprius gregis dominus, et -2) ovibus suis diligentissime usque ad mortem addictus. Atqui talis sum ego, qui non tantum, ut proprius dominus, oves possideo ; sed etiam animam, i. e. vitam meam, pro ovibus meis pono.

Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit ; et lupus rapit et dispergit oves.

Mercenarius est ille, qui 1° pro mercede temporali oves pascit non suas, idque 2° eo animo facit, ut non ovium bonum, sed suum lucrum quærat et spectet. — Ipse *non est pastor*, scilicet non verus et bonus pastor, neque ratione proprietatis, nec ratione diligentiæ. — Apostoli, licet oves non suas sed Christi paverint, ab eoque mercedem spiritualem receperint, non tamen fuere mercenarii, sed veri pastores ; quia non sua lucra temporalia sed Christi fidelium commoda spiritualia et æterna quæsiverunt.

Videt lupum venientem. — Unam ponit Dominus speciem pro toto genere : per lupum enim omne periculi genus intelligit, quod gregi quoque a leonibus, a latronibus, a militibus, etc., accidere solet. — Hinc per antithesim Christus colligendum relinquit, quod bonus pastor, dum videt lupum venientem, non fugit, nec derelinquit oves in faucibus inimici.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

Quia *mercenarius* est, puta quia mercedem suam quærit, non ovium bonum. *Non pertinet ad eum*, i. e. non est ei cura *de ovibus*. — Hinc iterum Christus per antithesim tacitam insinuat, bonum pastorem qui suas oves vult incolumes, pro eis fortiter stare et pugnare usque ad mortem.

Ego sum pastor bonus ; et cognosco meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem ; et animam meam pono pro ovibus meis.

Sensus est : Atqui ego sum pastor bonus, qualem modo descripsi, qui oves meas diligo et ab eis vicissim diligor. — Repetendo se bonum pastorem esse, Dominus significat, sibi esse applicandum id, quod modo de bono pastore in genere disseruit : nempe, se oves habere suas proprias, easque se *cognoscere et diligere*, imo diligere usque ad sacrificium vitæ.

Etenim illud : *Cognosco meas,* de cognitione dilectionis dicitur, qui sensus vocis *cognoscere* non est infrequens in Scriptura. Hoc autem loco cognitionem dilectionis intelligi, inde patet, quod-1) cognitio Pastoris boni, indifferentiæ et incuriæ mercenarii opponatur ; -2) quod eadem cognitio comparetur cum cognitione mutua Patris et Filii in divinis : quæ cognitio perfecta est, intellectiva simul et affectiva, atque merito *cognitio dilectionis* vocari potest.

Sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem. En cognitio dilectionis mutua Patris et Filii, quæ velut exemplar exhibetur dilectionis mutuæ, quæ inter Christum ejusque oves existit; ita ut sensus sit: Sicut me diligit Pater, ita ego diligo oves ; et sicut a me diligitur Pater, ita ab ovibus ego diligor. — Porro ut hunc amorem erga oves suas demonstret, duplex adjicit argumentum : -1) quod pro ovibus vitam ponit ; -2) quod aberrantes oves quærit et reducit ad ovile.

Et animam meam pono pro ovibus meis. Sensus est : Ita oves meas paterne et amanter cognosco, ut vitam meam pro eis ponam, scilicet eam brevi positurus sim. Verba hæc, quæ, ut patet, prædictionem Dominicæ passionis continent, ad superiora : *Ego cognosco oves meas*, referri debent, non vero ad immediate præcedentia : *Sicut novit me Pater ;* hæc enim comparatio solummodo ad amorem Domini erga oves dilucidandum interjecta est.

Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili ; et illas oportet me adducere ; et vocem meam audient : et fiet unum ovile et unus pastor.

Conversionem gentilium per Apostolos perficiendam prænuntiat, quasi diceret : Præter oves domus Israel quæ jam in me credunt, aliæ sunt animæ adhuc idolis addictæ, quas per anticipationem oves voco ; quæque mox per verbum Apostolorum in me credent, et ad ovile Ecclesiæ meæ adducentur, et vocem meam per ora Apostolorum loquentem audient mihique obedient : et sic

Fiet unum ovile et unus pastor. — Fiet *unum ovile*, i. e. una Ecclesia, ex Judæis et Gentibus in me credentibus collecta ; et *unus Pastor*, nimirum Christus, ejusque Vicarius, Pontifex Romanus : qui Pastor *unicus* est, quia ipse solus, per alios pastores subordinatos, ab eoque auctoritatem accipientes, universum Dominicum gregem gubernat.

—

Explicatio secunda.

Ego sum pastor bonus.

Dominus sese pastorem appellat, quod nomen suavissimum puram charitatem spirat, et Christi beneficia omnemque amabilitatem patefacit. — Quomodo autem Christus pastor bonus est? — Quid nos tali pastori debemus? — Quomodo sacerdos, imo quilibet superior bonum pastorem imitari debet?

I. *Quomodo Christus est pastor bonus?* — 1° Eo quod boni pastoris dotibus pollet. -1) Est enim Dominus ac possessor omnium nostrum : *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus ; ipse fecit nos et non ipsi nos ; populus ejus et oves pascuæ ejus...* (Ps. XCIX). —2) Est sapientia præstantissimus, eminens inter omnes nos Homo-Deus, sicut inter animalia gregis sui, homo

rationalis qui ducit ea. -3) Est potentissimus, ut gregem suum ab omni periculo liberet, omnique bono locupletet. -4) Est ovium suarum amantissimus, divina charitate æstuans, ad omnia paratus, ut oves suæ vitam habeant et abundantius habeant. (1)

2° Christus est pastor bonus, eo quod boni pastoris officium implet. -1) Cognoscit et amat oves : i. e. animarum valorem ac pretium æstimat, quas suo sanguine omnes et singulas emit. -2) Educit eas, vocans nominatim et ante illas vadens, nempe suo exemplo præcedens per viam crucis. -3) Pascua eis præbet optima : doctrinam puram, ab omni erroris veneno alienam ; gratiam et sacramenta ; imo oves suas proprio pascit cruore... -4) Eas custodit, assidue cum ipsis manendo, die noctuque per angelos et sacerdotes suos eis invigilando. -5) Eas a lupo et serpente, præsertim si impetitæ clament, defendit. -6) Agniculos tenerrime fovet ; — oves infirmas consolidat, ægrotas sanat, confractas alligatura solatur... -7) Errantem ovem omni sollicitudine et labore quærit ; — inventam non dure excipit, sed gaudens humeris suis reportat, ne forte deficiat in via...

II. *Quid nos tali Pastori debemus?* R. -1) Eum debemus ut verum Pastorem nostrum agnoscere, ejusque felicissimo gregi nos adjungere. -2) Eum ex toto corde amare. -3) Ejus vocem doctrinamque audire. -4) Eum exemplo præeuntem sequi. -5) Ei in omnibus obedire. -6) In eo confidere, eumque in omni necessitate invocare. -7) Accipere spiritualia pabula de manu ejus, et haurire aquas de fontibus ejus. -8) Non recedere a grege, sed ei constanter adhærere. -9) Quemadmodum oviculæ pastori suo reddunt totam suam lanam, et lac, et fœtus ; imo si eas voluerit mactare, ipsam carnem suam ei dant in cibum : sic Pastori nostro divino omnia nostra, et nosmetipsos debemus offerre, paratos vicissim ei vitam pro vita reddere (De Ponte). — Tunc vere de felici Christi grege erimus, poterimusque dicere cum Propheta : *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Ps. XXII.

(1) *Adjumenta,* Argum. 28, *De misericordia Dei.*

III. *Quomodo Superior quilibet, præsertim vero rector animarum, bonum pastorem Christum imitari debet?*

1° Studeat tam eminens esse doctrina et sanctitate inter suos, ut videatur inter oves irrationales esse pastor rationalis, aut quasi angelus inter homines...

2° Sit charitate plenus, quæ virtus omnium pastoralium virtutum fons est et origo. Quicumque enim charitate fuerit animatus, omnia boni pastoris officia, quæ alia non sunt quam officia charitatis, facile implebit. Charitas nimirum summe amat Christum, Dominum ac Deum nostrum ; et subditos, sibi a Christo commissos, diligit propter Christum, ut ipsius filios, divino ejus sanguine procreatos. Hinc Dominus, volens Petrum Ecclesiæ pastorem constituere : *Petre*, inquit, *amas me?* eoque respondente : *Domine, tu scis quia amo te*, subjecit : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Quæ verba exponens Augustinus ait : *Exigitur amor, et imperatur labor.*

3° Officia boni pastoris fideliter expleat : -1) Oves suas, i. e. subditos, tanquam gregem, non suum, sed Domini consideret ; easque cognoscat, non tantum quoad nomen, sed etiam quoad indolem, necessitates, virtutes, vitia, pericula. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera* (Prov. XXVII, 23). —2) Eis exemplo præluceat. -3) Eas pascat sana doctrina, orationibus suis, omnique spirituali cibo. -4) Cum eis maneat, easque vigilanter a veneno pravæ doctrinæ, omnique scandalo custodiat, sicut Jacob : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* (Gen. XXXI, 40). —5) Eas fortiter defendat, correptione, labore, omnique sacrificio, *ascendendo ex adverso, opponendo murum pro domo Dei* (Ezech. XIII, 5). —6) Agnos teneros, ovesque infirmas peculiari cura foveat. —7) Ovem perditam et errantem omni patientia, mansuetudine, fiducia, fortitudine quærat et reducat. -8) Denique oculo fidei suum officium consideret, et regulam sequatur B. Petri scribentis : *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum ; nec turpis lucri gratia, sed voluntarie ; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps*

pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. I Pet. V, 2.

Pastor bonus animam suam dat pro ovibus suis.

En character, seu essentialis nota pastoris boni, sine qua vere bonus non est : *ut animam suam det pro ovibus suis ;* i. e. ut omni pretio ovium bonum intendat et quærat, paratus propterea eis dare (non ab eis auferre,) quæcumque habet et potest : non tantum bona externa et labores, sed usque ad valetudinem et vitam, quatenus subditorum bonum hujusmodi sacrificia requirat. A minoribus autem incipiendum est, ut perveniatur ad magna : *Qui enim*, ait S. Gregorius, *non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam ?*

Mercenarius autem...

Mercenarius, est pastor malus, qui solus hic mercenarii nomine venit. Etenim 1° nequaquam mercenarius dicendus est, quicumque pascit oves non *suas*, dummodo eas pascat *tanquam* suas. Omnis pastor Ecclesiasticus oves pascit Christi, non suas, i. e. proprietate non suas ; officio tamen, cura, commissione, dilectione vere suas adeoque proprias.

2° Quæ sunt pastoris mali vitia et defectus? — R. Duplex distinguitur pastor seu superior malus : alter positive malus, qui nempe aperte vel occulte scandala spargens, efficitur fur, latro, lupus in grege, ut furetur et mactet et perdat. — Alter est negative malus, qui hic proprie mercenarii nomine designatur. Hic autem -1) quærit, non quæ Jesu Christi et gregis, sed quæ sua sunt : nimirum lucrum temporale et honorem ; -2) ovibus suis nihil impendit de suo : non fortunam, non laborem, non vigilantiam, etc. ; -3) non compassione movetur ob earum infirmitates, sed durus est corde et verbis ; -4) eas non defendit, et lupo venienti derelinquit.

3° Pastoris mali turpissima et gravissima injustitia est, a gregis domino, summo Pastore vindicanda : *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Ezech. III, 18.

Videt lupum venientem... et fugit.

1° Quid lupi nomine intelligendum? R. -1) Diabolus -2) quivis diaboli minister, hæreticus, aut seductor, quicumque nimirum fideles verbo vel malo exemplo pervertere studet.

2° *Fugit.* — Quid fugæ nomine intelligitur? aut quomodo pastor fugit? « Non mutando locum, ait S. Gregorius, « sed subtrahendo solatium. Fugit, quia injustitiam vidit « et tacuit ; fugit, quia se sub silentio abscondidit. »

Cognosco oves meas.

1° Christus cognoscit oves suas omnes et singulas cognitione perfecta, intellectiva simul et amantissima : qua non tantum exteriora ovium, sed etiam interiora cordis perspicit, et quid unicuique expediat intelligit, cupit et conferre studet.

2° Cognoscit oves vere *suas*, easque ab alienis quibusvis discernit : *Cognovit Dominus qui sunt ejus* (II Tim, II, 19). — Quænam autem sunt notæ, quæve signa, quibus Dominus oves vere suas cognoscit? — R. 1) Fraterna charitas : *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (Joan. XIII, 35). -2) Obedientia : ovis enim pastori suo obedit. -3) Mansuetudo : ovis enim est animal mite et pacificum. -4) Peccati timor, similis timori quo ovis lupum timet et horret. -5) Patientia : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Isai. LII, 7.

Cognoscunt me meæ.

Cognitio Christi Domini omnibus Christianis necessaria est. — Sicut bonum ac necessarium est nobis a Christo cognosci, ne audiamus aliquando hanc tristissimam vocem : *Nescio vos;* ita necesse quoque est, ut nos vicissim Christum cognoscamus. Porro cognoscere Christum, est intime perspectos habere thesauros in ipso absconditos : ejus divinitatem ; ejus

humanitatem, secundum animam et corpus excellentissimam; ejus sapientiam, sanctitatem, misericordiam et charitatem ineffabilem... ex qua cognitione nascitur fiducia, amor, imitatio...

Et alias oves habeo.

1° Oves Christi extra ovile errantes, quasque adducendas esse dicit, sunt omnes gentiles, hæretici, etc., ejus sanguine redempti, sed ab Ecclesia segregati. Beati qui ad eos adducendos, cum summo Pastore Christo cooperantur!...

2° Unusquisque superior, oves suas errantes considerando, animo ne cadat, neque in miseros irascatur, sed zelo inflammetur, et cum Christo dicat : *Et illos oportet me adducere*....

Et vocem meam audient.

Vocem Christi audiunt quicumque Apostolorum, sacerdotum, vel quorumcumque superiorum voci auscultant : tum ut credant quæ Christus docuit, tum ut impleant quod mandavit.

Unum ovile et unus pastor.

1° En Ecclesiæ unitas in terris (1) : Pastori suo grex adhærens; unum corpus et unum caput. — *Unus* ille *Pastor* Christus est, ad dexteram Patris sedens in cœlis, et, per Vicarium, in Petri cathedra sedens in terris; indeque per multitudinem Ecclesiæ pastorum, universum fidelium gregem docens et gubernans. — *Unum ovile* fideles sunt omnes, tum charitate mutua inter se, tum obedientiæ vinculo cum superioribus hierarchicis conjuncti.

2° *Unum ovile et unus pastor :* en quoque unitas et felicitas Ecclesiæ triumphantis in cœlis, ubi excellentiore modo erit unum ovile et unus Pastor. *Quum subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* I Cor. XV, 28.

(1) Cf. *Elem. theol. dogmaticæ*, tom. I, tract. 3 *De Ecclesia.*

—

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Joan. XVI, 16-32. Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me : quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; et : Quia vado ad Patrem? Dicebant ergo : Quid est hoc quod dicit : Modicum? nescimus quid loquitur. Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos quia dixi : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me. Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini : sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier quum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium : quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Explicatio prima.

I. *Futura absentiæ et præsentiæ Dominicæ vicissitudo.*
II. *Futura discipulorum tristitiæ et lætitiæ successio.*

Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me : quia vado ad Patrem.

Cum Dominus in ultima Cœna, supremo sermone alloqueretur discipulos, dixit : *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me :* quod verbum, vere ænigmaticum, studio protulisse videtur, ut mœstos discipulorum animos, novitate sententiæ acutæ et involutæ, erigeret atque ad rogandam explicationem excitaret; quibus interrogationibus mox ipse respondendo eorum mœstitiam leniret

Porro Dominicæ sententiæ sensus datur probabilis multiplex (1) : nimirum 1° quasi diceret : Post modicum tempus non videbitis me, quia morte mea abscondar; et iterum post modicum, i. e. post triduum, cum resurrexero, videbitis me redivivum. Etenim in eo sum ut vadam ad Patrem, ad quem ire, nisi a mortuis resurgendo, non possum.

2° Alter sensus : Modicum, et non videbitis me corporaliter, nempe post meam ascensionem; et iterum modicum, et videbitis me, nempe post secundum adventum meum, sive in hora mortis vestræ, sive in fine mundi. Dixerat enim Christus antea : *Si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis* (Joan. XIV, 3). Porro spatium humanæ vitæ, ut et durationis mundi usque ad diem Judicii, *modicum* dici potest : *Quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus* (II Pet. III, 8). — *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit.* Ps. LXXXIX.

(1) Maldon. Toletus, Allioli, Croiset in hanc Dominicam.

3° Tertius sensus : Modicum, scilicet postquam ascendero in cœlum, et non videbitis me oculis corporeis ; et iterum modicum, et videbitis me oculis spiritualibus, i. e. præsentiam meam in vobis sentietis experiendo auxilium meum, cum rediero ad vos per sanctum Spiritum. Quo sensu Dominus supra dixerat : *Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me : quia ego vivo et vos vivetis. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Joan. XIV, 18 seq.

Quia vado ad Patrem.

En ratio futuræ absentiæ, et subsecuturæ præsentiæ ejus. *Quia vadit ad Patrem*, puta per ascensionem suam, ideo corporeis oculis eorum abscondetur ;— ideo mittet eis Spiritum sanctum, per quem, et in quo, spiritualiter ad ipsos veniet et in ipsis habitabit ;—ideo, postquam præparaverit eis locum, veniet iterum ut accipiat eos ad se ipsum.

Quid est hoc quod dicit nobis?... Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis : de hoc quæritis inter vos quia dixi : Modicum....

Non intellexerunt discipuli verba Domini, — 1) quia vere obscura erant : non enim aperte dicebat se moriturum, resurrecturum et in cœlum ascensurum ; sed per metaphoras et ambages loquebatur ; — 2) quia tristitia adeo erant occupati, ut ea etiam quæ minus difficilia fuissent, intelligere non potuissent.

Cognovit autem Jesus. — Non ex Apostolorum vultu, gestibus et nutibus illud Dominus cognovit ; sed vi divinitatis suæ, eorum introspiciendo secretas cogitationes, atque arcana desideria ; et præveniendo eorum interrogationem, ostendit se cordium inspectorem esse, adeoque Deum. Dicit ergo : *De hoc quæritis inter vos quia dixi : Modicum, et non videbitis me ; et iterum modicum, et videbitis me.* Sic autem quæstione proposita, per modum solutionis subjungit :

Amen, amen dico vobis quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini...

Dominus, pro sapientia sua, non directe explicat, quid illud *modicum* sit de quo quæstio fiebat ; quia satius ducit, ut discipuli id ex eventu potius, quam ex suis verbis discerent. Explicat autem indirecte per effectus, declarando vicissitudinem ipsis obventuram tristitiæ et gaudii, quam ex sua discessione et reversione sunt experturi : ita tamen ut tristitia brevis, lætitia æterna sit futura, quod maxime ad consolandos et confirmandos animos valet. — Porro tristitia discipulorum intelligi potest illa, quam experti sunt, tum per triduum mortis Domini, tum postea in exercitio apostolatus : *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus... exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata* (I Pet. I, 6). — Mundi vero gaudium, de quo Christus loquitur, similiter intelligendum est, tum illud, quo Judæi mortuo Christo triumpharunt ; tum illud, quo omnes mundani homines toto hujus vitæ tempore perfrui videntur. Mundanis sic gaudentibus, *vos*, ait Christus, *plorabitis et flebitis :*

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium....

Supplendum est mente alterum sententiæ membrum : *et vicissim mundi gaudium vertetur in tristitiam et luctum ;* quod non expressit Dominus, quia hoc tantum agebat, ut discipulos consolaretur. — Futurum autem quod prædicit discipulorum gaudium, erit præsertim in cœlo ; mundanorum vero luctus in inferno.

Mulier, cum parit... Familiari declarat exemplo quam brevis sit futura discipulorum tristitia, quam stabilis vero subsecutura lætitia. Filius enim semel natus, est matris suæ perpetuum gaudium, quo omnes præcedentes dolores facile absorbentur.

Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis : iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum ; et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Cum ad perfectum gaudium cœli vos assumpsero, felicitate perfruemini perfecta et æterna. Gaudium enim illud cœleste, solum est, quod tolli nequeat. — Opponit Dominus futurum in cœlis discipulorum gaudium, gaudio sæculi, quod hac terminatur vita, quodque multis eventibus tollitur, multis turbatur, præsertim morte : hac enim iis qui præsenti vita delectantur, sicut nihil acerbius, ita nihil certius est eventurum. Illud vero Beatorum gaudium, nullus casus, nulla infirmitas humana, nulla vis, nulla tentatio, nulla mors ab ipsis tollere potest... *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

—

Explicatio secunda.

Modicum, et jam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me...

En vicissitudo absentiæ et præsentiæ Domini.

1° In hac terrestri vita (1), Dominum non videmus oculis corporeis ; sed hoc tempus modicum est, quo transacto eum videbimus. *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. Per fidem enim ambulamus et non per speciem* (II Cor. V, 6). — Mox autem, quum apparuerit, videbimus eum facie ad faciem, et gaudebit cor nostrum. Quare -1) vitam hanc tanquam exilium spectemus ; -2) item, tanquam præparationem ad adventum Domini ; -3) item, tanquam tempus brevissimum, quod suavissimus Domini conspectus subsequetur ; -4) non tamen ut exilium intolerabile, ab omni Domini præsentia separatum : nam solummodo præsentia ejus visibili caremus, invisibili autem præsentia,

(1) *Adjumenta*, Argum. 17, 18.

per fidem, per charitatem, et per Eucharisticum mysterium feliciter possumus gaudere.

2° In hac vita aliam vicissitudinem Dei famuli solent experiri : vicissitudinem nempe visitationis Domini ejusque absentiæ spiritualis, qua modo animam sensibili consolatione, lumine, gaudio, etc. exhilarat; modo eam in tenebris et ariditate ac desolatione relinquit. In utroque statu fideliter et constanter Domino servire debemus, contendentes, ut Apostolus ait, *sive absentes, sive præsentes, placere illi.* II Cor. V, 9.

3° Quare Dominus præsentiam suam Apostolis subtraxit?— Ut discerent, sicut prius visibiliter cum ipso vixerant, eodem modo jam per fidem et spiritualiter cum Christo ambulare atque conversari : quod quidem -1) majoris est meriti, -2) animam elevat, spiritualem efficit et ad dona cœlestia uberiora recipienda idoneam.

4° Quare et nobis suam præsentiam visibilem denegavit?— Easdem ob causas. Nec opus fuit ut, sicut Apostoli, ita et nos paulatim ad vitam fidei induceremur : quia sufficit nobis Apostolorum sequi vestigia, qui post ascensionem Domini, cum eo invisibili agebant, eodem omnino modo, ac antea cum eo visibili fuerant conversati.

5° Unusquisque nostrum de se verba Domini usurpare potest : Modicum, et non comparebo, morte abreptus ; et iterum modicum, et comparebo oculis omnium in die judicii.

Videbitis me...

1° Videre Jesum, omnium bonorum summa est, in eo consistens, ut non tantum oculis Dominum spectemus ; sed etiam cum possideamus, ejusque præsentia fruamur, mutuoque amore cum eo uniamur, omnium bonorum ejus participes effecti. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I Joan. III, 2). — Porro Dominum videre debemus triplici modo : 1) per fidem, in hac mortali vita; -2) per visionem animæ in hora mortis ; -3) per visionem animæ et corporis in die resurrectionis : *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Job XIX, 26.

2° Ut autem Dominum spectare mereantur et possint oculi, tum corporis, tum mentis, mundi sint oportet, et ab omni terreno luto ac pulvere alieni...

Quia vado ad Patrem.

1° Sicut Christus, consummato opere suo, et impleta missione sua in hoc mundo, ad Patrem reversus est; ita nos, impleto pariter negotio nostro, eum sequi debemus.

2° Tota vita nostra iter esse debet ad Patrem, ita ut omnes dies omnesque actiones nostræ veluti passus sint, quibus ad Patrem pergamus, semperque dicere possimus : *Quia vado ad Patrem.*

3° Mundani, qui ea quæ mundi sunt persequuntur, dicere non possunt : *Quia vado ad Patrem* scilicet cœlestem; vadunt tamen et transeunt ipsi, sed via diversa...

Nescimus quid loquitur.

Quæ necdum intelligunt Apostoli, intellexerunt postea : ut sciamus, multa quoque nobis obscura et ænigmatica esse in fide, quæ suo tempore intelligemus, nunc autem credere, et pro mensura luminis nobis concessa, meditari debemus, Domino ut magis nos illuminet supplicantes.

Cognovit ergo Jesus quia volebant eum interrogare. — En quomodo Domini bonitas discipulorum petitionem præveniat : ut sciamus, minima cordis nostri ad ipsum suspiria, ei innotescere et placere.

Plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit.

1° Conditio discipulorum Christi in hac vita, diversa est a conditione mundanorum : illi patiuntur secundum carnem persecutiones, tentationes, privationes, pœnitentias... et cum Christo sunt in tribulatione; — isti e contra, persecutiones inferunt, carnis delectamenta et gaudia quærunt,..

2° At brevi vices mutabuntur, et erit ploratus mundi, gaudium vero Christi sequacibus...

3° Porro luctus futurus hominum peccatorum, longe gravior erit luctu præsenti justorum; et vicissim, lætitia justo-

rum futura, gaudium præsens mundanorum longe superabit.

4° Imo jam in hac vita, fletus filiorum Dei jucundior est omni risu et gaudio filiorum hujus sæculi.

5° In omni gravamine hæc suavissima vox cordi nostro resonet : *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

6° At similiter mundanis gaudentibus dictum est: *Gaudia vestra vertentur in luctum ; — extrema gaudii luctus occupat.* Prov. XIV, 13.

7° Vicissitudo tristitiæ et gaudii necessaria est : vel patiendum cum Christo in hac vita, vel patiendum cum diabolo in futura ; — et qui vult hic gaudere cum diabolo, non poterit postea gaudere cum Christo. Eligendum est gaudium alterutrum : utrumque obtineri non potest, quia duplex paradisus non datur.

8° Quanquam Dei famulis aliquomodo duplex paradisus conceditur, unus in spe, alter in re; unus in suavitate tribulationum, alter in jucunditate gloriæ : *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (II Cor. VII, 4) ; — *Centies tantum nunc in tempore hoc... et in sæculo futuro vitam æternam.* Marc. X, 30.

Mulier quum parit...

Vita præsens parturitio est vitæ æternæ. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc.... nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat* (Rom. VIII, 22, 19). — Conditio ergo nostra in hoc mundo est, ut pressuram seu dolorem patiamur, dolorem necessarium, sed brevem, spe mitigatum, et desinentem in lætam hominis nativitatem....

1° Discipulorum Christi in hac vita dolor est necessarius, sicut necessarius est partus ut nascatur homo. Hæc enim salutis nostræ divinitus ordinata œconomia est, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. XIV, 21.

2° Dolor brevis, præsertim si comparetur subsequentis gaudii perennitati : *Momentaneum et leve tribulationis nostræ... æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* II Cor. IV, 17.

3° Dolor spe mitigatus : « Non enim in his pressuris, ut « Augustinus monet, sumus sine gaudio tristes ; sed, secun- « dum verbum Apostoli, *spe gaudentes*. Nam et mulier partu- « riens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura « prole, quam tristis est de præsenti dolore. »

4° Dolor desinens in lætam hominis nativitatem.—Sicut in nativitatem hominis desiere pressuræ Christi, qui in doloribus crucis hominem novum parturiit, e sepulcro renascentem : nempe semetipsum, nosque omnes virtualiter in seipso ; ita omnis pressura Christianorum similiter in nativitatem spiritualem hominis terminatur. Sic enim -1) Christus, i. e. spiritus Christi et gratia ejus, in anima nostra nascitur, atque augetur *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (Eph. IV, 13) ; sic quoque ex bonis propositis nascuntur bona opera, etc. — Sic -2) meremur ut, in futuro die resurrectionis, e sepulcro renascamur *configurati corpori claritatis Christi*. — Sic -3) Christi discipuli, viri præsertim apostolici, Christum parturiunt in animabus proximorum. *Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea et fratres mei* (Matth. XII, 49). — *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Gal. IV, 19.

Impii similiter parturiunt sua peccata et suam mortem æternam, cum ingenti labore et dolore, qui terminatur in æternum gehennæ tormentum : *Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem*. Ps. VII.

Et gaudebit cor vestrum.

1° Gaudium Domini est gaudium *cordis*, i. e. verum, omnibus cordis desideriis et aspirationibus respondens : *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Ps. CII.

2° Est gaudium *cordis*, i. e. totam animam, intellectum et voluntatem, suavissime replens, nec tantummodo sensus afficiens....

3° Est gaudium præsertim, et essentialiter spirituale : *Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto*. Rom. XIV, 17.

4° Gaudium illud erit perfectum in vita futura ; — in præsenti vero solummodo inchoatum et imperfectum : estque

aliud essentiale, in statu gratiæ situm ; aliud accidentale, quod consolatio, vel devotio sensibilis vocari solet.

5° Gaudium illud habet in hac vita suos gradus, quorum minimus in voluntate divinis mandatis inhærenti consistit.

6° Gaudium Christi a gaudio carnali præsertim eo differt, quod carnale gaudium non sit *gaudium cordis :* cum cor, vel omnino vacuum, vel etiam amaritudine plenum relinquat.

Gaudium vestrum nemo tollet.

1° Gaudium Christi nemo tollet ; gaudium vero sæculi multi tollent, tum in hac vita, tum in futura...

2° Gaudium hominis christiani in vita futura, *absolute* non auferetur, nec ullatenus turbabitur. In præsenti vero vita, non tolletur *secundum quid* : i. e. non tolletur ex parte Dei, qui quod dedit, semper conservabit nobis, saltem quatenus id essentiale est, et in charitate ac gratia consistit ; tolli autem potest ex parte nostra, qui a Deo per peccatum possumus recedere. Quandiu autem humili et efficaci fiducia Deo adhæremus, nihil nos thesauro nostro spoliabit : *Quis nos separabit a charitate Christi?... neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Rom. VIII, 35.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

—

Joan. XVI, 5-15. Dixit Jesus discipulis suis : Vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio. De peccato quidem : quia non crediderunt in me; de justitia vero : quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; de judicio autem : quia princeps hujus mundi jam judicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem ; non enim loquetur a semetipso ; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit : quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

Explicatio prima.

—

Evangelium, quod de futura Domini ascensione, et Spiritus sancti missione agit, non solum paschalis temporis gaudium et consolationem spirat ; sed etiam ad proxima Ascensionis et Pentecostes festa fideles disponit.

I. *Promissio Spiritus sancti.*
II. *Explicatio effectuum Spiritus sancti.*

—

Vado ad eum qui misit me ; et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ?

Cum Dominus in ultima Cœna mœstos discipulos consolaretur, dixit : *Vado ad eum qui misit me :* i. e. per crucem et mortem vado ad resurrectionem, ut glorioso ac cœlesti corpore indutus, conscendam in cœlum, et ad Patrem, qui me in terram misit, revertar. — Post hæc verba videtur Dominus paulisper, discipulos aspiciendo, substitisse, antequam pergeret ; deinde dixit :

Et nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis ? — Rogaverat quidem idipsum Thomas (supra XIV, 5), dicens : *Domine, nescimus quo vadis ; et quomodo possumus viam scire ?* sed nec ipse, nec alius ex Apostolis, responsum Domini, quod obscurius esset, satis intellexit ; nec interrogando ulterius satis institit, quia omnes erant tristitia absorpti. — Tacite ergo Christus Apostolos reprehendit, quod non magis interrogent de re, quæ eorum tristitiam lenivisset, ac summam ipsis consolationem attulisset : scilicet de suo reditu ad Patrem, ut ipse gloriam acciperet, et discipulis Spiritum sanctum mitteret, atque in cœlis locum præpararet.

Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam...

Sensus est quasi diceret : Non me interrogatis, sed siletis, tristitia nimia ob futurum discessum meum, de quo locutus sum vobis, absorpti. Quare vos merito reprehendo : nam quæ sensibilia sunt solum videntes, spiritualia non consideratis ; et dum de sensibilis meæ præsentiæ privatione doletis, de spiritualibus bonis ex hac privatione orituris non cogitatis.— Quibus verbis Dominus non tantum discipulos reprehendit, sed simul eorum attentionem acuit, ad ea quæ de suo discessu dicturus est, audienda. Hæc autem sic annuntiat :

Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam. — Tristamini de meo abitu secundum carnem, quasi de summo malo, de derelictione et desolatione vestra ; sed scitote vos errare, atque verissime expedire vobis ut ego vadam : nam hinc profectus Spiritum sanctum in vos mittam, qui vos omni virtute et gaudio replebit, per quem pretiosissima dona, quæ ego merui, recipietis, imo, in quo memetipsum secundum divinam meam naturam possidebitis.

Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos ; si autem abiero, mittam eum ad vos.

Apposite Dominus Spiritum sanctum hic vocat *Paraclitum*, i. e. *consolatorem :* ut significet, ab ipso discipulos, ob Magistri sui discessum mœstos, omni consolatione et gaudio repletum iri.

Quare autem Paraclitus venire non poterat, nisi prius Christus abiret? — 1° Ex parte Dei, Spiritus sanctus venire quidem poterat *absolute;* sed, *posito divinæ Providentiæ decreto*, non poterat. Sic enim statutum a Deo fuit, ut tres personæ SS. Trinitatis in procuranda salute hominum cooperarentur : Pater, mittendo Filium, trahendoque homines ad eum ; Filius, docendo et moriendo ; Spiritus sanctus perficiendo opus Christi, et corda divinis donis locupletando. — Jam vero mitti, i. e. in mundo visibiliter apparere, Spiritus sanctus

non poterat, nisi Christus abiret, et de theatro quodammodo (visibiliter) discederet, ut tertiæ SS. Trinitatis personæ locum daret.

2° Ex parte discipulorum, receptioni Spiritus sancti obex dabatur. Cum enim Domino, sicut pueri matri, aut pulli gallinæ adhærerent, ejusque humanæ conversationi et corporali præsentiæ nimis addicti essent; ob carnalem hanc dispositionem capaces non erant spiritualium donorum, quæ non satis desiderabant. Quapropter abscessit Christus, ut ab eo quasi ablactati, totique in Spiritum sanctum intenti, thesaurum hunc promissum desiderio ardenti concupiscerent, et reciperè mererentur.

Mittam eum ad vos. — Spiritus sanctus quoniam a Patre Filioque procedit, ideo quoque a Patre Filioque mittitur. Dicit autem Christus a se potius quam a Patre (qui simul mittere supponitur) mittendum esse Paraclitum : quia ipse Christus non solum misit eum, sed etiam ut mitteretur meruit; deinde quia non solum mittit qua Spiritus sancti principium, sed etiam qua Ecclesiæ caput est, pontifex et rector, ad quem pertinet operam dare, ne quid Ecclesiæ ad perfectionem desit.

Et cum venerit ille, arguet mundum....

Arguet *mundum* : i. e. non tantum Judæos perversos, sed etiam omnes mundanos, qui Christo ejusque doctrinæ adversantur, suis argumentis suaque luce veritatis ita convincet, ut palam pateat eos convictos esse, quamvis illud ipsi fateri nolint. — Spiritus sanctus per Apostolos loquens et agens, veluti judicabit inter Christum et mundum perversum, Christo oppositum : et quidem tanta cum luce veritatis, ut hinc justitia et veritas Christi, inde vero injustitia et error mundi manifesta sint.

Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio....

Sensus est : Convincet mundum de peccato mundi, de justitia ac sanctitate Jesu, deque condemnatione ac rejectione

mundanorum cum Principe suo Satana. — Patebit enim, 1° mundum et mundanos, quotquot in Christum credere noluerint, esse in peccato, cum non nisi per fidem in ipsum a peccato liberari possint : *De peccato quidem : quia non crediderunt in me.*

2° Patebit, Christum ejusque discipulos vere justos ac sanctos esse oculis Dei : quia Christus, per resurrectionem et ascensionem suam ab ipso Deo justificabitur, et non jam apparebit in terris ut homo communis et infirmus, sed in cœlis, ut Homo-Deus, ad dexteram Patris sedens : *De justitia vero : quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.*

3° Patebit, mundum damnatum esse in suo capite et Principe Satana, quem Apostoli, Spiritus sancti virtute, ejicient e regno suo : i. e. tum ex idolorum templis, tum ex mentibus et corporibus hominum. Hæc autem diaboli oppressio in sæculo præsenti, solummodo præambulum est damnationis supremæ, qua in die judicii, cum asseclis suis omnibus, a Christo ejicietur in tenebras exteriores : *De judicio autem : quia princeps hujus mundi jam judicatus est.*

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.

Multa mihi remanent dicenda vobis, scilicet de fidei mysteriis, de gentium conversione, de Ecclesiarum fundatione et gubernatione, de sacerdotibus et Episcopis, totoque ordine hierarchico instituendo...

Sed non potestis portare modo : id est, capere et intelligere non potestis, quia illa documenta sunt veluti pondus, quod mente sustinere nequeatis : tum quia hæc vestra mens corporalibus rebus et cogitationibus nimis est assueta, tum quia tristitia et mœrore occupata. Quare ardenti desiderio Spiritum sanctum appellate; ipse enim docebit vos omnem veritatem.

Quum autem venerit ille Spiritus veritatis (1)...

Spiritus veritatis, id est, omnis veritatis auctor, doctor, largitor, qui docet homines omnem veritatem.

1° Idem Spiritus vocatur (Isai. XI, 2) Spiritus *sapientiæ*, *consilii*, *pietatis*, *fortitudinis*, etc.; quia nobis sapientiam, consilium, pietatem, fortitudinem inspirat.

2° Docet, inquam, nos veritatem omnem, sed maxime Evangelicam, quæ triplex est : 1) res ipsa Christi, ejusque gratia, olim per figuras et ceremonias Veteris Legis adumbrata; -2) divinarum promissionum impletio : omnes enim promissiones Dei per Christum impleri, Spiritus sanctus Apostolis ostendit; -3) divinarum rerum cognitio, quatenus ad salutem necessaria.

3° Spiritus ille veritatis in Ecclesia manet, sicut anima in corpore; quod S. Augustinus ita docet : « Spiritus sanctus, « ait, est Patris et Filii amor et connexio; ad ipsum per- « tinet societas, qua efficimur unum. Corpus hominis « multis constat membris, et vegetat omnia membra una « anima, faciens in oculo ut videat, in aure ut audiat, et sic « in cæteris; ita Spiritus sanctus membra corporis Christi, « quod est Ecclesia, continet et vegetat. » (Lib. de grat. novi Test.)

4° Spiritus veritatis opponitur spiritui mundano, qui mendacii, erroris, omnisque deceptionis principium est.

Docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

Spiritus sanctus *docebit vos omnem veritatem* : id est, docebit vos ea omnia, quæ a me vobis dicenda supersunt. — Docebit autem, gradatim et sensim insinuando quæcumque ad perfectam Ecclesiæ constitutionem, evolutionem, et conservationem pertinebunt. Spiritus enim sanctus ita Apostolos mysteria docuit, ut pedetentim in eorum cognitione profecerint. Sic post diem Pentecostes, eis revelat Evangelium Cornelio et

(1 Cf. tom. 2, Domin. infra Octav. Ascens.

Gentibus esse prædicandum (Act. X) ; deinde Gentes non esse circumcidendas, nec obligandas ad servandam legem Moysis (Act. XV).

Quod addit : *Non enim loquetur a semetipso*, hoc est : Doctrinam meam confirmabit, complebit et perficiet, nec quidquam ei contrarium suggeret ; quia tradet vobis ea cuncta et sola, quæ ratione Processionis a me audiet et accipiet : ita ut ego per Spiritum sanctum, tanquam per legatum seu os meum vobis locuturus sim : *Quæcumque audiet loquetur.*

Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. — Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem, quæ vos et vestrum officium concernit, non tantum quoad res præteritas et præsentes, sed etiam quoad futuras, per charisma prophetiæ. Nec solum quæ futura sunt in tempore nota faciet, sed etiam, et præcipue, quæ futura sunt in æternitate, in Ecclesia triumphante....

Ille me clarificabit : quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt ; propterea dixi : Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis.

Spiritus sanctus Dominum clarificabit, i. e. illustrabit, glorificabit, ejus opus promovendo, Ecclesiam prosperando et exaltando ; Ecclesiæ enim prosperitas et exaltatio, gloria Christi est. — Item, Christum clarificabit, fideles sua gratia replendo. Nam Spiritus sanctus, ut Augustinus ait, diffundendo in cordibus charitatem, et spirituales faciendo discipulos, declaravit eis Jesum esse Dei Filium, quem secundum carnem, ut merum hominem prius tantummodo spectaverant : id est, cujus divinitatem obscurius tantum cognoverant.

Quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. — Sensus est quasi diceret : Spiritus sanctus tanquam legatus venit, non suo nomine locuturus, sed nomine mittentium, Patris nimirum et Filii. Imo a Patre Filioque non tantum mittitur, sed procedit : id est, accipit cum divina natura sapientiam et omnia attributa Patri Filioque communia : ita ut ejus doctrina sit

ipsa doctrina Filii ; nec quidquam sit operaturus, quod non simul cum eo etiam Pater et Filius operetur : quia Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres quidem personæ sunt, sed unus Deus : *Hi tres unum sunt.*

—

Explicatio secunda.

Vado ad eum qui misit me.

Dominus, consummata missione sua, ad Patrem qui misit eum revertitur, ut merita gloria coronetur. Similiter unusquisque nostrum ad Creatorem suum vadit, a quo in terra positus est ut salutis negotium perficiat; vadit, ut rationem reddat Domino : an præmium, an pœnam accepturus?...

Nemo ex vobis interrogat me : Quo vadis?

1° Multi, sicut Apostoli, non inquirunt de iis quæ futura sunt et invisibilia, de præsentibus et quæ sensus tangunt unice occupati....

2° Attamen de nostra sorte futura, de æternitate imprimis, decet nos esse sollicitos, ita ut quisque semetipsum interroget : *Quo vadis?* Christiane negligens, prave, quo vadis? Utrum ad cœlum? an ad infernum, ad purgatorium?...

Tristitia implevit cor vestrum.

Apostolorum tristitiam Dominus, ut imperfectam et noxiam, hic lenire studet, quamvis tristitiam alibi ut bonam laudaverit, dicens : *Beati qui lugent.* Duplex enim tristitia datur : una sancta, altera carnalis et noxia, quas sic Apostolus indicat : *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur.* II Cor. VII, 10.

1° Bona et beata tristitia est ea, quæ dolet propter peccata, tum propria tum aliena, quibus mederi studet.

2° Sæpe inanis, vel etiam noxia est tristitia ob temporalia damna, ob amorem proprium læsum, etc. ; quæ tristitia a

corde excutienda est, ad Deum sese et ad res æternas convertendo : *Renuit consolari anima mea : memor fui Dei et delectatus sum.* Ps. LXXVI.

3° Una res, unum malum est, ob quod nos dolere oporteat; peccatum.

4° Sæpe ii tristantur, qui gaudere deberent; illi vero lætantur, qui flendi causas habent gravissimas.

Expedit vobis ut ego vadam.

Expedit vos mea præsentia visibili carere, ut invisibilia bona uberius recipiatis (1); ubi enim non amplius videbitis me oculis corporeis, aperietis oculos mentis, magis spirituales efficiemini, et veris atque internis virtutibus, in quibus thesaurus animæ consistit, proficietis. Sic enim fides vestra roborabitur, spes ac fiducia erigetur, purificabitur charitas.

Hinc intelligimus, 1° quod secundum carnem molestum nobis contingit, v. g. ariditatem, laborem, crucem qualemcumque, id sæpe expedire nobis.

2° Item intelligimus, Dominum scire quid vere nobis prosit, idque, licet ingratum sensibus, ex vero amore nobis disponere.

3° Item intelligimus, Dominum id semper agere, ut a terrenis ad cœlestia, a carne ad spiritum erigamur. Ideo nos variis stimulis excitat, voce provocat et exemplo : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos* (Deut. XXXII, 11); ideo nos quasi mater ablactat, subtrahendo paulatim consolationes sensibiles : nascimur enim carnales, ablactamur spirituales.

4° Docemur quoque, rerum omnium terrenarum affectum nobis exuendum esse, ut dignum Spiritu sancto habitaculum evadamus. Quanto quis cor suum perfectius evacuat, tanto illud donorum spiritualium capacius reddit; dantur enim dispositionis gradus : *Quantum vas homo attulerit ad fontem, tantum implet.* August.

5° Intelligimus præterea, quantopere Spiritus sanctus ab omni carnalitate abhorreat : *Spiritus est Deus : et eos qui*

(1) *Adjumenta*, Argum. 34, *de gratia.*

adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (Joan. IV, 24). Deus diligi vult a nobis amore plane spirituali, qui amoris proprii et carnalis ne minimum quidem odorem habeat.

Paraclitus.

Spiritus sanctus *Consolator* vocatur, et quidem in hac lacrymarum valle, ipse verus et solus consolator existit. Ideo ab Ecclesia appellatur *Consolator optimus, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.* At non omnibus est consolator, sed iis tantum qui sunt in fletu, i. e. qui dolent de peccatis; nec requies est omnibus, sed iis tantum, qui laborant pro Deo, etc.

Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.

Spiritus sanctus, quasi personam Apostolorum et Christi fidelium induens, tum verbo, tum virtutum exemplo, tum prodigiis loquetur, et voce invicta in facie universæ terræ manifestabit peccata mundanorum, —virtutes Evangelicas,— nec non terribile judicium de Christi adversariis faciendum et jamjam inchoatum.

1° Mundus ille qui a Spiritu sancto arguitur, est multitudo hominum qui Christum sequi nolunt et diabolum sequuntur; ille nempe mundus de quo Joannes (I Epist. II, 15) scribit : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo : quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.... Et mundus transit, et concupiscentia ejus : qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.* — Quanta differentia, imo quanta oppositio inter spiritum mundi et Spiritum sanctum! *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est.* I Cor. II, 12.

2° Mundus de peccato convictus, quid facere debet?

3° Quomodo Spiritus sanctus christianam justitiam et sanctitatem manifestat et communicat?

4° Quomodo condemnatio et reprobatio diaboli ac mundi efficitur in hoc sæculo, et quomodo efficietur in futuro? — In

sæculo præsenti efficitur per triumphum Ecclesiæ de portis inferi, per triumphum gratiæ de diaboli tentationibus et mundi pompis. In sæculo futuro fiet per sententiam supremam : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.*

5° In hoc sæculo diabolus foras missus est : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (Joan. XII, 31) : ejicietur scilicet foras a corde credentium, ita ut regnet intrinsecus, sed forinsecus tantum impugnare, nec expugnare possit; dummodo resistant fortes in fide et oratione, qua *omnia tela nequissimi ignea exstinguuntur*. Eph. VI, 16.

6° Spiritus sanctus ostendit mundo, -1) peccata sua; -2) justitiam, quam in Christo adipisci potest; -3) postremo damnationem, quam incurret, si a peccatis justificari per Christum nolit.

7° Hæc omnia quoque ostendit Spiritus sanctus interne, in animabus, et velut in abbreviato cujusvis hominis mundo.

8° *Quia non crediderunt.* En abusus gratiæ, quo mundi, et pravorum Christianorum peccata evadunt gravissima. *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Joan. XV, 22.

Non potestis portare modo.

1° Plus nobis bonorum dare vult Dominus, quam nos capere possimus : quanta nobis largiretur, si capaces essemus ! Non ergo ab ipso, sed a nobis pendet quod egeni maneamus.—Oportet ergo, -1) ut magnam in tanta Dei bonitate fiduciam habeamus ; -2) ut corda nostra ad majora capienda disponamus.

2° Christi Apostoli in instituendis fidelibus Dominum imitari debent : et nempe gradatim procedant, nec ea subito imponant, quæ homines infirmi non possunt portare modo....

3° Quæ Apostoli tunc portare non poterant, postea portaverunt: non enim in eadem infirmitate quasi infantili remanserunt, sed progressi sunt : ut discamus œconomiam spiritualis progressus, nec repente perfecti esse velimus, aut putemus nos jamjam consistere posse et quiescere : *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfe-*

ctam diem (Prov, IV, 18). Quare semper Spiritum sanctum exorare debemus, ut magis magisque nos implendo, opus suum in nobis perficiat, dicentes cum Ecclesia : ***Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus qui a te procedit, illuminet, et inducat*** (sensim) ***in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem*** (Fer. IV Pentec.).

Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.

1° Quid excellentius veritate, qua humana mens, tanquam proprio alimento, vivit et delectatur? Cognitione veritatis homo a brutis animalibus differt ; et quanto plenius veritatem possidet, tanto magis homo est. At veritatem recipiat oportet influxu Spiritus sancti, qui fons purissimus veritatis existit.

2° Ipse docet *puram* veritatem, absque errorum admixtione,—et *omnem* veritatem, circa Deum, circa hominem ipsum et circa mundum; docet veritatem de præteritis, de præsentibus et de futuris ; docet veritatem de rebus visibilibus et de invisibilibus...

3° Docet viros apostolicos, omnesque fideles, quæcumque ad salutem et perfectionem eorum, nec non ad munus cujusque explendum expediunt. — Neque arida est et mere speculativa hæc Spiritus sancti institutio ; verum succosa et unctione plena : ***Unctio ejus docet nos de omnibus : et verum est, et non est mendacium.*** I Joan. II, 27.

4° Oppositus adversatur Spiritui veritatis spiritus mendacii, qui mundum pravum perflare non disistit, et pestifero flamine inficit eos omnes, qui a Spiritus sancti influxu se subtrahunt.

Quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

1° Spiritus sanctus solus futura nobis revelat, futura nempe Ecclesiæ fata in terris, futura impiorum supplicia in inferno, et futura justorum præmia in cœlis. — 2° Futura hujusmodi nobis annuntiat, quoties novissima in memoriam revocat....

De meo accipiet et annuntiabit vobis.

Sicut Christus nobis omnia bona spiritualia et corporalia meruit, ita Spiritus sanctus nobis eadem bona per gratiæ infusionem communicat. Quare indesinenter hanc gratiam, qua universi nostri thesauri continentur, desiderare et efflagitare debemus : *Veni, Creator Spiritus, mentes tuorum visita : imple superna gratia quæ tu creasti pectora....* Ipse, per operationem suavissimam simulque efficacissimam, novum hominem in nobis creat et perficit secundum imaginem Christi Jesu.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

—

Joan. XVI, 23-30. Dixit Jesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora quum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis ; et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos : quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum ; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi.

—

Explicatio prima.

Dominica quinta post Pascha, quæ proxima est Ascensioni Domini, lætitiam et consolationem spirat tanto majorem, quanto Dominicus triumphus propinquius instat. Quare et

Evangelium legitur, quo Christus in ultima Cœna, discipulis suis proponit gaudium plenum.

I. *De oratione in nomine Christi.*
II. *De Christi divinitate.*

Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (1).

Cum Dominus mœstos de suo discessu discipulos consolaretur, postquam Spiritus sancti dona in hoc mundo, et cœlestia gaudia in futuro eis promisisset, novam consolationem eis protulit, qua omnia bona continerentur, orationem in nomine ejus.

Præstantissimum hoc orandi Patrem privilegium solemniter proponit : *Amen, amen dico*, i. e. in veritate et certissime ego, æterna Veritas, promitto ; — *vobis*, qui estis discipuli et amici mei, simulque omnibus meis fidelibus, quorum personam geritis ; — *si quid petieritis*, hoc est, si petieritis quamcumque *rem*, quæ vobis sit salutaris et Deo honorifica ; etiamsi fuerit res temporalis, dummodo ad Deum referatur, et sit res aliqua vera ac bona, quæ vitæ æternæ comparata non sit habenda pro *nihil ;* — si *petieritis*, i. e. si oratione rogaveritis uti decet et par est : nimirum 1° humiliter, 2° reverenter, 3° fiducialiter, 4° ardenter, 5° perseveranter ; — si petieritis *Patrem*, id est, Deum omnipotentem, quem filiali affectu, ut optimum patrem adire poteritis ; — *in nomine meo*, puta per mea merita ; — *dabit vobis*, i. e. infallibiliter consequemini, dummodo bene petatis.

In nomine meo. — Postquam acceperint Spiritum sanctum, petent Apostoli *in nomine Christi*, id est, 1° per merita Christi Salvatoris, et 2° Christi spiritu moti ad petendum, ita ut ipse Christus mystico modo, per ipsos tanquam per sua membra oret. Hujusmodi est omnis oratio Ecclesiæ, quæ non suo sed Christi nomine orat, ideoque preces suas semper his verbis concludit : *Per Christum Dominum nostrum.*

(1) Tolet. Maldonat.

Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Non ad corripiendum, sed ad docendum hæc dicit Dominus, ut discipulis excellentissimum orandi modum indicet, quo mox uti poterunt. Hactenus Apostoli, licet invocato nomine Christi dæmones ejecissent, et ægros sanassent, nihil tamen a Patre per merita Christi petierant ; postquam autem Spiritu sancto repleti sunt, *per Christum Dominum*, sicut Ecclesia deinceps fecit, orare cœperunt; seu potius, ipse Spiritus sanctus, qui Spiritus Christi est, in eis et cum eis orare cœpit, ut Paulus declarat, dicens : *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Rom. VIII, 26.

Petite, et accipietis. — Promissione solemniter enuntiata, ut tanto bono utantur, discipulos hortatur, dicens : *Petite;* quasi his loqueretur verbis : Deinceps ergo *petite* in nomine meo, *et accipietis :* omnia scilicet bona largietur vobis Pater ; atque ita fiet *ut gaudium vestrum sit plenum:* quia per orationem omnibus vestris necessitatibus providebitur , omnia vestra desideria implebuntur. — Gaudium illud dicitur *plenum*, non absolute, cum tale non sit futurum nisi in cœlo ; sed relative ad gaudium, quod ex visibili Christi præsentia obtinere poterant.

Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora quum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

In proverbiis, i. e. in ænigmatibus, et obscurioribus verbis vobis locutus sum. Nam quæ hactenus dixi de meo abitu ad Patrem, de vicissitudine absentiæ et præsentiæ meæ, de Spiritu sancto, de gaudio vestro, etc., jam vobis videntur obscura et quasi ænigmatica ; sed mox ea clare intelligetis, quando hæc ipsa ego palam et aperte annuntiabo vobis, tum per me ipsum post resurrectionem meam, aperiendo vobis sensum Scripturarum; tum maxime per Spiritum sanctum,

quem vobis mittam in Pentecoste, ut clare et distincte vos mysteria Fidei, præsertim SS. Trinitatis doceat; simulque suo amore vos inflammet, ut eadem mysteria toto corde diligatis.

In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos : quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi.

Sensus est : Mox Spiritu sancto repleti, scietis orare perfecte in nomine meo. — Tunc autem *non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis.* Cujus sententia duplex est sensus probabilis : -1) Tunc non erit opus ut ego hic in terris præsens, orem Patrem pro vobis sicut hactenus feci : vos enim, sicut ego ipse, Patrem orare poteritis, et audiemini a Patre, quia *Pater amat vos* tanquam membra mea, fide et charitate viventia : *Quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi.* — Hæc interpretatio, ut patet, nequaquam excludit intercessionem Christi in cœlis, ubi divinus Mediator est *ad dexteram Dei, et etiam interpellat pro nobis* (Rom. VIII, 34). -2) *Non dico vobis quia ego rogabo :* i. e. præterquam quod ego interpellabo pro vobis, quod dicere prætermitto, plus dico : ipsi vos, sicut ego, orabitis Patrem, et exaudiemini propter me, propter fidem et charitatem in me : *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi.*

Credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

Sensus est: Credidistis quod sum Dei Filius, qui per incarnationem visibiliter cum hominibus in mundo conversari cœpi, ita tamen, ut secundum divinitatem semper in sinu Patris remanserim.

Addendo : *Exivi a Patre, et veni in mundum :* præcedentia verba magis explicat et confirmat, quasi diceret : Non temere nec falso credidistis ; vere enim exivi a Patre, tum per processionem et generationem æternam, tum per exitum tempo-

ralem, quo de Virgine nascens veni in mundum; propterea nunc, missione in mundo expleta, ad Patrem revertor. — Porro, ut Augustinus explicat (Tract. 102), *sic ad mundum veniens exiit a Patre, ut non desereret Patrem; et sic vadit ad Patrem, ut non deserat mundum.*

Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Dei existi.

Sensus est : Jam clare quæ non capiebamus explicas, dicendo te exiisse a Deo in mundum, nunc autem mundum relinquere et in cœlum reverti. Jam clarius intelligimus, et simul firmius credimus, propterea quod (præter alia argumenta,) modo præveniendo nostras interrogationes, secreta cordium tibi aperta esse ostendisti, quod proprium Dei est : *Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi.* — Quanquam non satis constat, an eousque discipulorum fides tunc pervenisset, ut Jesum esse naturalem Filium Dei, verumque Deum crederent ; id saltem ex multis apparet rebus, ante adventum Spiritus sancti rudem et imperfectam eorum fidem fuisse ; ut ipse Christus videtur statim coarguere, dicens : *Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis.*

—

Explicatio secunda.

Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

1° En orationis thesaurus, promissio magnifica, ingens beneficium (1). Cujus si fructum percipere volumus, oportet ut recte promissionem Domini intelligamus, una cum conditionibus quas ex parte nostra requirit. Quapropter conside-

(1) *Adjumenta*, Argum. 54, § 2, *de oratione*.

randum est, -1) quis promittat, et -2) quibus promittat omnem petitionem exaudiendam ; -3) a quo petendum sit ; -4) quæ bona petenda ; -5) quonam modo petitio fieri debeat.

1-) Ille qui promittit est ipse Christus, Filius Dei, *qui vocatur fidelis et verax*. Apoc. XIX, 11.

-2) Ii quibus fit promissio, sunt Christi discipuli fideles, qui cum Magistro suo in Cœnaculo, Juda egresso, remanserunt. Quare Domini promissio iis tantum facta censetur, qui tanquam fideles discipuli Christo adhærere et obedire cupiunt: non vero rebellibus et obstinatis peccatoribus, qui ab ejus obedientia se subtrahunt ; quo sensu cæcus natus dicebat : *Scimus quia peccatores Deus non audit* (Joan. IX. 31). Peccatores tamen, qui non esse tales, animamque salvare exoptant, a Deo non repelluntur ; sed, si orare voluerint, *Pater de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se* (Luc. XI, 13), ut desinant esse mali. Ergo peccatores omnino orare possunt et debent, ut gratiam veræ conversionis obtineant ; promissio vero Domini proprie spectat ad justos, prout alibi significavit, dicens : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis*. Joan. XV, 7.

-3) Ille a quo petere debemus, est Pater, benignissimus et potentissimus, qui una cum Filio et Spiritu sancto, petita concedit.

-4) Bona petenda sunt ea omnia, quæ ad gloriam Dei. ad utilitatem spiritualem vel corporalem, tum ipsius petentis, tum proximorum pertinent. Probabilis enim sententia est, ita universalem esse Dei promissionem, ut oratio justi infallibiliter exaudiatur, sive pro se petat, sive pro aliis.

-5) Petitio fieri debet in nomine Christi, cum viva fide et filiali fiducia, cum pietate ac perseverantia.

2° Merito ut efficacissimum consolationis principium a Domino proponitur oratio : qua cum Deo tanquam cum Patre agere licet, et in sinu ejus omnia cordis desideria effundere, omnibusque bonis impleri. *Tristatur aliquis vestrum ? oret* Jac. V, 13.

3° Sic orare, et cum Deo filialiter conversari, summa homini dignitas est, summaque felicitas in hoc mundo : *Ut gaudium vestrum sit plenum.*

4° Orationis privilegium nobis concessum, summam arguit Dei et Christi erga nos bonitatem, cui ex parte nostra respondere debet : -1) fiducia, -2) gratitudo, quam præsertim digno tanti beneficii usu ostendemus ; -3) imitatio, ut nos fratribus nostris similiter petentibus, libenter omnia concedamus : *Omni petenti te tribue.* Luc. V, 30.

In nomine meo.

In nomine Christi orat, 1° qui petit per merita Christi, per passionem ejus, etc. ; — 2° qui petit ex mandato Christi, ut discipulus et cliens Christi, nomen ejus velut in fronte gerens ; — 3° qui petit secundum mentem Christi, et ea quæ in nomine ejus peti conveniat.

Dabit vobis.

Promissio expressa quidem est, sed effectus promissioni respondere non semper videtur. Experimur enim, multos multa petere, nec impetrare. At vero ideo non impetrant, quia vel non petunt quæ oportet, vel non ea ratione aut modo quo oportet : *Petitis et non accipitis eo quod male petatis* (Jac. IV, 3) ; quia nempe deest vel fides ac fiducia, — vel contritio de peccatis et voluntas bene vivendi, — vel pietas, — vel perseverantia.

Petite et accipietis.

1° Benignissima sane Domini adhortatio, qua omnes moveri deberemus, eo magis quod omnes maxime indigemus...

2° Non tamen omnes Domini voci obediunt : alii quidem petunt et accipiunt ; — alii vero nec petunt nec accipiunt, sed inopes et miseri manent.

3° Quare miseri multi et egentes? Nonne quia non petunt? vel saltem, quia non ut oportet petunt?...

4° Porro illud *petite*, non tantum hortatorium, sed etiam præceptivum est : *Oportet* enim orare, imo *semper orare, et non deficere.* Luc. XVIII, 1.

Ut gaudium vestrum sit plenum.

1° En gaudii fons præcipuus : oratio sancta in nomine Christi, qua cum Patre cœlesti sicut filii charissimi loquentes, ineffabilem consolationem invenimus. *Tristatur aliquis vestrum? oret.* Jac. V, 13.

2° Inde *gaudium plenum* orietur, non tantum in vita futura, ubi erit perfecte plenum in gloria ; — sed etiam in vita præsenti, ubi erit inchoate plenum in ratione gratiæ : ita scilicet, ut bona gratiæ esuriens et oratione petens anima, iis vere satietur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. V, 6). — Qui ergo gaudere exoptat, oret.

3° Quanta Domini bonitas erga nos! En omnes conatus et suasiones ejus eo tendunt, ut nobis solatium et gaudium plenum procuret.

Jam non in proverbiis loquar vobis,
sed palam...

Scilicet, quando vere in nomine Christi orabimus, spiritu orationis animati, non tantum nos loquemur Domino, sed ipse Dominus loquetur nobis : adeo ut colloquium fiat cum Deo et conversatio ineffabilis, qua Creator suorum animas illuminet et accendat. Sic olim lucida facta est non solum anima Moysis, sed et faciès ejus *ex consortio sermonis Domini* (Exod. XXXIV, 29). — Hinc et Psalmista dicit : *In meditatione mea exardescet ignis.* Ps. XXXVIII.

Ipse Pater amat vos :
quia vos me amastis et credidistis.

1° Amari a Deo, cœlesti Patre, tanquam filios charissimos, quantum bonum, quam suave animæ nostræ solatium! Atqui hoc nobis continget, si Jesum fide viva, ut Dei Filium ac summum bonum intuebimur, eumque toto cordis affectu diligere voluerimus. Tunc enim *Spiritus testimonium reddet spiritui nostro quod sumus filii Dei* dilectissimi. Rom. VIII, 16.

2° At vero si Deus sic amat nos, cur ultro non illa dat quibus nos indigere novit, sed vult rogari a nobis?

Quia -1) Postulat Dei majestas, ut paternam ejus in omnes creaturas providentiam, summamque liberalitatem supplices profiteamur.

-2) Postulat hominis conditio, ut suam indigentiam agnoscat, seque a Deo pendere et in omnibus ejus ope indigere fateatur.

-3) Postulat idem donorum Dei dignitas : largitur enim nobis Deus gratiam et gloriam, qua nihil est præstantius.

-4) Postulat ipse erga nos amor Dei, qui filios suos coram se orantes videre delectatur, præsertim cum oratio multarum virtutum exercitium contineat : imprimis fidei, spei, charitatis. Est enim oratio, ut ait Chrysostomus, conversatio cum Deo, quæ hominem facit quasi angelum Deo familiarem.

Exivi a Patre, et veni in mundum ; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.

Similiter Christi discipulus, habitualiter per orationem Deo unitus esse debet ; ita ut ab oratione ad externa officia atque negotia descendat, inde iterum ad sinum Patris tanquam ad centrum reversurus, rebus terrenis sese non tradendo, sed commodando.

IN ASCENSIONE DOMINI.

—

SCHEMA PRÆVIUM.

DE MYSTERIO ASCENSIONIS DOMINICÆ.

—

Videntibus illis elevatus est. Act. I, 9.

En ultimum visibilis vitæ Christi mysterium, Ascensio. Hæc est omnium mysteriorum Domini, totiusque divinæ illius inter homines commorationis consummatio et corona, prout in Symbolis recitamus: *Descendit de cœlo... descendit ad inferos... et resurrexit... et ascendit in cœlum...* — Mysterium Domino gloriosum... nobis autem tum consolationibus, tum documentis plenissimum. — Quapropter oculis fidei atque in lumine Spiritus sancti, Ascensionem dominicam, tum in se, tum respectu nostri consideremus.

I. *De Ascensione Domini spectata in se.*
II. *De Ascensione Domini spectata respectu nostri.*

—

I. *Ascensio Domini spectata in se.* — 1° Est mysterium stupendum, Christo et humanæ naturæ gloriosissimum... Quis unquam tale quidpiam audivit, ut homo ex hoc mundo migrans, tolleretur in aera, in cœlos ascenderet!... Vix unquam poëtæ id fabulis finxerunt, quod in Jesu Nazareno realiter impletum est... — En exitus ex hoc mundo, longe differens ab exitu aliorum, qui non ascendunt, sed descendunt... Omnes in sepulcrum, multique etiam profundius decidunt... Omnes,

vel ipsi reges superbissimi e mundo exeunt descendendo; rex vero humilitatis, Christus, ascendendo... — O triumphus inauditus, a quo triumphales Cæsarum currus quantum dissimiles!...

2° Mysterium Ascensionis prædictum antiquitus fuerat et figuratum. *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis* (Ps. CIX). — *Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ* (Ps. XLVI). — *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Sina in sancto. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem; accepisti dona in hominibus* (Ps. LXVII. Cf. Ephes. IV, 8). — Figuram Ascensionis exhibuit Henoch, qui *placuit Deo, et translatus est in paradisum* (Eccli. XLIV, 16). Præclarius autem Elias, igneo curru et igneis equis raptus et ascendens per turbinem in cœlum. At vero melius ad Christum quam ad Eliam clamari potest : *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga ejus.* IV Reg. II, 12.

3° Mysterium Ascensionis mirabili modo impletum est. — Postquam enim per dies quadraginta Dominus multoties apparuisset Apostolis, exhibens seipsum vivum multis argumentis ac signis, et loquens de regno Dei; mandavit illis ut in Jerusalem promissum Spiritum sanctum exspectarent. Deinde discipulorum multitudinem eduxit in montem Oliveti, ubi antea orando pernoctare consueverat, et ubi dolorosam inchoaverat passionem. Cumque pervenisset in verticem montis, aspiciens benigne discipulos, in quibus totam Ecclesiam suam futuram, nosque singulos videbat, elevatis manibus suis, benedixit eis. — Quo felicissimo momento discipuli Dominum illum ac Magistrum suum a mortuis redivivum, faciem ejus suavi majestate perfusam, manusque perforatas contemplabantur... Aspicientibus autem illis, ecce mirabiliter Jesus sursum elevatus est. Jam pedibus terram non tangentibus, viator cœlestis proficiscens, *recessit ab eis*, inquit Lucas, *et ferebatur in cœlum. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Luc. XXIV; Act. I.

Nube absconditum non jam oculis carneis Jesum cernere... sed quidem oculis fidei eum ultra velamina nubium sequi

possumus. — Ecce ascendit super omnes cœlos, ut sedeat ad dexteram Patris... Thronus ei positus est, thronus ipsius Dei... *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.* Hebr. I, 8. — Ascendit homo verus, nostra carne indutus... homo mirabilis, Rex angelorum... Rex gloriæ : *Attollite portas principes vestras, et introibit Rex gloriæ...* (Ps. XXIII). Quanta exsultatione cœlestes exercitus Regem excipiunt adventantem!...

Neque solus ascendit, sed cum innumerabili multitudine justorum, quos e captivitate liberavit... cum cordibus amantium, quæ a terrenis affectibus soluta, quasi currui suo triumphali alligavit... *Captivam duxit captivitatem* (Eph. IV, 8).

Ingressus in cœlestem aulam, a Patre coronatur : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum... Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te* (Ps. CIX). — Ab Angelis et Sanctis adoratur ac celebratur : *Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum; et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem... sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum.* Apoc. V, 11.

Interim discipuli in monte Oliveti stantes, quasi in extasim rapti, oculis sursum intentis, nubem qua continetur Dominus aspiciunt; vident adhuc Jesum, non jam corporis, sed mentis ac fidei oculis... Adhærent Domino, non amplexu brachiorum, sed amplexu cordis et osculo charitatis : *Quis nos separabit a charitate Christi?...* (Rom. VIII, 35). Adhærent Domino, et in amplexu ejus unus efficiuntur spiritus... Ex hoc Christum unice amabunt, recogitabunt, loquentur, spirabunt... *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. II, 20). — Christum corde secuti sunt in cœlum; quare, licet in terris ambulent, in cœlis est conversatio eorum : *Nostra conversatio in cœlis est.* Phil. III, 20.

Cum Christo itaque jam invisibili spiritualiter conjuncti, angelorum voce dimittuntur. Quum enim intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo angeli in vestibus albis adstantes, dixerunt eis : *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet,*

quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum (Act. I 1, 1). Quasi diceretur : Nolite diutius immorari contemplando Domino ; sed fide pleni, ite, vosmetipsos et mundum universum ad ejus adventum præparate... — Vadunt ergo Christo pleni, ut laborent pro Christo, spiritualiter cum Christo versantes, sicut antehac cum ipso corporaliter conversati sunt... Pleni, inquam, Christo et rebus sanctis ac mirabilibus quas in Christo viderunt et audierunt : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ... testamur et annuntiamus vobis* (I Joan. I, 1). — *Non enim possumus quæ audivimus et vidimus non loqui.* Act. IV, 20.

4° Transactæ Ascensionis dominicæ triplex remanet monumentum : -1) mons Oliveti, ubi impressa Domini ascendentis vestigia, ubi ædificatum ab Helena templum superne claudi non potuit, ubi concursus et veneratio fidelium omni ævo, usque in hodiernum diem non desiit. — -2) Festum Ascensionis, quod, ab initio celebrari cœptum, usque in finem mundi celebrabitur. —3) Monumentum vivum sacrificii Missæ, ubi idem Jesus, qui ascendit in cœlum, in altare descendit ; ut nos non tantum beatæ ejus passionis, sed et resurrectionis et gloriosæ ascensionis jugiter memores maneamus...

II. *Ascensionis mysterium spectatum respectu nostri.* — 1° Est causa lætitiæ purissimæ : quippe quod ex una parte, gloriam triumphalem Domini ac Regis nostri, ex altera vero, pignus triumphi nostri ac futuræ ascensionis contineat...

2° Est causa futuræ ascensionis nostræ : causa scilicet, non meritoria quidem, sed exemplaris et efficiens. — Quatenus exemplaris, ostendit nobis qualis nostra ascensio sit futura.... — Quatenus efficiens, iis qui fide viva hoc mysterium meditantur, gratias communicat uberrimas, ut triumpho electorum digni evadant....

3° Pretiosissima continet documenta. — Ostendit, quæ sit patria nostra ad quam tendimus : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Hebr. XIII, 14.

4° Ostendit, quis sit christianæ vitæ exitus, et cujuscumque fidelis, etiam pauperrimi, destinatio : ascensio in cœlum !... *In domo Patris mei mansiones multæ sunt... Vado parare*

vobis locum... et iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis (Joan. XIV, 2). — *Nos qui vivimus rapiemur cum illis* (Sanctis) *in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus* (I Thess. IV, 16). — Quam differens ille exitus ab exitu peccatorum!...

5° At etiam ostendit conditiones ascensus nostri. — Ascensio enim non contingit nisi post resurrectionem (a peccatis) veram ac manifestam... — Consequitur post conversationem plane cœlestem... — Fit in vertice montis Oliveti : porro *mons* justitiam significat ac virtutem christianam... significat elevationem animæ ad Deum per orationem... significat arduitatem christianæ vitæ, qua ascendendum est per labores et certamina. — Mons *Oliveti* innuit imitandum esse Christum, qui in monte hoc orationi vacavit et passionis calicem accepit atque exhausit. Simul autem mons *olivarum* ostendit abundantiam olei atque unctionis Christi, quæ est unctio *gratiæ*, luminis, roboris, imo gaudii Spiritus sancti : *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Ps. XLIV.

6° Docet nos vitam fidei. — Christus ascendens, ab oculis corporeis nube absconditur, in quo tamen nubis latibulo verissime continetur : *Nubes latibulum ejus* (Job. XXII, 14). Quæ nubes mystica, sicut Israelitarum columna nubis, nihil aliud quam *fides* est... — Sicut Apostoli desinunt videre Christum in specie, eumque in nube contemplari incipiunt... desinunt cum eo versari corporaliter, incipiunt conjungi spiritualiter... ita et nos.... — Sicut incipit Christus cum Apostolis esse invisibiliter, ita nobiscum est, in nobis est et nos in ipso, ut fere lux in crystallo et crystallum in luce est, dummodo fide vivamus. *Vos in me, et ego in vobis* (Joan. XIV, 20). — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (Matth. ult.). — *Per fidem ambulamus, et non per speciem* (II Cor. V, 6). — *Si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (Ibid. V, 16). — In fide tanquam in nube ac velamine Christus cernitur, ac mente credentium attingitur ac possidetur... Utinam fides nostra sit viva, quasi nubes lucida, perspicua... ac pluviam auream gratiarum effundens!...

7° Domini ascensio docet nos mente ascendere, et in cœlestibus habitare... imo, Dominus ascendens, ad ascendendum nos provocat ac trahit. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans exʒpandit alas suas, et assumpsit eum* (populum suum), *et portavit in humeris suis* (Deut. XXXII, 11). — Nos provocat ad ascendendum, sed mirabili via humilitatis : non enim ascendit nisi qui prius descendit.... *Quod ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos.* Eph. IV, 9, 10.

8° Docet nos quid facere debeamus : nimirum, non sufficere ascensionem Domini contemplari, sed ad opera esse veniendum. *Fides sine operibus mortua est* (Jac. II, 20). — Quid statis aspicientes? Quid statis otiosi?... Ite, laborate, ad ascendendum vos præparate : quia veniens veniet et non tardabit, ut vos assumat : *Vos similes hominibus exʒpectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis... sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. XII, 35.

Conclusio. — O Jesu, ascendens in altum, captivam duc captivitatem meam... Trahe me post te, trahe corda nostra captiva, currui tuo triumphali alligata.... — Cede mihi, sicut Elias Elisæo, pallium cum spiritu tuo duplici; pallium charitatis, charitatis, inquam, Dei et proximi, ut te, Jesu, hominem cœlestem induam... — O Jesu! o via! o veritas! o vita! *Si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ* (Ps. CXXXVI).—*Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Ps. CXXI.

IN ASCENSIONE DOMINI.

—

Marc. XVI, 14-20. Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Luc. XXIV, 50-52. Eduxit autem eos foras in Bethaniam ; et elevatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno.

Act. I, 7-11. Dixit autem eis : Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate : sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. Et quum hæc dixisset, videntibus illis elevatus est; et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt juxta illos in vestibus albis ; qui et dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.

Explicatio prima.

Ascensio Domini solemnitas triumphalis est, qua visibilis ejus in hoc mundo conversatio terminatur. Sicut ejus vita, et præsertim dolorosa passio bellum fuit, resurrectio autem victoria; ita ascensio triumphus est, quo, post quadraginta a resurrectione sua velut præparationis dies, gloriose invehitur in patriam, in civitatem regiam, in cœlum.

Circumstantiæ ascensionis Domini, quoad tempus, locum, personas et modum, ex Scriptura colliguntur sequentes. Quadragesimo post resurrectionem die, juxta probabiliorem sententiam, die quinta Maii, discipulis Jerosolymæ congregatis Jesus apparuit, et cum eis fraterno prandio convescens, de proximo Spiritus sancti adventu locutus est. — Finito prandio, ut videtur, sub horam primam pomeridianam, Apostolos, aliosque discipulos prius convocatos, numero fere centum et viginti, eduxit in montem Oliveti, Jerosolyma mille passus distantem; et probabiliter ex itinere divertit in adjacentem Bethaniam, ut Magdalenam cum sua sorore et fratre Lazaro ad ascensum suum spectandum invitaret, prout ex hoc colligitur : *Eduxit autem eos foras in Bethaniam*. Luc. XXIV, 50.

Quæ fuerint colloquia ultima Deiparæ Matris cum Filio, item amplexus Domini et discipulorum, aliaque plura, quæ Scriptura non expressit, mente contemplari possumus, enarrare nequimus (1).

Mox autem, elevatis manibus suis benedixit eis, nempe Virgini Matri, Apostolis aliisque discipulis, apprecando et simul conferendo multa bona, his vel similibus usus verbis : Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos; ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis (Joan. XVII). — Benedixit autem elevatis manibus, sive eas extendendo ad cœlum in formam crucis, sicut Moyses (Exod. XVII, 11); sive eas in modum crucis

(1) *De Ponte*, in Ascens. Domini.

movendo, sicut nunc in Ecclesia usus obtinet, quem ex apostolica traditione manasse testatur Basilius.

Et contigit dum benediceret, ut videntibus illis sensim elevaretur in cœlum; cumque ascendentem aliquandiu contemplati essent discipuli, et sublimem adhuc cernerent, ecce nubes, vera quidem, sed gloriosa ac lucida, ita eum circumdedit, ut suo fulgore simul a spectantium oculis Dominum eriperet, et triumphantis majestatem ostenderet.

Cum intueri in cœlum perseverarent discipuli, a duobus angelis moniti sunt, Christum sic olim venturum ad judicium, quemadmodum viderant euntem in cœlum.

Ad comitatum ascendentis Domini quod attinet, omnes justi, sive qui erant in Limbo Patrum, sive qui tunc inventi sunt plene purgati in Purgatorio, ascenderunt simul cum Christo; et quidem nonnulli, nimirum ii, qui cum Christo resurgente resurrexerant, etiam corporibus gloriosis induti : *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem* (Ps. LXVII; Eph. IV, 8). — Quoad angelos vero, dubium non est quin omnes e cœlo descenderint, ut Christum ascendentem excuperent, eumque super omnes cœlos deducerent ad dexteram Patris. De Christo enim, angelorum Rege, scriptum est : *Adorate eum omnes angeli ejus* (Ps. XCVI); et : *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales; et introibit rex gloriæ.* Ps. XXIII.

Jam mysterium Ascensionis, prout hodierno Evangelio breviter a S. Marco refertur, exponamus.

Recumbentibus undecim discipulis,
apparuit illis Jesus.

Apparitio hic indicata, quam fusius narrant Lucas (XXIV, 36), et Joannes (XX, 19), ipsa die resurrectionis contigit, cum Dominus sub vesperam stetit in medio discipulorum, absente Thoma. Nec obstat quod tunc solum decem essent, hic autem undecim dicantur; nam nomine *undecim* designatur collegium Apostolorum, quod, ante defectionem Judæ, vocabatur *duodecim*, etsi per accidens unus alterve abesset.

Dicitur Dominus apparuisse *recumbentibus,* quia revera recumbebant ad mensam : quod ideo fortassis Marcus expressit, -1) ut innueret hac occasione Dominum, edendo et bibendo cum discipulis, resurrectionem probasse; prout Petrus Cornelio testabatur dicens : *Hunc Deus suscitavit tertia die, et dedit eum manifestum fieri... nobis, qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis* (Act. X, 41). — Non solum die resurrectionis, sed aliis in apparitionibus cum discipulis manducavit, præsertim ipso die ascensionis, ut Lucas significat dicens : *Et convescens.* Act. I. 4.

Et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

Id est, nonnullorum ex eis exprobravit, non quidem impiam fidei resistentiam, sed exiguam fidem, tarditatem ad credendum, ubi sufficientia argumenta et satis luminis dabatur ; quare alia occasione dixit : *O stulti, et tardi corde ad credendum.* Luc. XXIV, 25.

Et dixit eis :

Non tunc, quando recumbentibus undecim apparuit, sed postea, cum in monte Galilææ se iis aliisque videndum exhibuit (Matth. XXVIII, 16) ; Marcus enim, plurimis prætermissis, quædam Domini verba ex variis apparitionibus selecta conjunxit.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.

En missio divina Apostolorum, antea finibus Judææ limitata, nunc omni limitatione absoluta, ut, tum per ipsos primos Apostolos, tum per eorum successores, universus orbis evangelizetur. — *Prædicate Evangelium* : hæc apostolicæ legationis materia est, ut prædicent Christi Evangelium. — *Omni creaturæ*, i. e. omni creaturæ humanæ, omnibus gentibus : per synecdochen enim genus ponitur pro specie nobilissima, quæ est species humana.

Porro recte hoc loco homines vocantur *creaturæ*, -1) ut tam generali vocabulo intelligatur, neminem excipi ; -2) quia homo est creatura per excellentiam, ad Dei imaginem facta, et totius creationis visibilis caput, quæ per Apostolicam prædicationem ad pristinam dignitatem est revocanda.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur.

Hæc verba veluti summam legis Evangelicæ una cum sua sanctione continent. Nam in fide et in Baptismo, tanquam in duplici radice, omnia christianæ religionis officia includuntur: in fide quidem officia interna, spes, pœnitentia, charitas, et a charitate fluentia beneficentiæ opera ; in Baptismo autem officia externa, quæ in obedientia Ecclesiæ præstanda, in sacramentorum usu, totoque cultu publico consistunt. — Ergo dici potest, duo tantum ad salutem requiri, fidem et Baptismum, dummodo hæc duo sensu adæquato intelligantur, quatenus nempe reliqua omnia includunt.

Salvus erit, primum *in spe*, donec in terra vivet ; deinde *in re*, si Baptismi obligationes implere perseverans, morte justorum moriatur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. XXIV, 13.

Qui non crediderit : intelligenda est vox *credere* vel *fides*, sensu adæquato, prout continet tum Baptismum, quod fidei sacramentum est, tum cætera omnia quæ ex fide nascuntur et sequuntur: *Qui non crediderit* tali modo, *comdemnabitur.*— *Nota.* De adultis hic sermo est, qui et prædicationem audire et credere possunt ; non vero de parvulis, qui absque actuali fide, Baptismo regenerantur et salvantur.

Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur...

Hæc et similia signa comitabuntur fideles meos, non quidem omnes singillatim, sed collective sumptos ; ita ut eorum cœtus, i. e. Ecclesia mea, miraculorum charismate semper insignita appareat, vitamque suam divinam per illos veluti radios manifestet. — Quoniam miracula tanquam *signa* veræ Ecclesiæ ponuntur, hinc patet, ea initio magis necessaria

fuisse; deinde vero, Ecclesia semel stabilita, miracula plus minusve frequentia fieri posse, pro circumstantiis et temporum opportunitate. Non enim miracula abundare, ut Augustinus ait, fidelibus expediret, *ne animus semper visibilia quæreret.*

In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt.

Virtute scilicet ac potentia mea, quam invocantibus nomen meum communicabo, dæmonia ex energumenis ejicient, habebunt donum linguarum, serpentes tollent : eos nempe ex locis quæ infestabant delendo, vel etiam impune manibus tenendo, ut Paulus viperam illæsus tenuit (Act. XXVIII, 3) ; — et si venenum biberint, non eis nocebit, prout contigit Joanni ; demum dono curationum infirmos sanabunt : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.

Postquam Dominus, tum hæc, tum alia multa variis apparitionibus esset locutus, quum ultima apparitione duxisset discipulos in montem Olivarum, *assumptus est in cœlum* : i. e. ascendit propria virtute, seu virtute divinitatis suæ, mediante dote agilitatis glorioso suo corpori indita.

Et sedet a dextris Dei.

Christus ab oculis discipulorum nube absconditus, ascendit super omnes cœlos, et super omnes angelorum ordines usque ad thronum Dei, ubi sedet ad dexteram Patris.

Illud *sedere ad dexteram Patris* intelligendum est non sensu proprio et corporali, quamvis sessio corporalis etiam Christo utpote homini conveniat ; sed sensu spirituali ac metaphorico. Dicitur Christus *sedere*, ratione quietis, beatitudinis, et imperii : sedet bellator post pugnam, sedet qui triumphat,

sedet qui regnat. — Dicitur sedere *ad dexteram* Patris, ratione majestatis et omnipotentiæ, quam æqualem cum Patre obtinet.—Sedere ergo Christum ad dexteram Patris, significat eum, secundum divinitatem, æquali cum Patre majestate ac potestate pacifice regnare; secundum humanitatem vero, non tantum habitare in gloria cœlesti, æternamque beatitudinem tanquam ultimum omnium viarum suarum, laborum ac mortis terminum adeptum esse : sed etiam, tanquam supremum Regem ac Judicem, dominari et præesse omnibus creaturis, tanta (ob communicationem idiomatum) dignitate præcellentem, ut in eodem solio cum Deo sit, et eadem adoratione colatur : *Super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Eph. I, 21.

Porro Apostoli, mandatis Domini in cœlos digressi obtemperantes, Evangelium prædicarunt, et, prout idem Dominus promiserat, miracula patraverunt : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*

—

Explicatio secunda.

Recumbentibus undecim discipulis, apparuit illis Jesus.

Sæpius post resurrectionem suam Dominus cum discipulis suis mensæ accubuit, et quidem ipso ascensionis die, ut S. Lucas indicat (Act. I, 4), cum eis voluit convesci, eosque a mensa, seu a Cœnaculo ad montem ascensionis deducere : non solum ut quam plenissime suam resurrectionem manifestam faceret, sed etiam ut nos hac agendi ratione doceret. Hinc enim intelligimus, Dominum cum suis spiritualiter epulari velle : nimirum, 1) in convivio orationis, ubi eos reficit pabulo gratiæ, 2) in convivio sacræ Communionis, ubi eos consolatur, docet, et roborat, ut ipsum in Ascensionis

montem sequi valeant; -3) in convivio cœlestis gloriæ, ubi illi qui permanserint fideles cum ipso in tentationibus, cum ipso quoque æternum epulabuntur : *Ut edatis*, inquit, *et bibatis super mensam meam in regno meo* (Luc. XXII, 30). — *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos . et in Jerusalem consolabimini.* Isai. LXVI, 13.

Exprobravit incredulitatem eorum.

Non sine causa inter novissima Domini monita, hanc exprobrationem Evangelista posuit, ut alte tum Apostolorum tum nostris animis insideret, fidem vividam esse omnis spiritualis boni radicem; fidem vero exiguam, principium esse omnis ignaviæ, omnis periculi, omnisque detrimenti in re salutis. Quare nihil magis nobis divinus Magister inculcavit quam fidem : *Habete fidem Dei* (Marc. XI, 22). — Nonne forsitan ad nos multo magis quam ad Apostolos, hujusmodi exprobratio spectat?...

Prædicate Evangelium omni creaturæ.

1° En missio divina Ecclesiæ, qua ministri sacri, non suo nomine, sed nomine Christi, evangelicas veritates prædicant.

2° En mandatum Domini, vi cujus Evangelium barbaris populis missionarii annuntiant. *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Rom. X, 15.

3° Mandatum illud non tantum ad sacerdotes et viros apostolicos spectat, sed etiam ad omnes fideles, qui ad opus evangelicum cooperari possunt et debent : -1) opera zeli, ut Propagationis fidei, sanctæ Infantiæ, Universitatis catholicæ, etc., eleemosynis juvando; -2) bonam educationem et institutionem puerorum procurando; -3) proximum suum bono exemplo ædificando : quod tunc efficient, si non tantum in omnibus sese irreprehensibiles exhibeant, *ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (Tit. II, 8); sed etiam per bona opera, lucem ac bonum Christi odorem diffundant, *ut glorificetur Pater qui in cœlis est.* Matth. V, 16.

Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.

1° En lex Evangelica, universo mundo divinitus imposita. Ad omnes, tam divites quam pauperes, tam reges quam subditos, obligatio fidei christianæ pertinet. En lex fundamentalis, constitutio quædam divina, quam humanum genus, humanique legislatores omni tempore et loco revereri debent. Utinam revereantur hanc basim omnis ordinis, omnis pacis et felicitatis nationum (1) !

2° En discrimen omni homini in hoc mundo propositum : *salvus erit*, vel *condemnabitur*, salus nimirum vel damnatio, cœlum vel infernus. Unusquisque eligat necesse est : nam ad æternitatem ineluctabiliter rapitur, ubi in uno vel in altero habitaculo, prout ipsemet elegerit ac paraverit, immutabiliter constituetur.

3° Qui vult salvus esse, conditiones impleat, quæ clare proponuntur, et sunt : *fides* et *Baptisma;* at fides cum operibus, et Baptisma cum obligationibus annexis. Qui crediderit et baptizatus fuerit utique salvus erit, dummodo, ut S. Gregorius ait, iis quæ credendo dicit, moribus non contradicat; dummodo quæ Baptismo promisit, impleat : Tunc enim, inquit ille Pater, *veraciter fideles sumus, si quod verbis promittimus operibus complemus. Vera etenim fides est; quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.* — Ut quis damnetur, sufficit ut non credat : *Qui non crediderit condemnabitur.* Solus enim fidei defectus tanquam damnationis causa indicatur : non quod unicum, sed quod præcipuum sit damnationis principium. Cur namque Dei lex violatur? cur passionibus servitur? nisi quia non viva fide apprehenditur imminens æterna salus aut damnatio, etc. — Quanta ergo cura cavendum est a venenatis lectionibus, aliisque periculis, quæ fidem possint debilitare et exstinguere?...

Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur....

1° Credentibus miracula promittuntur, ut iterum fidei virtus et efficacia commendetur.

(1) *Adjumenta,* Argum. 29 et 31.

2° Signa hujusmodi revera secuta sunt : prout ab octodecim sæculis historia declarat, et ipsa Ecclesia tanquam monumentum vivum, imo tanquam miraculum quoddam perenne testatur.

In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, et bene habebunt.

Hæc signa, prout externa et proprie dicta miracula sunt, ab omnibus fidelibus non sunt patranda; at vero spiritualiter intellecta, ab omnibus effici possunt et debent. — Ex mente enim S. Gregorii, dæmonia ejiciunt illi, qui per veram pœnitentiam peccata e suis vel aliorum cordibus depellunt; — qui autem verba peccaminosa et sæcularia derelinquunt, ut verba charitatis, pacis, orationis, etc. frequentent, linguis loquuntur novis; — qui bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; — qui prava exempla vident, vel concupiscentiæ stimulos sentiunt, sed iis fortiter resistunt et minime cedunt : mortiferum quid bibunt quin eis noceat; — qui operibus charitatis, vel boni exempli efficacia, proximos a peccato reducunt, vel in bono titubantes confirmant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, ut bene habeant?... Quæ nimirum miracula tanto majora sunt, quanto pretiosior est anima quam corpus : cum per illa non corpora sed animæ curentur.

Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.

1° Quanta gloria Christo! Quantum gaudium amantibus Christum, quod eum in regnum, in gaudium, in gloriam intrare videant !...

2° Quam suavis prospectus, quam jucunda spes Christi discipulis atque membris! Quo enim præcedit caput, eo et membra brevi sequentur.

3° Jam nunc in terris degentes assumi debemus cum Christo in cœlum : *Ut ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus...*

4° Cur Christus in cœlum ascendit?—1) Ut suam doctrinam confirmaret, eamque ostenderet esse cœlestem. -2) Ut cœlum hominibus peccato Adæ clausum reseraret. -3) Ut demonstraret, regnum suum non esse terrenum et temporaneum, sed cœleste et æternum. -4) Ut cum corpore suo glorioso in propria sede habitaret : corporis enim gloriosi proprius et congruus locus est cœlum. -5) Ut angelos suo conspectu exhilararet, et cœlum sua gloria ornaret : *Lucerna ejus est Agnus* (Apoc. XXI, 23). -6) Ut mitteret Spiritum sanctum, nostramque causam jugiter apud Patrem ageret, ei sua vulnera ostentando. 7) Ut ab alto cœlorum throno Ecclesiam suam totumque mundum gubernaret.

5° Cur Christus spectantibus discipulis ascendit? — Non tantum ut eorum fidem hoc spectaculo confirmaret, sed etiam ut corda sursum traheret, ut humilitatem esse exaltationis principium doceret, etc. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Deut. XXXII, 11.

Dicit Lucas Dominum, cum in cœlum ascenderet discipulis benedixisse : *Et elevatis manibus suis benedixit eis.* Quæ suprema Domini benedictio mysteria plurima eaque jucundissima continet.

Nam 1° terram relinquit benedicendo, ac beneficia effundendo, ut suum amorem mundo manifestet; utque omnes intelligamus, omnia bona nobis de manibus ejus, adeoque de Corde ejus amantissimo descendere.

2° *Elevat manus,* perforatas, -1) ut pateat misericordia ejus, qua non vindictam, sed benedictionem reddere vult illis qui ipsum vulnerarunt; -2) ut sciamus, omnem benedictionem meritis crucis ejus deberi, et velut ex vulneribus ejus dimanare; -3) ut insinuet, benedictionem quam nobis impertire vult, non esse de bonis terrenis, sed cœlestibus, quæ elevando manus veluti ostendit; -4) ambas manus elevat, ut bona gratiæ et bona gloriæ, quasi utraque manu nobis largiatur.

3° *Benedixit,* vera bona eis, non solum verbis apprecando, sed efficaciter paratis cordibus conferendo. Cujus nos

beatæ benedictionis possumus esse participes, -1) nos conjungendo cum fidelibus ejus discipulis, per vitam vere christianam; -2) cum reverentia accipiendo benedictionem sacerdotis, Episcopi, Romani Pontificis, qui loco Christi, fidelibus benedicere pergunt.

4° Hæc Domini benedictio fons est omnium bonorum, quæ humanum genus in Christo possidet : *Deus enim benedixit nos in omni benedictione spirituali in* (rebus) *cœlestibus in Christo*. Eph. I, 3.

5° Benedictio hæc imago est et pignus benedictionis supremæ, quam in die judicii pronuntiabit electis : *Venite, benedicti Patris mei!...*

6° Huic benedictioni opponitur maledictio, iis reservata qui benedictionem accìpere noluerint : *Dilexit maledictionem, et veniet ei ; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Ps. CVIII.

Et sedet a dextris Dei.

En Christi post laborem quies, post passionem felicitas, post humiliationes gloria. Quæ nostræ futuræ sortis imago est : *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo ; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Apoc. III, 21 (1).

(1) *Adjumenta*, Argum. 50, *de Paradiso.*

DIE II FEBRUARII.

IN FESTO PURIFICATIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS (1).

Luc. II, 22-32. Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur ; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel ; et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et quum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum : lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel.

(1) Evangelii *de Festo Immac. Conceptionis (die VIII Decembris)*, distincta expositio non exhibetur ; cum includatur in Evangelio *Annuntiationis B. M. V.*, quod infra videri potest.

Explicatio prima.

I. *Purificatio et præsentatio in templo.*
II. *Occursus Simeonis.*

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino.

Narraturus est Evangelista quomodo sanctissima Dei Genitrix, tum sui purificationem, tum filii sui præsentationem lege præscriptam impleverit; et quomodo, inter illam cæremoniam sanctam, divinus infans mirabiliter a Simeone sene sit agnitus.

Postquam, inquit, *impleti sunt dies purgationis ejus :* id est cum advenisset, jamque ageretur dies lege statutus, quo Maria legaliter purganda videbatur, quique dies erat quadragesimus a die nativitatis Domini inclusive; sanctissima Mater omnia perficere voluit secundum legem.

Secundum legem Moysi. — Lex Moysi, quæ infra vocatur *lex Domini*, quia a Domino data fuerat ministro Moyse, duo præscribebat quadragesimo die facienda, quorum unum respiciebat matrem, alterum vero prolem. Jubebat enim,-1) ut mulier, si peperisset masculum, ab immunditie sua legali purificaretur in templo, ubi in holocaustum offerret agnum cum uno pullo turturis vel columbæ; quod si pauper esset, non agnum, sed par turturum duntaxat, aut duos pullos columbarum daret : unum in hostiam pro peccato, id est, pro immunditia illa legali et externa, quæ peccati velut imago erat ideoque peccatum appellabatur; alterum in holocaustum ac gratiarum actionem pro felici partu et prole accepta.

Præscribebat lex,-2) ut si proles esset filius et primogenitus, *sisteretur* et offerretur Deo.

Quæ præscripta legis summatim, ordine tamen inverso, sic Evangelista citat :

Sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Scilicet in Levitico sic legimus : *Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus... et triginta tribus diebus... nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ... Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti; qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur. — Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccato; orabitque pro ea sacerdos et sic mundabitur* (Levit. XII, 2 seqq.). — In Exodo autem : *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel... Omne quod aperit vulvam generis masculini, meum erit.* Exod. XIII, 1, 2; XXXIV, 19.

Dicit Evangelista venisse Jerosolymam parentes Domini, ut legem implerent et ut darent hostiam... *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Lex modo recitata tanquam hostias requirebat agnum vel columbas; quia, cum de mundatione ageretur, congruebant agni, turtures, et pulli columbini, ut innocentissima, ita mundissima animalia.

Prioris generis hostiæ, quam divites offerebant, agni nimirum cum pullo columbæ, Evangelista non meminit : sic insinuans, Mariam pauperem fuisse et pauperum munus obtulisse. Non quod nullo modo suppeteret ei facultas emendi agni, quæ filium quinque siclis redimere poterat; sed quia se gerere voluit prout sua ferret conditio. Nec enim decuisset, etiamsi suppetisset ipsi pecuniæ aliquid ex dono Mago-

rum aut aliunde, ut quæ conditione pauper erat, divitum subito oblationem præferret.

Porro utrum Beatissima Mater obtulerit turtures an pullos columbarum, Evangelium non dicit, cum id, per legem, offerentis arbitrio relinqueretur. Quidam conjiciunt eam dedisse turtures, eo quod illud anni tempus nondum ferat pullos columbinos sacrificio idoneos; et aliunde turtures, a castimonia commendati, virgineæ Matri, virgineæque Proli magis convenirent.

Quod dicitur, *sanctum Domino vocabitur*, seu sanctum Domino erit, ei sanctificabitur : idem significat, ac *erit Domino dicatum*, sanctuarii ministerio addictum, et quasi res sacra, quam Dominus possideret ut suam : *Meum erit.* — Hinc intelligitur et illud *sisti Domino*. Nam si Domini erat omne masculinum primogenitum, æquum erat ut ad Dominum afferretur, ac Domino in templo suo sisteretur; et recognoscerent parentes, nihil sibi juris in illud competere, nisi Dominus sponte jus ipsis cederet suum : sed fieri de eo debere id quod Dominus statuisset. Porro statuerat Dominus, ut primogeniti filii pretio redimerentur, eo quod tulisset Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel, ut ministeriis sacris fungerentur, in tabernaculo fœderis seu templo.

Cujus rei origo ut intelligatur, cum olim Deus, percussis primogenitis Ægyptiorum, omnia primogenita Hebræorum illæsa servasset, voluit ut hæc tanquam sibi debita offerrentur, sibique in ministerio sacro deservirent. Postquam autem tribus Levi ad functiones sacras assumpta est, et Levitarum numerus sufficere potuit; statuit Dominus, ut primogeniti filii aliarum tribuum quinque siclis (qui duodecim circiter francis æquivalent), redimerentur. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel... eruntque Levitæ mei : ego sum Dominus. In pretio autem* (pro primogenitis filiorum Israel) *accipies quinque siclos per singula capita* (Num. III, 44 seq.). — *Omne primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.* Exod. XIII, 13.

Hisce legibus etsi nec Maria nec Jesus tenebantur, eas tamen servare voluerunt. — 1° Non tenebatur Maria lege purificationis, ut quæ non carnali semine, sed de Spiritu

sancto conceptum, divinum filium genuerat, nec ullam immunditiem virgineo partu contraxerat. — Multoque minus lege præsentationis et redemptionis obstringebatur Christus, qui et auctor legis erat et primogenitorum servator; et aliunde non indigebat Deo consecrari, cum suapte natura Deo Patri suo esset indivisim unitus, et *Sanctus sanctorum*.

2° Sponte tamen Dominus, sicut Circumcisionis, ita Præsentationis præscriptum implevit; voluitque ut sua purissima Mater purificationis legi se subjiceret, atque cæteris puerperis se conformaret: -1) ne secus homines, Virginis Matris puritatem ignorantes, neglectu purificationis offenderentur; -2) ut humilitatis et observantiæ legis præberet exemplum; -3) ut publice constaret Christum esse primogenitum, quod multis modis ad ejus dignitatem pertinebat; -4) ut præclaro quodam actu figuraretur, Christum esse spiritualiter *primogenitum in multis fratribus* (Rom. VIII, 29); —5) ut perfectæ devotionis humano generi daretur documentum.

Tulerunt illum in Jerusalem.

Ut itaque legem Deique consilia implerent, Maria et Joseph profecti e Bethlehem, contulerunt se Jerosolymam: Maria quidem dulcissimum natum in sinu ferens, et venerabilis sponsus ejus, parata munera manibus portans, Domino secundum legem offerenda.

Intrantibus illis cum puero Jesu in templum, impleri cœptum est vaticinium Malachiæ: *Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, et angelus testamenti, quem vos vultis* (Malach. III, 1). — Et illud Aggæi: *Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ; veniet enim desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* Agg. II, 8, 10.

Ingressa itaque in templum humilis Virgo, tanquam immundam se continens, inquit Lucas Brug., venit in atrium primum, quod *atrium profanum*, seu *atrium gentilium* vocabatur (pro quo Moyses, ante exstructum templum, dicit, *ad ostium Tabernaculi testimonii*), et aviculas, seu hostiolam suam Deo obtulit per manus sacerdotis. Qua oblatione

peracta, admissa est in *atrium sanctum* populi Israel, tanquam purificata jam ac munda.

In hoc sanctiore loco alteram legis partem implevit, et Filium suum primogenitum sacerdoti ac Deo exhibuit atque obtulit. Nec dubium sane quin gratissimam habuerit Dominus oblationem istam, et e Sancto sanctorum Virgini responderit, quod alias e cœlo : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (Matt. III, 17). Nunquam enim in tabernaculo fœderis hujusmodi oblata fuerat hostia, nunquam in templo Salomonis magnifica adeo et gloriosa oblatio apparuerat.

Ut autem omnia quæ lex statuebat impleret, oblatum Filium Maria pretio quinque siclorum a sacerdote redemit. Redimi enim voluit Christus a ministerio illius templi et sacerdotii Aaronici; sed ita, ut maneret Deo Patri suo consecratus, utque aliquando coram eo fungeretur sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, ad salutem totius humani generis.

Interea, dum humillima Dei Genitrix, cum Sponso suo, in atrio sancto versaretur, sicut una de matribus Israel; et absconditus Dei Filius sese legi subjiceret, sicut unus de puerulis Israel : ecce a viro quodam Dei, Simeone sene, mirabiliter est agnitus.

Et ecce homo erat in Jerusalem,
cui nomen Simeon.

Rem novam et attentione dignam relaturus, Evangelista annuntiat dicendo : *Et ecce...* Producit scilicet mirabile et præclarum testimonium de Christo puero perhibitum in templo. Etenim Simeonis et Annæ prophetica verba mox referenda, testimonium continent quod Jesus sit promissus Messias; quemadmodum verba Zachariæ, Elisabeth et angelorum, supra recitata, eamdem veritatem demonstrant.

Ea de causa venerabilis senex qui hic ab Evangelista inducitur, describitur imprimis accurate, ut testimonii ejus de Messia infantulo gravitatem intelligamus.

Homo, inquit, *erat in Jerusalem, cui nomen Simeon :* quasi virum inter Jerosolymitas notum nominans. Simeonem enim

nequaquam obscuræ famæ, ut Calvinus asseruit; sed Jerosolymis nobilem fuisse, interpretes catholici passim existimant (1).

Et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel.

Quod dicitur homo *justus*, id est, homo in via virtutis ambulans, et propterea interne justitia seu gratia sanctificante ornatus, Deoque gratus et amicus.

Timoratus, id est, religiosus, qui filiali pietate timet et reveretur Deum, cavetque studiose ne eum offendat.

Expectans consolationem Israel: expectans scilicet ardentibus votis ac desideriis Christum consolatorem Israel; seu consolationem, quam Christus brevi israelitico populo esset allaturus. — Christum enim prophetarum oracula in hoc venturum promiserant, ut populum Israel variis modis afflictum consolaretur. *Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus* (Isai. LI, 3). — *Spiritus Domini super me... ut consolarer omnes lugentes: ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris* (Isai. LXI, 1 seq.). Consolatio autem juxta prophetas per Christum afferenda, erat liberatio de mortalis hujus vitæ miseriis : primo quidem de erroribus et peccatis; deinde etiam de afflictionibus corporalibus, quas si non statim auferret, saltem per copiam solatiorum ac bonorum spiritualium, interim maxime alleviaret. Hinc enim Apostolus *gloriatur in tribulationibus* (Rom. V, 3); — *quoniam sicut abundant*, inquit, *passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* II Cor. I, 5.

(1) *Simeon* (quod idem nomen est ac Simon), existimatur vir fuisse inter coævos notissimus, et fortassis idem qui Synedrio præfuit post Hillelem patrem, fuitque ipse pater Gamalielis, cujus se discipulum dicit Paulus, Act. XXII, 3. — Non dicitur a Luca, nec fuisse videtur *sacerdos;* quam ejus qualitatem Evangelista, cum enumeret omnia quæ ad viri dignitatem facerent, nequaquam tacuisset. Imo, dicendo : *Homo erat in Jerusalem*, ipsa epitheti simplicitate, laicum fuisse potius significat. Nihilominus opinio contraria S. Athanasii, S. Epiphanii, et inter recentiores Cardinalis Toleti, ut Lucas Brug. dicit, probabilitate non caret.

Hujusmodi consolationem et consolatorem Simeon *exspectabat*, i. e. non tantum credebat, aut sperabat aliquando adfuturum, desiderabatque quemadmodum veteres ante eum patres; verum etiam exspectabat tanquam vicinum, et indies adventantem. — Vicinum enim Christi adventum cognoverat, partim ex Scripturis, partim ex oraculo quod ea de re divinitus acceperat, prout mox dicetur.

Et Spiritus sanctus erat in eo.

Spiritus sanctus in hoc homine justo erat tanquam in suo templo; ejusque animam ita occupabat, ut Simeon non tam terrenus homo, quam cœlestis et divinus esse videretur. Erat enim in eo Spiritus sanctus sua dona diffundens, nominatim donum prophetiæ. Quare, velut effectum inhabitantis divini illius Hospitis, statim Evangelista subjungit :

Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Quapropter *responsum*, hoc est, oraculum et promissum divinum interna inspiratione acceperat, non experturum se mortem, *nisi prius videret* Messiam, *Christum* seu Unctum *Domini*.

A Deo scilicet electus erat Simeon, ut unus esset ex illis hominibus, quibus Deus Christum recens natum manifestare vellet. Merito enim S. Thomas inquit (1), ut ab ipsa Christi nativitate ostenderetur, salutem ab ipso omnibus hominum conditionibus afferri; ideo manifestatus est personis diversis, pastoribus, et Magis, et Simeoni, et Annæ. Per pastores et Magos repræsentantur Judæi et Gentiles, illi e propinquo, isti a longe ad eumdem angularem lapidem concurrentes; per eosdem figurantur hinc sapientes et potentes, inde viles et simplices. Per Simeonem et Annam justi, sicut per Magos peccatores; et iterum per Simeonem et Annam viri et mulieres repræsentantur : ut omni modo significetur, nullam hominum conditionem a Christi salute excludi.

(1) Part. 3, q. 36, art. 3.

Porro sicut Magis stella corporea, et pastoribus angeli ; ita Simeoni Christum ostendit ipse Spiritus sanctus. Cum enim, ait Lucas Brug., Simeon justus, magno adventus Messiæ desiderio flagrans, ardenter oraret Deum cum Moyse, *ut mitteret quem missurus esset* (Exod. IV, 13) ; et cum Isaia suspiraret : *Rorate, cœli desuper, et nubes pluant Justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem! — Utinam disrumperes cœlum et descenderes* (Isai. XLV, 8; LXIV, 1.)! — Sic, inquam, desideranti et petenti Spiritus sanctus respondere dignatus est, et promittere, fore ut quod patriarchæ et prophetæ frustra concupiverant, ipse mox oculis corporeis videret : *Non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini.*

Nisi videret Christum Domini. — Ille qui modo vocabatur *consolatio Israel,* et paulo inferius vocabitur *Salutare Dei*, hoc loco dicitur *Christus Domini;* nec alius est quam *Salvator mundi.*

Christus, vox græca, idem sonans ac hebraice *Messias* et latine *Unctus*, nomen est dignitatis, Salvatoris characteres et munera indicans : munera scilicet Regis, Sacerdotis et Prophetæ (1). — Solebant enim sub Veteri Lege, reges, sacerdotes et prophetæ sacro oleo ungi (2), quo declararetur, illos Deo sacros dicatosque esse ad sua illa munera obeunda : oleo significante Spiritus sancti gratiam, per quam ad eadem munera idonei redderentur. Hinc fiebat, ut illi omnes *Christi* appellarentur; ut in Ps. CIV, 15 : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.*

Omnia hæc Deus ordinaverat in typum illius quem Lex promittebat, quique antonomastice, seu per excellentiam vocatus *Christus,* et *præ sociis omnibus unctus oleo lætitiæ* (Hebr. I, 9), id est, repletus Spiritu sancto et gratia *absque mensura* (Joan, III, 34); simul Regis, Sacerdotis, et Prophetæ seu Doctoris, munere esset perfuncturus.

Quod dicitur *Christus Domini*, hoc est, a Domino unctus Spiritus sancti plenitudine; prout Petrus dixit in domo Cornelii centurionis : *Jesum a Nazareth... unxit Deus Spiritu*

(1) Cf. *Elementa Theol. dogm.* tract. 8, *de Incarn.* cap. 3. n. 274 seqq.
(2) I Reg. X, 1 ; III Reg. I, 39; Levit. VIII, 12 ; III Reg. XIX, 16.

sancto et virtute (Act. X, 38, 42) : ut esset nempe ille Christus a Lege et prophetis olim promissus, et a sanctis omnibus hactenus exspectatus ac desideratus, a Deo, per hypostaticam unionem, unctus consecratusque Rex, Sacerdos et Propheta : — Propheta, ad dandam scientiam salutis plebi ejus ; — Sacerdos, ad reconciliandum illos Deo ; — Rex, ad protegendum illos et ornandum.

Et venit in spiritu in templum. Et quum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo...

In spiritu, id est, instinctu Spiritus sancti incitatus, in templum venit. Non fortuito, nec vocatus aut excitatus ab homine, sed agente eodem Spiritu sancto, qui antea promiserat ipsi conspectum Christi ; ingressus est in templum illa ipsa hora, qua puerum Jesum Domino sisterent.

Quum inducerent, hoc est, vi aoristi græci, *quum introduxissent* Jesum in atrium sanctum templi. Maria enim, purificatione peracta, progressa erat, Josepho duce, in atrium sanctum populi Israel, secum ferens puerum Jesum brachiis, ut illic *facerent secundum consuetudinem legis pro eo*, id est, ut sisterent eum Domino : quum ecce occurrit Simeon.

Et ipse accepit eum in ulnas suas.

Scilicet, vir Dei, cum in media multitudine vidisset Virginem Nazarethanam, substitit ; et superno lumine, sive voce quadam interna, sive externo indicio admonitus, cognovit in Mariæ sinu abscondi illud *salutare Dei* quod exspectabat (1). Corde igitur exsultans, præ gaudio lacrymans, facie fidem, amorem, ac reverentiam summam spirante accessit, spiritu non verbis loquens. Quem ubi vidit pia Mater, divina opera-

(1) Inter multos, inquit Lucas Brug. in hunc loc., credibile est, puerulos, qui aderant præsentes cum matribus suis ut Domino sisterentur ; Simeon, perspicacissimis fidei oculis, agnovit Jesum Mariæ filium esse Christum, præsertim Spiritu sancto revelante auriculam ejus, et dicente : Ecce Christum, cujus visum ante mortem promisi tibi.

tione intellecta, puerum ei ostendit et tradidit. Etenim non contentus ille credidisse et vidisse, inenarrabili perfusus gaudio accepit Jesum in ulnas, nec se continuit, quin summo pietatis et amoris affectu amplecteretur atque oscularetur. Quanta tunc fuerit beati senis jubilatio, nulla sane lingua exprimere potest : cum Deus, ultra sua promissa ipsi concederet, non tantum videre, sed etiam tangere et ulnis stringere Salvatorem! Tantum thesaurum, nulli unquam clarissimorum regum contigit portare manibus. *Qui cœlo terraque non capitur*, ait Beda, *grandævi hominis gestatur totus in ulnis.*

Et benedixit Deum, et dixit...

Tantam gratiam consecutus Simeon, *benedixit Deum*, id est, cum gratiarum actione laudavit, quod divinæ promissionis compos factus, non tantum videre Christum Domini, sed et ulnis dilectionis amplecti licuisset. Erupit igitur in canticum laudis :

Et dixit. — Sicut Zacharias et Maria, et ante eos alii justi, ex more quodam sancto, post accepta singularia beneficia, Dei misericordiam ac gloriam publicis encomiis celebrarunt ; ita nunc Simeon a Spiritu sancto carmen edit gratulatorium, quo suam erga Deum gratitudinem testatur, qui Filium suum et in mundum miserit, et ipsi dederit conspiciendum ac tractandum.

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace.

Ordo verborum, ob affectum loquentis turbatior, hac ratione construendus est : *O Domine, nunc dimittis in pace servum tuum, secundum verbum tuum ;* sensusque est : Nunc, o Domine, ex hac vita me dimittes quandocumque placuerit (quod non dubito, et spero brevi fore), tranquillum animo ac lætum, quippe voti compotem, consentanee promissioni tuæ. Promiseras enim, non prius moriturum me, quam vidissem Messiam tuum : nunc impleta est promissio tua et exoptatio mea, ideoque libenter et quieta mente moriar, ubi tibi visum fuerit.

Quod dicit *in pace* moriar, id est, ita omnis voti compos effectus, ut nihil amplius in hac vita desiderem. Simili modo Jacob, viso filio Joseph, quem crediderat mortuum, exclamavit : *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo* (Gen. XLVI, 30). — Nomen enim *pacis* Hebræis quam Latinis latius patet : non tantum concordiam significans, verum etiam salutem, sanitatem, prosperum successum, plenamque in satiatis desideriis cordis felicitatem. — Dicit itaque beatus senex, ita sibi in hac vita satisfactum, ut jam mori paratus sit ; et rationem subjungit :

Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

His verbis : *Viderunt oculi mei*, magna, inquit Lucas Brug., subest emphasis, ita ut pleonasmus locum habere non videatur. Sensus enim est : Nunc tandem vidi, non solum fide ac mente, ut hactenus ego et patres nostri ; verum etiam hisce oculis corporis mei. Addere potuisset, quod Apostolus Joannes : *Et manus meæ contrectaverunt* (I Joan. I, 1). — Haud dubium quin loquatur de oculis corporis sui ; quia tamen solus exterior pueruli conspectus nihil poterat nisi contemptum adducere, certum est, aliis etiam quam corporis oculis Simeonem usum esse. Nimirum, Spiritus sanctus fide illuminavit mentem ejus, ut gloriam Filii Dei in servili et contemptibili habitu cerneret. Quare recte Beda : *Diu desideratum, inquit, nunc et carnis et cordis oculis contemplor.*

Contemplor, *salutare tuum*, id est, salutem a te nobis datam ; seu potius, salutis auctorem, *Salvatorem Christum*, quem a te promissum patriarchæ exspectarunt, dicentes : *Salutare tuum exspectabo, Domine* (Gen. XLIX, 18) ; — *Defecit in salutare tuum anima mea; — Oculi mei defecerunt in salutare tuum ; — Concupivi salutare tuum, Domine ; — Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Ps, CXVIII, LXXXIV.

Scilicet quod futurum viri isti sancti tam ardenter olim desideraverant, id Simeon gaudet sibi datum esse præsens contemplari ; certus salutem humani generis simul et suam per puerum hunc brevi perficiendam. Non enim tam ob

exteriorem conspectum sibi gratulatur, quam ob salutis effectum quem credit mox subsecuturum : id enim sibi vult id quod proxime subjungit :

Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Sensus est : *Salutare istud*, hunc Salvatorem *parasti*, paratum exposuisti, tanquam solem quemdam, *ante faciem*, in conspectu *omnium populorum* totius mundi, omniumque generationum, usque ad consummationem sæculi; ut omnes ab eo salutem accipiant.

Significat itaque Simeon, Christum omnibus generationibus, universisque hominibus propositum esse, ut omnes in eum tanquam salutis auctorem respiciant. Quod dixerat Isaias : *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum : ipsum gentes deprecabuntur* (Isai. XI, 10) ; idem declarat Simeon, Salvatorem nempe esse tanquam signum edito loco positum, a quo omnes, qui defigere in illud oculos et per fidem ut oportet illud apprehendere velint, salvi fiant.

Loquitur autem beatus senex, more prophetarum, de re futura tanquam de præterita ; eo magis quod brevi futura esset. Nam solummodo per prædicationem, tum ipsius Christi, tum Apostolorum et qui eorum ministerium continuarunt, futurum erat, ut Christus toti mundo proponeretur et offerretur Salvator ; quia tamen id certo futurum erat, adeoque jam natus erat Christus, loquitur Simeon tanquam de re confecta.

Lumen ad revelationem gentium.

Parasti scilicet *salutare tuum* in divinum quoddam lumen, nempe, ut sit lumen quod *illucescat* gentibus ; vel, ut vetustiores passim exponunt, lumen quod *illuminet* gentes in tenebris positas.

Populos mundi, quibus dixerat, Christum, Dei salutare, datum esse, distinguit Simeon in Gentes et Israelem, declarans quomodo sit Salvator singulorum. — Et primo quidem dicit Salvatorem esse Gentium, quia lumen est, cæca illorum corda illuminans.

Constat enim Gentes omnes ante Christum in tenebris ignorantiæ, errorum et vitiorum fuisse constitutas : in tenebris, inquam, cum animæ morte conjunctis : *Sedentes*, inquit Propheta, *in tenebris et umbra mortis* (Isai. IX, 2; Matth. IV, 16). Jam vero Christus, ejusque doctrina ac fides eas illuminando vivificat : Verbum enim incarnatum est *lux mundi* simulque *vita* (1) ; lux scilicet *oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (Luc. I, 79). — Quod futurum longe ante per Isaiam Deus prædixerat, sic Christum alloquens : *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum...* Isai. XLII, 6.

Et gloriam plebis tuæ Israel.

Quem Christum constituisti in lumen Gentium, eumdem effecisti gloriam, decus, ornamentum populi tui Israel.

Sicut modo dixit Simeon Christum esse Salvatorem Gentium, quia lumen; ita jam declarat eumdem esse Salvatorem Israelis, quia gloriam.

Cum populus Israel ante Christum inglorius esset, subjectus alienigenis, innumeris deditus vitiis; Christus attulit ei gloriam et salutem, eo quod ex illo populo carnem assumpsit, in illo natus et conversatus est, et ex illo primos discipulos assumpsit, quos ad maximam sanctitatem ac dignitatem evexit. Imo omnibus Israelitis prædicavit obtulitque regnum cœlorum ; et *quotquot receperunt eum*, singulari privilegio constituit ut fundamentum, in quo superædificanda esset civitas nova, Israel novus et spiritualis. Hinc videmus ex Israelitis assumptos Apostolos et Evangelistas, Joannem Baptistam, Beatissimam Virginem Mariam, primaria nempe mundi et Ecclesiæ lumina. Porro et hoc prædixerat Isaias : *Dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam* (Cap. XLVI, 13) ; — *Gloria Domini super te orta est,—et gloria ejus in te videbitur.* Cap. LX, 1, 2.

(1) Cf. *in Nativ. Domini*, Evangel. *de die*, ad Joan. I, 4 : supra, pag. 115.

Atque hunc in sensum declarat Simeon, Christum esse *lumen Gentium* et *gloriam Israel*. Re quidem vera, Christus quoque plebi Israel fuit lumen, et Gentibus gloria ; sed utrique populo tribuitur id quod ei magis proprium ac peculiare fuit.

Pulcherrimum Simeonis canticum continet animæ sensum perfecte ad mortem dispositæ, sensum non absimilem illius quem manifestabat Apostolus, exclamans : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* (Phil. I, 23) ; et ipse Christus in cruce, dicens : *Consummatum est* (Joan. XIX, 30). Atque idcirco idem canticum quotidie sub noctem decantat Ecclesia : -1) ut moneamur de morte, nosque disponamus, quasi ipsa nocte essemus morituri ; -2) ut sic insinuetur nobis æternæ vitæ desiderium, *desiderium dissolvi et esse cum Christo*.

In festo Purificationis, Ecclesia *illuminationem Gentium*, a Simeone prædictam, celebrat benedictione candelarum : qua profitetur, Christum lucem Gentium, adeoque totius humani generis existere ; simulque precatur, ut idem Christus nobis suam lucem gratiæ in hac vita, et lucem æternam lætitiæ ac gloriæ in altera, communicare dignetur.

—

Explicatio secunda.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus.

1° Legem purgationis implendo præclara nobis exempla virtutum Maria exhibuit : -1) puritatis, quam adeo dilexit, ut licet omnimodis immaculata, nihilominus ad majorem puritatem voluerit juxta legis ritum purificari.-2) Obedientiæ erga legem, quam, etsi non obligata, implevit accuratissime, ut Evangelium declarat his verbis : *Secundum legem... perfecerunt omnia secundum legem Domini*. Quæ quidem observantia legis in magnam Dei laudem, atque animarum bonum et consolationem cedet, ut ex Simeonis et Annæ occursu manifestum fit. -3) Humilitatis, qua licet purissima, tanquam

immunda videri voluit. -4) Devotionis ac reverentiæ insignis, qua tum munus suum sacerdoti, tum Filium suum seque ipsam Deo obtulit.

2° Purificatio Mariæ symbolum est purificationis animæ, quam unusquisque per pœnitentiam efficere debet (1). Ideo necesse est adire templum Domini, —sese humiliter immundum profiteri in sacro tribunali ; — offerre hostiam pro peccato, i. e. veram cordis compunctionem, et efficax emendationis propositum : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (Ps. L). Quod quidem innui videtur oblatione turturum vel columbarum, quarum gemitu pœnitentes animæ figurantur : *Gementes ut columbæ* (Nahum II, 17). — Imo eadem animalia utpote purissima, ipsius animæ purificatæ imaginem referunt : quapropter immaculata sponsa Canticorum vocatur *columba*. Cant. II, 10.

Sanctum Domino vocabitur.

1° Sic statuebat lex : *Sanctifica mihi omne primogenitum* (Exod. XIII, 2). Quo docemur primogenita nostra, i. e. optima quæque, et primitias nostras, esse Domino, non autem mundo aut diabolo consecrandas : scilicet cor nostrum ejusque amorem, — primas cogitationes diei, — intentiones nostras, etc.

2° Offert Maria Filium, seque ipsam cum eo : Ecce Pater æterne, Filius tuus, meusque thesaurus pretiosissimus, quem tu mihi dare dignatus es ; eum tibi reddo, meque ipsam cum eo : omnia mea sunt tua, dispone de illis pro omni voluntate tua...

3° Offert se Jesus Patri : O pater sancte, oblationem Filii tui suscipe : tuus sum ego, dispone de me pro omni voluntate tua. *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hebr. X, 6.

4° Hinc discamus, -1) Deo offerre optima quæque et pretiosiora nobis, sicut Abel ; -2) offerre non tantum nostra, sed

(1) *Adjumenta*, Argum 24 et 25.

nosmetipsos totos, cum omnibus animæ et corporis viribus : *In simplicitate cordis mei obtuli Domino universa.* I. Paral. XXIX, 17.

5° Discant parentes, sibi filios a Deo datos, seu potius tanquam depositum sacrum concreditos, ut eos sancte nutriant, custodiant, et in filios Dei educent.

Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.

Quibus verbis innuitur, Mariam sibi Jesum quinque siclis redemisse.—1° Ut discamus nobis emere Jesum, thesaurum unicum, margaritam pretiosam, quam qui invenit homo sapiens, *vendit omnia quæ habet, et emit eam.* Matth. XIII, 46.

2° Etsi dandum est totum pro toto, tamen exiguo pretio tantus thesaurus nobis venditur : videlicet observatione legis, mortificatione quinque sensuum, etc. *Suadeo tibi*, inquit ipse Christus, *emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias... æmulare ergo, et pœnitentiam age.* Apoc. III, 18.

3° Quam miserandi sunt illi, qui non tantum sibi redimere Jesum non satagunt, sed eum vendunt, ut Judas ; vel eum coemunt ad crucifigendum, sicut Judæi inimici!

Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon.

Simeon, qui insignem gratiam consecutus est accipiendi Jesum in ulnas suas, exemplum exhibet hominis Jesum feliciter invenientis : id est, assequentis familiarem illam cum Jesu amicitiam, qua quis Dominum invisibiliter et sub fidei velamine possidet, sicut Apostoli ante Ascensionem eum visibiliter possidebant. — Ostendit Evangelium, quomodo Simeon tantam gratiam meruerit, quomodo eam acceperit, quosnam ejus effectus sit expertus.

Homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel : et Spiritus sanctus erat in eo.

His ostenditur, quomodo Simeon tantam gratiam meruerit. Tres enim tituli indicantur : 1° quia erat *vir justus et timora-*

tus, id est, non tantum legis observator, sed observator diligentissimus, minimas etiam culpas devitans.

2° *Exspectans consolationem Israel*, id est, Christum, ejusque adventum ac regnum firma spe, ardenti desiderio atque oratione expetens. Hæc una ejus cogitatio, in qua totam vitam suam expendebat. — Christum appellabat ut consolationem cordis sui veram et unicam; nec ullam aliam in mundo, aut in carne et sanguine quærebat : quia revera Christus, sicut est plenissima omnis nostræ mœstitiæ consolatio, ita est consolatio ac medela unica; et extra ipsum nihil invenitur nisi deceptio et desolatio. Ipse enim est *Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* II Cor. I, 4.

3° *Et Spiritus sanctus erat in eo :* non spiritus mundanus, aut carnalis, in corde ejus dominabatur; sed Spiritus sanctus, id est, spiritus sapientiæ, fidei, humilitatis, charitatis...

Et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et quum inducerent puerum Jesum... et ipse accepit eum in ulnas suas.

His declaratur, quo mirabili modo Simeon singularem Dei favorem acceperit. 1° Acceperat promissum divinum. — Quicumque Simeonis mores imitantur, promissum habent, non visuros se mortem æternam, sed Christum et faciem Dei in vita æterna. — Sæpe etiam, præsertim ferventissimi, in hac vita Christum inveniunt : eum non tantum oculis contemplationis videntes, sed etiam ulnis amoris familiarissime amplectentes, præcipue in Eucharistiæ sacramento.

2° Executio promissi differtur : quia Deus vult servos suos in spe esse longanimes, et sic ad magna bona quæ concupiscunt, ingenti et constanti desiderio disponi.

3° Promissum fideliter et liberaliter impletur, ita ut Simeon non tantum oculis videat, sed in ulnas accipiat Christum Domini.

4° Eum invenit Simeon in templo, in quod Spiritus sancti instinctui obediendo deducitur, ut Christum in populi turba, sicut margaritam in pulvere occultatam, cœlesti lumine discernat. — Hinc docemur templum ac orationem frequentare, divinæ voluntatis ac inspirationis ductum sequi, Christum viva fide in Eucharistia agnoscere.... Quæ enim dum Simeon templum ingrederetur contigerunt, eadem et nunc, licet alio modo, fiunt. Sicut tunc multi quidem varii status variæque conditionis homines aderant, legisperiti, nobiles, plebeii, quin ullus eorum, excepto solo Simeone et Anna prophetissa, infantem Mariæ ab aliis parvulis discerneret, quia in externo conspectu nullum discrimen apparebat; ita nunc, ex plurimis qui in templum conveniunt, pauci sunt qui Jesum in SS. Sacramento agnoscant, pieque venerando digni efficiantur, eum in suis cordibus recipere, ac donorum ejus cum exsultatione participes fieri.

5. Accepit Jesum de manibus B. Virginis in ulnas suas : ut intelligamus, Jesum esse accipiendum de manibus Mariæ, et tenendum ambabus ulnis, id est, totius cordis dilectione, — fide et charitate,—oratione et operatione, etc.

Et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace...

His manifestantur effectus pretiosissimi, quos Simeon, accepto in ulnas puero Jesu, expertus est. Sunt autem effectus hujusmodi : 1° Purissimum et ineffabile gaudium, quo venerabilis senex infantem hunc videndo, tangendo, amplexando affectus est, et omnis præteriti laboris oblitus. — Quod si Simeon Jesum infantem possidendo tanta inebriatur lætitia, quid gustabunt Sancti in Paradiso?...

2° Pax et suavissima cordis satietas in Jesu, simulque fastidium omnium rerum quæ a Jesu alienæ sunt.

3° Desiderium futuræ vitæ, quo et Paulus suspirabat *desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*. Phil. I, 23.

4° Abundantia gratiæ, quæ intus illuminatur et inflammatur, ut Jesum intime cognoscat et amet. Hæc est illa *eminens*

scientia Jesu Christi Domini nostri, propter quam omnia sunt detrimentum facienda, atque arbitranda ut stercora. Phil. III, 8.

5° Beata mors, in spe secura, ac pace suavissima : *In pace in idipsum dormiam et requiescam : quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Ps. IV.

DIE XIX MARTII.

IN FESTO S. JOSEPH.

—

Matth. I, 18-21. Quum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, quum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

—

Schema paræneticum [1].

Sanctum Joseph, B. Mariæ Virginis sponsum ac Jesu Christi patrem nutritium, esse peculiari modo a Christi fidelibus colendum, inde facile patet : quod vir ille prorsus egregius, inter omnes Sanctos singulariter electus et exal-

(1) Quoniam Evangelium festi sancti Joseph talis est naturæ, ut quamvis privata meditatione utilissime perpendatur, publice tamen et coram populo, vix aut ne vix quidem possit explicari ; ideo de prudentium consilio, Evangelii hujusmodi expositio visa est hic omittenda ; ita tamen, ut ejus loco *schema paræneticum,* quod pro festo Belgii patronali possit usui esse, subrogetur.

tatus, ac velut nostræ venerationi ab ipso Deo sit propositus. Quapropter id generatim dici potest, nihil Deo gloriosius, nihil Jesu et Mariæ gratius, nihilque animabus nostris salubrius fieri a nobis posse, quam ut sanctum Joseph præcipua devotione colamus. Quæ devotio ut magis magisque in cordibus nostris foveatur, nonnulla ex sequentibus punctis proderit perpendisse, quæ universim ad capita duo reduci possunt :

I. *Quam venerandus sit S. Joseph, si spectetur in se.*
II. *Quam venerandus, si consideretur respectu nostri.*

I. *Quam sit venerandus S. Joseph, si spectetur in se.* — Sanctus Joseph in se spectatus, inter omnes Dei Sanctos eminet illis titulis insignitus, qui vel ei soli sint proprii, vel saltem singulari ei ratione attribuantur. Etenim, sive ab ipso Spiritu sancto, sive ab Ecclesia, divini eloquii interprete, vocatur Joseph *pater nutritius Jesu Christi, sponsus Mariæ Virginis, filius David, caput*, seu *præpositus sanctæ Familiæ, vir justus* et *mira sorte beatus*. — Quos quidem titulos singulares esse facile patet; ut vero intelligatur quam sint iidem magnifici, quamque veri, varia consideranda sunt ipsius Josephi privilegia ac dotes.

1° Sancti Joseph *divina vocatio seu electio.* — Sicut ab æterno Deus inter omnes creaturas elegit ac præelegit B. Mariam Virginem, quæ unigeniti sui Filii incarnandi mater esset : ita, cum vellet huic Virgini dare sponsum, qui simul Unigeniti sui pater nutritius foret; inter omnes homines, ac præ cunctis mundi principibus elegit Joseph, tanquam fidelem ac prudentem servum, cui pretiosissima quæque sua committeret. Hunc virum secundum cor suum elegit tota SS. Trinitas, ut in magno suo opere ad extra, nempe in opere Incarnationis Verbi, cooperator existeret. Elegit Pater, ut esset veluti suæ paternitatis particeps; elegit Filius, ut sibi pater nutritius esset et rector, cui subditus viveret in terris; elegit Spiritus sanctus, ut Joseph esset sponsus visibilis ejusdem purissimæ Virginis, cujus ipse invisibilis ac divinus sponsus esse volebat.

Divinitus sic electus Joseph ad sublimem destinabatur dignitatem, sanctitatem, felicitatem atque beneficentiam erga homines : quæ tum in ejus nomine videntur insinuata, tum in antiquo patriarcha Joseph velut in imagine adumbrata.

Etenim non sine Providentia nomen *Joseph* obtinuit, quod cum nominibus Jesu et Mariæ esset indivise conjungendum : *Cui nomen erat Joseph* (Luc. II, 27). Jam vero nonne ideo *Joseph*, id est *auctus*, videtur fuisse vocatus, quia maximis Dei donis auctus et cumulatus est ?

Nec immerito confertur a S. Bernardo cum antiquo Joseph, ministro Pharaonis ; et a S. Bernardino Senensi *figuratus esse* dicitur *per illum patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit* (Serm. 1. de S. Joseph); — imo ipsa Ecclesia, in festo sanctissimi Joseph, huic historiam prisci Josephi accommodat, in quo nutritium Domini velut in imagine expressum demonstrat. Scilicet antiquus ille patriarcha non solum similitudinem nominis habuit ; sed insuper :

-1) Effulsit virtutibus omnigenis, præcipue vero innocentia et castitate.

-2) Exul fuit in terra Ægypti.

-3) Divinas in somniis revelationes accepit.

-4) Vidit *quasi solem et lunam et stellas adorare se*. Gen. XXXVII. 9.

-5) Suo domino fidelissime ministravit, et ab eo præpositus est universæ domui suæ.

-6) Ex obscuro carcere a rege eductus est, et magnifice exaltatus : *Dixit* enim *Pharao ad Joseph : Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantum regni solio te præcedam. — Ecce constitui te super universam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus ; vestivitque eum stola byssina, et collo torquem aureum circumposuit, jussitque eum ascendere super currum suum secundum clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, et præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti*. Gen. XLI, 40 seq.

-7) Denique Joseph in Ægypto exaltatus, panem præbuit universo populo et cunctis fratribus suis, dicente rege : *Ite ad*

Joseph, et quidquid ipse vobis dixerit, facite (Gen. XLI, 53). — Quæ omnia in Josepho Nazareno excellentiore ratione reperiuntur.

Jam vero vir tam singulariter a Deo præordinatus, quis fuit, quoad originem, et temporalem vitæ conditionem?

2° Sancti Joseph *temporalis origo et conditio.* — Ut Evangelium testatur (Luc. I. 27), Joseph erat *de domo David*, ideoque ab angelo *filius David* appellatur, dicente : *Joseph, fili David, noli timere* (Matth. I. 20). — Pater ejus vocabatur Jacob : *Jacob autem genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus.* Matth. I. 16.

Joseph scilicet sicut Virgo sponsa ejus (1), genitus erat de tribu Juda, deque regali progenie David, ex qua oriturus erat Christus. — Filius enim Dei de regio sanguine nasci voluit : non quasi humana nobilitate delectaretur ; sed, -1) quia Rex erat humani generis, et spirituale regnum David obtenturus ; -2) quia, vocaturus ad salutem omnes homines, reges et pauperes, volebat aliquomodo in sua persona humanæ societatis gradus omnes, a summo usque ad infimum, conjungere.

Etenim parentes ejus, etsi de stirpe regia nati, nequaquam humanis opibus abundabant. S. Joseph erat humilis faber, habitans in oppido Nazareth, in illa paupere casa, quæ postmodum, sub finem sæculi decimi tertii (1294), divinitus e Palæstina in Italiam translata, usque ad nostra tempora in Lauretano templo conservatur.

Fuisse fabrum sanctissimum Joseph, ex Evangelio manifestum est, cum Judæi de Jesu, quem putabant filium Joseph, dicerent : *Nonne hic est fabri filius?* (Matth. XIII, 55.) — Fuisse autem fabrum lignarium, communis Doctorum sententia est, in sanctorum Chrysostomi et Justini auctoritate fundata. Justinus enim (Dialog. contra Triphon.), de Jesu, adeoque de sancto Joseph loquens, dicit : *Erat aratra et juga*

(1) Patrizi (*De Evang.* dissertat. IX, *De genere Christi,* cap. 20 part. I), Mariæ et Joseph agnationem examinans, non spernendis argumentis concludit, Jacobum, Josephi patrem, tres habuisse filios : Joachim, patrem Mariæ Virginis ; Cleopham, cujus uxor vocatur *Soror matris Jesu, Maria Cleophæ* (Joan. XIX, 25) ; et Sanctum Joseph, Virginis sponsum. Cf. supra, Evang. in Resurrect. Domini, ad Marc. XVI, 1, pag. 367.

boum conficiens. — Hinc merito concluditur, sanctum Joseph, etsi non erat dives, arte tamen et labore manuum, quotidianum victum ac honestam sustentationem sibi et sanctæ Familiæ comparasse.

3° Sancti Joseph *dignitas.* — Præcelsa Josephi dignitas triplici titulo continetur, quo nominatur et est, sponsus Mariæ Virginis, Christi pater nutritius, et sanctæ Familiæ caput.

1) Sanctus Joseph vere ac proprie fuit *Virginis sponsus*, ita ut omnia habuerit veri sponsi jura ac munera (1). Etenim verum ac proprium matrimonium ratum contraxisse Mariam et Joseph, certissimum est; idque de fide esse docent omnes Thomistæ, cum ea sit aperta SS. Patrum et Scripturæ doctrina. Vocatur enim Joseph *vir Mariæ;* et Maria, *uxor* Josephi : *Ascendit Joseph a Bethleem cum Maria desponsata sibi uxore* (Luc. II. 4), — De hoc tantum controversia est inter doctores, quo tempore matrimonium fuerit initum. Censet autem Suarezius (2), sanctum illud conjugium ante Annuntiationem, non solum promissum, sed vere contractum fuisse. Dicitur enim Luc. I, 26 : *Missus est angelus Gabriel a Deo ad virginem desponsatam viro :* ubi per desponsationem intelligunt Patres matrimonium ratum.

Si quæratur, cur voluerit Christus Virginem Matrem suam matrimonio esse ligatam? præter alias divinæ Sapientiæ rationes, hæ duæ assignari possunt : 1) ut in Dei Genitricis persona simul honoraretur Virginitatis excellentia et matrimonii sanctitas; nec tantum virgines exemplar haberent,

(1) Suarez, *de Incarnat.*, part. 2, disput. 7, sect. 3 et 4.

(2) Imo ex ejusdem Suarezii sententia, probabilius est Mariam et Joseph, tempore conceptionis divini Verbi, jam simul cohabitasse in eadem domo, uti expresse sensit Chrysostomus. Unde dum postea dicitur : *Joseph, noli timere accipere Mariam conjugem* (Matth I, 20), sensus est : Noli timere, Joseph; et Mariam conjugem, quam in animo statueras dimittere, domi retine, simulque cohabita, expulsa omni adulterii suspicione. — Volebat enim Joseph, videns Virginem gravidam, *occulte dimittere eam* (ibid. 19) : id est, juxta probabiliorem sententiam, cum Virginis innocentia et sanctitate convictus, adulterii suspicionem admittere non posset, mysterii notitiam judicii suspensione exspectans, voluit ab ea clam separari. (Suarez. ibid. Cf. S. Thom. part. 3, q. 29, art. 2).

sed etiam conjuges ; -2) ut in castissimo sponso Joseph Virgo Mater suæ virginitatis testem et custodem haberet. Cum enim futura Christi mater virginitatis voto obstricta esset (1), ex divina revelatione, ut censent antiqui Patres, matrimonium cum Joseph contraxit, certa suum sponsum in perpetuam virginitatem consensurum (2).

Virgineum itaque fuit illud conjugium, quo Maria et Joseph velut duo lilia simul florerent, eumque obumbrarent *qui pascitur inter lilia* (Cant. II, 16). Ad quæ verba Rupertus interrogans : *Quæ lilia? Vere*, inquit, *ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis et cohabitatione castissima.*

Si quæratur qua ætate Maria et Joseph nupserint? Suarezio, juxta Greg. Nyssenum, Damascenum, etc., probabilius videtur, matrimonium contractum esse, quum Maria annum decimum quartum ageret, quatuor ante Annuntiationem mensibus. Ad sanctum Joseph quod attinet, ex ejusdem Doctoris sententia, cum sponsus fieret Virginis, non erat valde senex, ut quidam putarunt; sed videtur potius fuisse vir maturæ et intermediæ ætatis, plenus prudentia ac virtute, aptus ad Virginem in suis laboribus ac paupertate juvandam, et ad virginitatem ejus custodiendam (3).

Jam vero quanta fuerit hæc Josephi dignitas, ut a Virgine Maria nomine *sponsi* ac *domini* compellaretur, intelligi nequit, nisi simul intelligatur dignitas Reginæ virginum, præcelsæ Dei Genitricis Mariæ (4).

-2) Joseph fuit *Christi pater nutritius*. — Cum esset verus sponsus Mariæ, hinc adeptus est *patris Christi* nomen et existimationem : *Ut putabatur, filius Joseph* (Luc. III, 23). —

(1) Virginitatis votum, sicut essentiæ matrimonii non adversabatur, ita ejusdem validitati nequaquam obstabat ; quod post Augustinum demonstrat Suarezius, *de Incarnat.* part. 2, disput. 7.

(2) Suar. ibid. — Ipsum castissimum Joseph fuisse virginitatis voto ligatum, non improbabilis sententia est. Cf. egregium opusculum Patris Coret S. J. *Joseph, le plus aimé et le plus aimant des hommes,* chap. 2, § 1. Édit. Tournai, Casterman 1866.

(3) Suarez, ubi supra.

(4) De dignitate ac sanctitate Mariæ Virginis, Cf. infra, Evangel. in *Annuntiatione B. M. V.*, ad hæc verba : *Ave, gratia plena.* pag. 499.

Nonne hic est Jesus, filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem (Joan. VI, 42)? — Imo non tantum vulgus eum isto nomine appellavit, sed etiam Evangelista : *Erant pater et mater ejus mirantes super his quæ dicebantur de illo* (Luc. II, 33). — Imo ipsa Virgo Mater, alloquens divinum filium, dicit : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te* (Ibid. 48). Ex quibus postremis verbis merito concluditur, divinum infantem ejusque matrem consuevisse sanctum Joseph *patris* nomine compellare. — Nec tantum patris Christi *nomen* habuit Joseph, sed etiam *rem*, quæ huic nomini subest, participavit : quantum potest ab homine, excepta carnali generatione participari. Quare habuit paternum affectum ac sollicitudinem, imo paternam auctoritatem erga unigenitum Dei Filium, Dominum nostrum Jesum Christum.

Jam vero quanta hæc fuerit Joseph dignitas intelligi nequit, nisi simul intelligatur dignitas Verbi incarnati, Unigeniti filii Dei, qui fuit subditus illi, *ut putabatur, filius Joseph*.

3) Joseph fuit *caput sanctæ Familiæ*. — Etenim, ut verus Mariæ conjux, aliquo modo fuit caput et superior Virginis, ejusque divini Filii, ut hominis : *Caput mulieris vir* (I Cor. XI, 3). Et sic B. Virgo in rebus externis ac domesticis dependebat a Josepho ; ideoque Josepho, ut domus capiti, facta est revelatio de impositione nominis Jesu, de fuga in Ægyptum, deque reditu ex Ægypto. — Unde inter Mariam et Josephum, atque inter Jesum et Josephum, singulare reverentiæ mutuique amoris et perfectissimæ amicitiæ vinculum, intrinsece ex dignitate et statu ortum, intercedebat.

Joseph fuit caput sanctæ Familiæ : ideoque Ecclesia ipsi verba Evangelii accommodat (Matth. XXIV, 45), dicens : *Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam;* et illa Psalmi CIV : *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.*

Jam vero dignitatem Josephi, quatenus est caput sanctæ Familiæ, ut quis æstimaret rite, ipsius sanctæ Familiæ immensam præstantiam cognoscere deberet. Atqui Familia hæc, specie tam humilis, tribus constans personis specie pauperculis, Jesu, Maria et Joseph, hæc inquam oculis Dei et ange-

lorum, tam est præcelsa, ut nihil ipsi simile inveniatur in terris ; imo, ut neque in cœlis quidquam sit, cui merito comparetur, præter ejus prototypum, quæ est ipsa sanctissima Trinitas.

Divinæ enimvero Trinitatis Nazarethana Familia similitudinem refert, meritoque ex mente S. Francisci Salesii ac pii Gersonii (1) *creata Trinitas* vocatur, increatæ Trinitati simillima, hujusque visibilem exhibens imaginem. In sancta enim Familia tres quidem sunt personæ, sed cor unum, anima una, charitas una ; quam quidem unitatem respiciebat Christus cum diceret : *Ut sint unum sicut et nos unum sumus* (Joan. XVII, 22). Porro tres personæ venerabilem hanc, admirabilem ac inseparabilem trinitatem in terris ita constituunt, ut Joseph auctoritate paterna repræsentet Deum Patrem ; Jesus, non repræsentet tantum, sed ipsemet sit Filius unigenitus Dei, visibili carne indutus ; Maria demum, ratione maternæ et conjugalis charitatis, velut Spiritus amoris locum teneat.

Quid hac Familia sanctius, quidve Deo charius ? Jam vero illius caput est Joseph, quem constituit Dominus super familiam suam. Quam ineffabilis dignitas !

Hinc orta est comparatio, quam inter dignitatem Joseph et dignitatem Præcursoris atque Apostolorum nonnulli instituerunt : qua de re Suarezius dicit, illas dignitates, cum sint diversi ordinis, habere se ut excedens et excessum. Missio Præcursoris singularis fuit ac præstantissima in ordine prophetico, cum seriei prophetarum Veteris Legis fuerit velut consummatio. Quare ab ipso Domino vocatus est, non tantum *propheta*, sed *plus quam propheta ; Angelus Dei, missus ante faciem suam ; quo non surrexit major inter natos mulierum* (Matth. XI, 9). — Munus apostolicum est in Nova Lege, seu in Ecclesia, supremum omnium munerum, prout a Christo instituta sunt, sive quoad dona specialia, sive quoad gratias gratis datas. — Ministerium tamen sancti Joseph, prout attingit ordinem unionis hypostaticæ, videtur ex suo genere nobilius ac præstantius. Nam munus Præcursoris et

(1) In *Prosa de conjug. S. Joseph et B. M. V.*

Apostolorum respicit tantum gratiam sanctificantem ; ministerium vero Joseph respicit unionem hypostaticam, adeoque ipsius gratiæ fontem atque auctorem, ac proinde ordinis superioris est (1).

4° Sancti Joseph *sanctitas*. — Fuisse sanctum Joseph perfectissimum, et eximiæ sanctitatis virum, facile intelligitur. Etenim -1) cum Deus unicuique homini proportionatam officio ac statui, in quo illum constituit, gratiam ac sanctitatem conferat ; dubium non est, quin sancto Joseph gratiam illam ac spiritualia dona contulerit, quæ requirebat tum virginale ejus cum Maria conjugium, tum familiare ejus erga Jesum et Mariam ministerium. Atqui quantopere deceret, ut vir sanctissimus, Deique donis ditatus esset, cui Virgo Dei Mater desponsaretur, et Jesu custodia concrederetur, quis non sentit? *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam ?* Luc. XII, 42.

-2) Ab ipso Spiritu sancto Joseph declaratur *justus*, id est, omnibus virtutibus ornatus : *Joseph*, inquit, *cum esset justus*. Matth. I, 19.

-3) Sanctitatem Josephi mirum in modum auxit ejus cum Maria et Jesu convictus et conversatio. Si enim Mariæ Elisabeth visitantis salutatione, et Jesu in utero latentis præsentia, Joannes sanctificatus, ejusque mater Spiritu sancto est repleta; quantam sanctitatis abundantiam Joseph, tot annorum cum Maria et Jesu consortio recepisse censendus est ?

-4) Ipsius singularis sanctitatis indicia non obscura sunt, tot revelationes illi factæ : exempli gratia, revelatio mysterii Incarnationis, revelatio furoris Herodis ut fugeret in Ægyptum, revelatio ejus mortis, ut rediret ex Ægypto.

-5) Virtutes quibus præcipue Joseph effulget sunt: virginea castitas, — profunda humilitas, — in regenda familia paterna cura et prudentia, — in laborando patientia, — in tolerandis adversitatibus cum divina voluntate conformitas, — in oratione et assidua cum Deo conversatione pietas, — in mandatis implendis obedientia, etc. Quæ virtutes considerari possunt, tum in nativitate Domini, — tum in purificatione Virginis,—

(1 Cf. *Elem. Theol. dogm.* tract. 9. *De Gratia*, Introduct. n. 12.

tum occasione fugæ in Ægyptum, atque amissionis pueri Jesu in templo,—tum in vita abscondita Nazarethi.

-6) De Josephi conversatione ac vita, in revelationibus S. Brigittæ sic B. Virgo loquitur : Meus, inquit, sanctissimus sponsus in loquendo erat parcissimus ; patientissimus in sua paupertate, strenuus in labore, in omnibus mihi benignissime obsequens, erga omnes benevolus, rarissimus in conversatione hominum : ejus enim conversatio erat in cœlo; Dei beneplacito perfecte in omni re et eventu acquiescens, quare frequens ei erat verbum illud : *Fiat voluntas Dei* (1).

-7) Quanta fuerit Josephi sanctitas comparata cum Apostolorum sanctitate aut angelorum, nihil certi potest statui. Non tamen Suarezio videtur improbabile, nec temerarium fore, si quis opinetur sanctum Nutritium Christi reliquis omnibus cœlitibus in gratia et gloria antecellere, ob conjunctionem singularem quam cum Christo habuit in ordine unionis hypostaticæ (2). — Quare consideratione non indignum videtur quod pius Gersonius dicebat (3) : triplicem nempe in cœlesti Jerusalem hierarchiam distingui, quarum prima est increata et prorsus incomprehensibilis Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus ; secunda hierarchia, quæ creata est, tribus personis creatis, Jesu, Maria et Joseph constituitur ; tertia, inferius collocata, omnium aliorum cœlitum distinctos ordines et sedes comprehendit.

5° Sancti Joseph *beatitudo*. — Ineffabilis fuit sancti Joseph felicitas, qua non tantum in cœlo, sed jam in hac terra fuit donatus. Etenim -1) ipsi datum est Verbum incarnatum a primo ejus in mundum ingressu oculis videre, et ulnis tenere, melius utique quam Simeon, qui tamen præ gaudio exclamabat : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace : quia viderunt oculi mei salutare tuum.*

-2) Ipsi contigit, non transitoria quapiam Christi, ejusque Matris apparitione frui : cujusmodi gratia animabus sanctis

(1) Revel. S. Brig. lib. 6, c. 59.

(2) Suarez *De Incarnat.* ubi supra. Addit tamen idem Doctor, non arbitrari se asserendum, ut quidam existimarunt, fuisse S. Joseph in utero matris sanctificatum, caruisse fomite peccati, etc.

(3) *Serm. in Nativ. B. M. V.* die 3 sept. 1416.

aliquando concessa, ineffabiles consolationes infundit; sed cum Jesu et Maria habitare, eorum præsentia et familiari conversatione assidue gaudere; eorumque verba audire ac exempla spectare. Cum ergo videret divinum adolescentem crescere ætate et gratia ; cum videret vili opificis vestimento indutum illum juvenem, quem cognoscebat esse unigenitum Dei Filium ; cum audiret eum filiali voce dicentem sibi : *Pater mi!*.. quid animo senserit Joseph, quis enarrabit? Quis enim amabilitatem pueri Jesu intelliget? *Universis pulchrior est Virgo de Virgine*, inquit Hieronymus (1). *Speciosus forma præ filiis hominum*, canebat Psaltes, *diffusa est gratia in labiis tuis* (Ps. XLIV). Quin, ipse Pater cœlestis eum summo amore contemplabatur : *Hic est*, inquiens, *Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. XVII, 5). — Nazareni cives, etsi externam tantum Jesu gratiam cognoscebant, ea tamen, ait Chrysostomus, ita afficiebantur, ut tempore tristitiæ dicere solerent : *Eamus, contemplemur Mariæ filium, cujus aspectus animo serenitatem dabit et gaudium.* Quid, si internas divini adolescentis amabilitates sicut Joseph cognovissent? Quid, si intuentibus affulsisset, sicut oculis Joseph, latens in Jesu *splendor Patris et figura substantiæ ejus?*... Heb. I, 3.

-3) Maxima quoque Josepho felicitas fuit, quod ipsi datum fuerit laborare, omnemque suam operam impendere pro Maria et Jesu....

Hinc merito dicitur Joseph obtinuisse paradisum in terra : eique Ecclesia congratulatur dicens : *Tu vivens, superis par, frueris Deo, mira sorte beatior.* — Et quidem paradisum illum invenit in ipso exilio Ægypti, quia Jesum et Mariam socios habuit; — nec non in duris laboribus, quia hos pro Jesu et Maria sustinuit....

-4) Felicissimus demum fuit Joseph in hora mortis, cum decumbenti sibi meruerit assistentes habere Jesum et Mariam, in eorumque brachiis beatam animam efflare (2). Quare Ecclesia cantat :

(1) Epist. 14 ad Princip.

(2) Mortuum esse sanctum Joseph non multo tempore, puta tribus circiter annis, ante vitam publicam Christi, communiter tenetur.

O nimis felix, nimis o beatus,
Cujus extremam vigiles ad horam
Christus et Virgo simul astiterunt,
Ore sereno!

Hic quæri potest, utrum sicut Jesus et Maria in glorioso corpore sunt in cœlo, ita etiam S. Joseph eis corporaliter consociatus? Cui quæstioni respondet solita discretione et nota auctoritate Suarezius (1), satis probabile esse, Jesu nutritium unum ex illis fuisse, qui tempore mortis aut resurrectionis Christi resurrexerunt, quosque multi censent ad immortalem animæ et corporis vitam transiisse; adeoque eum jam nunc indutum corpore glorioso cum Christo regnare.

Ad beatitudinem ac gloriam sancti Joseph in cœlis quod attinet, hanc ejus dignitati ac sanctitati proportionatam, ac proinde immensam esse intelligitur. Quare, ut supra dictum est, gravissimi doctores eum in cœlis ita suspiciunt, ut cum Jesu et Maria super omnes Beatorum ac cœlestium Spirituum ordines sit elevatus; atque in ordine proprio constitutus, qui vocatur *ordo unionis hypostaticæ*.

Vehementer etiam pietas, adeoque christianus sensus suadet, thronum peculiarem Christi patri nutritio, et Reginæ cœlorum sponso esse reservatum in gloria : illasque tres personas quæ indivisim unitæ fuerunt in terris, nequaquam esse sejunctas in cœlis. Quare, Josepho ingredienti cœlum non immerito accommodantur quæ legimus in libro Tobiæ, quasi pater æternus Filio suo incarnato diceret : *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* et Filius responderet : *Pater, quid dignum poterit esse beneficiis ejus? me duxit et reduxit sanum... et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* (Tob. XII, 1 seq.) — Item id quod olim dicebat Jacob patriarcha filio suo Joseph : *Do tibi partem unam extra fratres tuos* (Gen. XLVIII, 22). — Quæ quidem omnia Ecclesiæ menti sunt consentanea, Josephum his verbis celebrantis : *Vir fidelis*

(1) *De Incarn.* ubi supra — Cf. etiam Coret, *Joseph, le plus aimé* etc. chap. 3, § 2.

multum laudabitur : et qui custos est Domini sui, glorificabitur. Prov. XXVIII, 20 et XXVII, 18.

II. *Quam sit venerandus sanctus Joseph, si consideretur respectu nostri.* — Spectatus respectu nostri, sanctus Joseph patronus est præcipua pietate colendus. Cujus rei rationes motivæ, quæ plurimæ sunt, ita recenseri summatim posse videntur.

1° Sancti Joseph *dignitas.* — Si enim -1) Deus ad eam quæ modo exposita est, dignitatem assumpsit virum hunc, voluntas ejus profecto est, ut eumdem et nos consentaneo cultu honoremus, -2) Si eum ut sponsum ac dominum suum honoravit Maria; eumque -3) ut patrem honoravit et coluit Filius Dei : facile intelligitur, quanto honore et nos eum colere debeamus.

Nec obstat quod solemnis Josephi cultus et peculiaris ejus festivitas non ita pridem celebrari consueverit (1) : nam -1) essentialis Josephi cultus semper, adeoque ab ipso principio in Ecclesia obtinuit : cum laus Josephi sit in Evangelio, nec a festis Annuntiationis, Nativitatis Domini et Purificationis Virginis, quæ a primævis sæculis celebrari cœpta sunt, separari possit.

Quod si Josephi cultus, sicut cultus immaculatæ Conceptionis Virginis ac SS. Cordis Jesu, posteriore tempore magis florere cœperit, sapienti (2) ac misericordi Dei consilio id fa-

(1) Jam inde a sæculo XII videmus viros pietate conspicuos, ut S. Bernardum, ardenti in sponsum Virginis devotione animatos; nondum tamen tunc temporis eadem devotio in vulgus erat propagata. Cum autem Ordo Carmeli in Occidentem venisset (1238), et, uti videtur, festum sancti Joseph ex Oriente, ubi antiquius viguit, in Ecclesiam latinam attulisset; mox, sæculo nempe XIV et XV, cultus ille paulatim frequentari cœpit (Cf. de Barry S. J. *Devotio erga S. Joseph*, cap. 7). Sæculo demum XVI, saluberrima illa devotio, velut sancta radix, quæ licet in ipsis Evangelii visceribus insita, tunc primum erumpebat in lucem, mira velocitate crescere visa est atque florere per orbem, opera ac spiritu S. Teresiæ et S. Francisci Salesii.

(2) Cum Cerinthiani, aliique priorum temporum hæretici, Salvatoris divinitatem et Mariæ virginitatem negarent, asserendo sanctum Joseph esse naturalem Christi Domini patrem ; existimare licet, Spiritu sancto dirigente,

ctum esse dicendum est : ut luctuosis temporibus singulare patrocinium, — et novis necessitatibus novi, ac veluti proprii gratiarum fontes aperirentur.

2° Sancti Joseph *patrocinium efficacissimum.* — Quanta sit sancti Joseph paterna bonitas, quanta ejus apud Jesum et Mariam potentia, explicatione non indiget. Quare Ecclesia Patris nutritii beneficentiam commendat hujusmodi verbis : *Ite ad Joseph. — Salus nostra in manu tua est ; respice nos tantum et læti serviemus regi. — Fecit me Deus quasi patrem regis, et dominum universæ domus ejus. Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ* (in festo Patrocinii S. Joseph).

S. Teresia dicere solebat, reliquos sanctos a Deo constitutos esse ut in certis necessitatibus nobis subveniant ; sanctum vero Joseph, ut juvet in omnibus. Nec recordor, aiebat, me hactenus quidquam petiisse a S. Joseph, quin acceperim ; ideoque omnes enixe adhortari vellem, ut peculiari cultu eum honorent (1).

Licet autem in quacumque, sive temporali, sive spirituali necessitate sanctus Joseph sibi supplicantes adjuvet : sequentes tamen gratias propensius impetrare solet :

-1 castitatem, et triumphum de tentationibus carnis : quare *pater et custos virginum* nuncupatur ;

-2) auxilium efficax ad emergendum e vita peccaminosa ;

-3) devotionem erga B. Virginem ;

-4) donum orationis et vitæ interioris ;

-5) prudentiam in gubernanda familia aut communitate ;

-6) humilitatem et patientiam ;

-7 corporalem sanitatem et victum ;

-8) sanctum exitum ex hac vita : ut *moriatur anima nostra morte justorum, et fiant novissima* nostra novissimis Joseph *similia.* Num. XXIII, 10.

3° Sancti Joseph *patrocinium speciale respectu Belgii.* — In nostra patria ratio specialis urget colendi sanctum Joseph,

Ecclesiam minus aperte Christi Nutritium celebrasse, ne istis erroribus ansam aut arma subministraret.

(1) Cfr. *Vita S. Teresiæ,* lib. 6.

quia universi Belgii patronus est canonice (1) constitutus : adeo ut totius patriæ ac reipublicæ, omniumque civitatum, communitatum, familiarum, civiumque singulorum peculiare patrocinium gerat. Quapropter vicissim peculiarem in modum omnes Belgii incolæ erga sanctum Joseph obstricti sunt, ejusque præsidium implorare confidentius possunt ac debent.

4° *Amor Jesu et Mariæ erga sanctum Joseph.*—Stimulus ad colendum sanctum Joseph efficacissimus est, quod nihil gratius cordibus Jesu et Mariæ contingere possit, quam ut digno cultu illum videant celebrari, quem ipsi tantopere coluerunt et amarunt. Quod ut aliquatenus intelligatur, considerandum est, sanctissima Jesu et Mariæ corda fuisse præ omnium hominum cordibus amantissima, sensuque delicatissima. Jam vero amavit Jesus sanctum Joseph tanquam suum patrem : perfectissime videlicet filiale officium de honorandis parentibus observans, et omnino sese gerens, quasi proprius fuisset filius Joseph. Amavit illum præterea ut salvatorem, qui eripuerat eum de manu Herodis ; ut nutritium, qui ejus vitam sudore vultus sustentabat ; ut magistrum ac ductorem, ut pupillam oculi sui. — Similiter Beatissima Virgo Josephum amavit ut suum legitimum sponsum, ut protectorem fidelissimum virginitatis atque honoris sui ; ut hominem sanctissimum, sibique maxime beneficum. Qui quidem Virginis amor talis fuisse dicendus est, ut post divinum Filium, dilexerit sanctum Joseph præ omnibus hominibus super terram.

Jam vero hominem tam dilectum Christo, tamque dilectum Mariæ Virgini quicumque coluerit, nonne quod Christi et Mariæ cordibus gratissimum est ac suavissimum, fecerit ? Imo sic veluti complebit et perficiet devotionem, quam Christianus quilibet erga Jesum et Mariam fovere debet, si a nominibus *Jesu* et *Mariæ* non separaverit nomen *Joseph* : cum hæc tria nomina ab ipso Deo videantur esse conjuncta, ut in cordibus nostris conjunctim impressa retineantur.

(1) Eligente ac postulante Carolo II Hispaniarum rege, Innocentius XI sanctum Joseph patronum Belgii nuncupavit, datis Apostolicis litteris, 19 April. 1679.

5° *De ratione et modo colendi sanctum Joseph* si quæratur, tres veluti gradus indicari possunt : quorum primus est Josephi laus et invocatio ; secundus virtutum ejus imitatio ; tertius vero cultus ejus ac devotionis propagatio.

Utinam devotio erga sanctum Joseph, sicut est omnimodis sancta et præstantissima, ita ab omnibus suscipiatur ! Qui eam invenerit, possidebit thesaurum, ita ut dicere possit : *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Sap. VII, 11.

DIE XXV MARTII.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

—

Luc. I, 26-38. Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit : Ave, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio; et ait angelus ei : Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua ; et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Explicatio prima.

I. *Angeli salutatio.*
II. *Mysterii declaratio.*
III. *Mariæ consensio.*

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth...

1° Legationem angeli Gabrielis ad Mariam Virginem narrat Evangelista diligentissime, omnibus personarum, temporis, locique circumstantiis notatis : -1) ut rem tanti momenti plene declaret; -2) ut historiæ fidem faciat; -3) ut rem totam divinitus factam esse ostendat (1).

Angelus Gabriel, qui dicitur a Deo missus, unus esse videtur e cœlestis militiæ principibus, nimirum caput seu princeps Archangelorum (2) : veniebat enim nuntiare rem maximam, ad salutem omnium hominum pertinentem. — Nomen *Gabriel* significat idem ac *Fortitudo Dei* : ut congruus nuntius sit ac minister mysterii Incarnationis, quo mysterio Dei fortitudo manifestatur per virum dexteræ ejus, qui est Christus, Dominus virtutum, Dominus fortis in prælio. — Dicitur *nuntius ac minister mysterii Incarnationis :* Nam idem Gabriel, qui annuntiat Christi conceptum Virgini Matri, annuntiavit Zachariæ nativitatem Præcursoris; et Danieli olim tempus prædixit quo hæc mysteria implenda essent; imo fortasse idem fuit, qui sancto Joseph apparuit : quia id omne fuit

(1) Si quæratur quomodo mysteria illa, quæ nullum præter Beatam Virginem habuere testem, Evangelista cognoscere potuerit? dicendum videtur cum Maldonato, S. Lucam, seclusa etiam divina revelatione, ea quæ narrat ab ipsa Beata Virgine, Christi Matre, didicisse. Nam et eam vidisse non solum credibile, sed pene certum est; eamque consuluisse de rebus omnibus facit ut credamus ea, qua se usum fuisse dicit ad scribendum diligentia : *Scribere visum est mihi, assecuto omnia a principio diligenter.* Luc. I, 1, 3.

(2) Seu princeps secundi chori tertiæ hierarchiæ. Cf. Suarez. *de Incarn.* parte 2, disput. 9.

velut unum mysterium, ad eumdem Incarnationis finem ordinatum (1).

Ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Virginis Maria.

Cœlestis curiæ minister legatur ab omnipotenti Deo *ad virginem*, sed singularem prorsus, puritatis et innocentiæ florem, omniumque virtutum speculum : quæ licet tunc paupercula et obscura, de regia tamen Davidis stirpe erat oriunda. Sanctorum parentum Joachim et Annæ proles unica, a tertio ætatis anno in templo vixerat Deo dicata, nuncupato jam tunc virginitatis perpetuæ voto, ut communior Patrum sententia tenet. — Postea data est sancto Joseph in matrimonium salvo tamen eodem virginitatis voto : quia ipse Deus, ob altissima consilia, Filii sui Matrem Virginem matrimonio junctam esse volebat.

Erat itaque benedicta *Virgo desponsata* (2) *viro, cui nomen erat Joseph, de domo David*. Quo verbo indirecte dicitur, et Mariam, et Jesum secundum humanam naturam, de tribu Juda esse et de stirpe David. Maria enim, mater Jesu, cum esset filia hæres, id est filia unica, quæ nec sorores nec ullos haberet fratres germanos vi legis (Num. XXXVI, 6, 7) virum accipere debebat ex eadem tribu ac familia seu domo. Erat ergo sicut Joseph, vir ejus, de tribu Juda et de domo David. Ambo descendebant ex Zorobabel, Joseph per Abiud, Maria vero per Resa, duos Zorobabelis filios (3).

(1) Quomodo conveniens esset ut Incarnationis mysterium Virgini annuntiaretur per angelum, S. Thomas explicat, Part. 3, q. 30, art. 2 et 3.

(2) Quod virgo dicitur *desponsata*, id est, quæ vel in matrimonium esset tantum promissa; vel jamjam vero matrimonio nupta, sed ita, ut cum viro suo Joseph viveret quasi sponsa, absque ullo matrimonii usu. — Utrum enim tempore Annuntiationis Maria jam esset per matrimonii cæremonias facta uxor, nec ne, ut supra, in festo S. Joseph dictum est, non certo constat. Similiter, utrum domus, in qua adorabile Incarnationis mysterium impletum est, fuerit paterna domus Mariæ, an domus Josephi, etiam controvertitur; illud vero in dubium revocari nequit, domum illam sanctam eamdem esse, quæ sæculo XIII divinitus a Palæstina sublata, Italiæ data est, et Lauretana casa vocatur.

(3) Cf. quæ dicuntur de origine temporali S. Joseph, supra, in *festo S. Joseph* (pag. 482).

Dictum est supra, Virgini Mariæ non fuisse sorores : nam quæ soror ejus vocatur (Joan. XIX, 25), illa Maria Cleophæ uxor, et mater SS. apostolorum Judæ et Jacobi minoris, appellatur tantum nomine *sororis* ex more Judæorum, quia Beatæ Virgini *consobrina* erat.

Et nomen Virginis Maria, — i. e. *domina* vel *stella maris*, *illuminatio maris*.

Et ingressus angelus ad eam, dixit...

Nimirum ingressus in domus ejus penetrale (1), ubi cum Deo abscondita vivebat. Quod indicat, Mariam vere fuisse reconditam illam Virginem, quam Isaias (VII, 14) prædixerat parituram, cum in penetrali habitaret.

Adventus Gabrielis contigit die, qui apud nos vigesimo quinto Martii respondet; cum Virgo, ut communius creditur, quindecim annos nata, sola esset, orationi vacans, et suspiriis sanctis Messiæ adventum appellans, non secus ac Zacharias (Luc. I, 13).

Visibili atque humana indutus specie, multaque luce conspicuus, Gabriel Virgini apparuit : cœlesti quidem majestate, sed etiam amica suavitate plenus, qualis ministrum Dei altissimi simulque misericordissimi deceret (2).

(1) Ut probabilius existimatur, januis clausis *ingressus* Gabriel Virgini adstitit, humano modo pedibus consistens, non vero in aere *advolans* prout a pictoribus fingi solet.

(2) Angelus, qui Danieli juxta fluvium Tigris se spectabilem exhibuit, quemque ipsum Gabrielem fuisse credunt, ita describitur : *Et levavi*, inquit Daniel, *oculos meos, et vidi : et ecce vir unus vestitus lineis, et renes accincti auro obryzo ; et corpus ejus quasi chrysolithus, et facies ejus velut species fulguris, et oculi ejus ut lampas ardens ; et brachia ejus, et quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis, et vox sermonum ejus ut vox multitudinis* (Dan. X, 5). — Simili majestate, majore tamen suavitate, Gabrielem Virgini apparuisse existimandum est. Ingressus est Gabriel, inquit Lucas Brug., assumpto ex aere corpore, humanæ ac virilis formæ, multa luce conspicuo, simul et vestibus congruis, insolito radiantibus fulgore; comitatus (credibile est) pluribus aliis inferioribus angelis, corporum expertibus, quos Virgo viderit spiritu ; denique ita apparatus et instructus, ut præ se ferret supremæ Majestatis legatum, qualis revera erat (Comment. in hunc loc.).

Ingressus Gabriel, summa reverentia, voceque sensibili Mariam allocutus est ac salutavit, dicens : *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus;* alloquio nimirum usus prorsus inaudito. Non id quidem novum erat, quod angelus personam salutaret humanam; sed illud omnino singulare, quod ea uteretur salutatione, qua nullus antea cœlestis nuntius mortalem hominem compellasset : soli Mariæ hæc salutatio divinitus servabatur.

Ave.

Vox *ave*, græce χαῖρε, idem sonat ac *pax tibi*, vel *gaude* : quæ salutatio Hebræorum more, salutantis benevolentiam demonstrat, et salutato animum addit ac fiduciam; quo fere sensu angelus Raphael salutavit Tobiam dicens : *Gaudium tibi sit semper* (Tob. V. 11). — At vero, altiore prorsus sensu illud *Ave* Dei nomine defert Mariæ angelus : *A gaudio incipit eam alloqui ille gaudii nuntius. Noverat enim et plane sciebat, nuntium illud suum universis hominibus, atque omnibus pariter creaturis gaudium parare, et quoslibet a quibuscumque dolores expellere... Gaude, o supercœlestis gaudii genitrix, o indeficientis gaudii fons beatissime; o vivificantis gaudii arbor virentissima; gaude, o innupta Dei mater, o spectaculum præ mirabilibus omnibus summe admirandum! Quisnam tuum eloqui splendorem poterit?...* (S. Sophron. homil. in Deiparæ Annunt.)

Ave, gratia plena.

1° Maria dicitur *gratia plena*, i. e. repleta et cumulata donis Dei : vox enim græca κεχαριτωμένη, essentialiter concessa dona includit, quibus Virgo veluti perfusa adeoque repleta significatur.

2° Dicitur *gratia plena*, velut per modum nominis, quod nomini *Mariæ* substituitur : *Ave! o tu quæ es, et merito vocaris* GRATIA PLENA.

3° Dicitur gratia *plena*, non *implenda :* ut intelligatur, Virginem, antequam Christum conciperet, jam omnibus Dei donis fuisse ornatam, et tanquam dignum Filio Dei habitaculum præparatam.

4° Dicitur *plena*, ea plenitudine quæ competebat Matri Dei, i. e. personæ humanæ ad altissimam dignitatem electæ. Unde sequitur, hanc plenitudinem fuisse maximam quæ creaturæ mere humanæ inesse possit; adeoque in illa immaculatam Virginis conceptionem contineri. *Cum Patres*, inquit Pius IX, *Ecclesiæque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab angelo Gabriele, sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu, gratia plenam fuisse nuncupatam; docuerunt, hac singulari solemnique salutatione, nunquam alias audita, ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam : adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuæ benedictionis particeps ab Elisabeth, divino acta Spiritu, audire meruerit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui* (Bulla *Ineffabilis Deus*).

5° Quod si gratiæ plenitudinem, qua Maria locupletata est, distinctius cognoscere cupiamus, docet Suarezius (1), -1) gratiam B. Virginis in primo conceptionis ejus instanti, majorem fuisse gratia quam acquisiverit altissimus e Sanctis, vel supremus angelus; ita ut altius Mariæ sanctitas incipiat, quam reliquorum sanctitas terminetur; eique merito accommodentur hæc verba : *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (Ps. LXXXVI).—2) Hanc primam gratiam, tanquam semen, jugiter a Virgine auctam et multiplicatam esse, per totum sanctissimæ vitæ ejus decursum usque ad annum ætatis septuagesimum secundum, quo in cœlum migravit. — 3) Tunc autem, cum terram relinqueret, tantos ejus fuisse gratiæ thesauros, ut iis omnes omnino homines et angelos, simul sumptos, superaverit. Quare dicendum, Mariam unam Deo gratiorem, quam cæteras creaturas omnes existere, eamque præ omnibus angelis et hominibus, simul sumptis, a Domino Deo diligi.

Dominus tecum.

En ratio et causa tantæ gratiæ; quasi diceret : Dominus singulari benevolentia respexit humilitatem tuam, teque as-

(1) *De Incarn.* part. 2, disput. 4, sect. 1.

sumpsit ut grandia per te operetur; ideo grandia tibi dona largitus est. Quam enim Deus, ut Pius IX loquitur, Unigeniti sui Matrem elegit, *tanto præ creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus, cunctosque Sanctos, cœlestium omnium charismatum copia cumulavit... ac plenitudine, quam præter Deum nemo assequi cogitando possit* (Bulla *Ineffabilis*).

Benedicta tu in mulieribus.

Sensus est : *Tu*, mulier singularis, præ omnibus mulieribus, sive nuptis sive virginibus, benedicta es, beata, gloriosa; particeps nempe benedictionis Ejus, qui erit fructus ventris tui. — Videtur angelus ad ea respicere quæ Gen. III scripta sunt, ubi inter maledictiones per Evam inductas, mulier quædam signatur singularis, quæ, tanquam filia benedictionis, maledictionibus opponitur.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

Virgo turbata est, tum aspectu angeli, qui visibiliter et quidem specie ut adolescens adstabat; tum præcipue *sermone ejus*, ac salutatione tam contraria sensibus humilitatis suæ (1).

Et cogitabat qualis esset ista salutatio. Cum non intelligat, cogitatione inquirit *qualis* sit hæc salutatio : 1° qualis *in se*, i. e. quam magnifica, quasi apud se dicendo : Ego me feminarum omnium minimam ac vilissimam æstimo, et angelus ait me esse benedictam in mulieribus... — 2° Qualis *in suo fine*, id est, quo hæc salutatio tendat. Eo enim tendebat, ut præpararetur Maria ad maternitatis divinæ magnitudinem acceptandam : quod cum illa ne suspicaretur quidem, mirabatur, et cogitabat quare tam magnifice ab angelo salutaretur.

(1) Si presse sumatur textus Vulgatæ, turbata tantum est Maria ob verba angeli, *quæ cum audisset, turbata est :* ex græco autem fonte, turbata quoque apparet ob ea quæ vidit (ἰδοῦσα) : nempe ob visum angelum ejusque claritatem; quod etiam liturgia insinuat his verbis : *Et expavescens virgo de lumine.*

Itaque humillima virgo intelligere nequit, verba tam honorifica pertinere ad se; ideoque dubia hæret et cogitat.... Confirmatur autem ab angelo, dicente :

Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Quo melius virginem tranquillam reddat, angelus eam consueto suo nomine *Mariam* compellat. Deinde ipsi totam miræ salutationis causam explicat, quod nempe futura est mater Messiæ, cujus magnitudinem evolvit.

Invenisti gratiam, i. e. singulari prorsus modo consecuta es apud Deum gratiam, favorem, benevolentiam; nam efficieris mater Messiæ, seu, paries filium, inter omnes benedictum et magnum. Quam porro magnitudinem Angelus grandi sermone revelat.

Quod dicit : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum....* Videtur angelus Isaiæ sermonem usurpare voluisse, ut indicaret, Mariam eam esse Virginem, de qua Propheta dixerat : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (Isai. VII, 14). — Subjungitur ab angelo nomen, Filio Virginis imponendum, *Jesus*, id est, vi etymologiæ hebraicæ, *Jehovah Salvator*.

Hic erit magnus.

De magnitudine ejus secundum naturam humanam angelus loquitur. De Joanne quoque dixerat : *Erit enim magnus coram Domino* (Luc. I, 15); sed aliter quam de Christo : *ille*, inquit Ambrosius, *quasi homo magnus, hic quasi Deus magnus;* quod ex subsequenti angeli explicatione patet.

Et filius Altissimi vocabitur.

Quod dicit *vocabitur*, i. e. secundum Hebræorum idioma, filius Altissimi *erit* (1) — Filius Dei altissimi erit, non adopti-

(1) Vox enim *vocabitur* hebraismus est, et significat *erit;* ut pluribus exemplis ostendit Maldonatus ad hunc loc. Idem dicendum de sententia mox sequenti : *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur* (erit) *Filius Dei.*

vus, sicut reliqui justi, quod nihil singulare foret; sed unigenitus et proprius, quod magnum utique simpliciter dici debet. — Hinc quoque, intelligimus, filium Mariæ, cum humana natura nasciturum, fore ipsum Filium Dei, secundam personam SS. Trinitatis, adeoque personam divinam.

Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus :

De throno spirituali Davidis est sermo, qui thronus promissus est et dabitur Christo, vero, et antonomastice dicto Davidis filio.—Duplex distinguitur thronus David : *figurativus*, seu temporalis, in quo David sedit ; et *figuratus*, seu spiritualis, in quo Christus, verus David, sedere debebat. Sensus ergo est : Dabit ei Dominus Deus, tanquam hæreditatem jure obtingentem, regnum Messianum, regnum spirituale, cujus Davidis regnum umbra fuit ; dabit ei thronum David, novum scilicet ac longe nobiliorem, ut regnet in nova, magisque electa domo Jacob.

Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

Sensus est : Reget populum Dei, gentem servientium Deo, sanctam Dei Ecclesiam, cujus domus Jacob, seu populus Israel, carnali generatione a patriacha Jacob procedens, figura fuit.

Aliud enim est populus Israel secundum carnem, aliud Israel secundum spiritum, qui a Paulo vocatur *Israel Dei* (Galat. VI. 16). Porro Israel secundum carnem erat populus Dei, non tantum a Deo electus, sed etiam a Deo theocratice gubernatus ; ita ut reges ejus non essent nisi ministri Dei, et thronus eorum esset thronus Dei, Regis Israel principalis ac proprie dicti, prout patet ex his verbis Dei ad Samuelem : *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* (I Reg. VIII, 7) ; — et ex istis : *Seditque Salomon super solium Domini, in regem pro David patre suo* (I Paralip. XXIX, 23). Atqui regnum illud Israel, vel Jacob, secundum carnem, typus erat regni Israel, vel Jacob, secundum spiritum, i. e. Ecclesiæ, quam Christus, verus Israel (prævalens Deo), su-

per duodecim Apostolos suos, velut spiritualis gentis patriarchas, fundavit; quæque non sicut carnalis illa umbra caduca esset : sed, sicut res spiritualis, incorruptibilis et æterna : *Regnabit in domo Jacob in æternum.*

Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ?

Tanta magnitudo cœlitus virgini oblata, statim videtur fuisse acceptanda ; sed ecce assensum suum Maria suspendit et difficultatem movet, ac veluti conditionem requirit, dicens : *Quomodo id fiet, cum ego virginitatem servem perpetuam ?* — Quæ quæstio nequaquam dubitativa est, et longe differt a quæstione Zachariæ, non credentis, et dicentis angelo : *Unde hoc sciam ?* Maria enim fide plenissima, de divina potestate, aut de veritate sermonis angelici nequaquam dubitat ; sed miratur, et inquirit de modo, quo faciendum esset id quod via communi fieri non posset : *Quoniam*, inquit, *virum non cognosco ;* quasi diceret : Virum meum Joseph neque cognosco carnaliter, neque cognoscere jam possum, virginitatis voto obstricta ; quare modo communi id, quod mihi proponitur, fieri non potest : *Quomodo ergo fiet istud absque virginitatis meæ injuria ?*

Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Modum aperit angelus, quo sine virginitatis detrimento Maria mater efficienda sit : Spiritus enim sanctus, ait, divina sua efficacia te tanquam nubes obumbrans, divinum germen in uterum tuum virgineum pluet : *Descendet sicut pluvia in vellus* (Ps. LXXI). — *Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum* (Isai. XLV, 8). — *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (Ps. LXXXIV).

Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Sensus est : Itaque (1) proles sancta quæ nascetur, seu po-

1) Plerique interpretes jure negant particulam *ideoque*, hic esse causalem ; asseruntque eam esse explicativam, prout contextus exigit.

tius, ut Lucas Brug. adnotat, proles quæ *tam sancte* ex te nascetur, erit Filius Dei unigenitus, ille nempe quem Isaias prædixit tali modo nasciturum.

Superioribus enim verbis patet, angelum denuntiasse Virgini per eam implenda esse vaticinia Isaiæ VII et IX, quibus prædicebatur nasciturum ex Virgine *Emmanuelem*, qui vocandus erat *Admirabilis*, *Deus*, *Fortis*, etc., seu Messiam Filium Dei : qui propterea quod Deus esset, ex Virgine nasci debebat. Cum utrumque pro certo teneret B. V. Maria, tum se Filium Dei parituram, tum virginem se permansuram, sciscitatur ab angelo modum quo hæc perficerentur. De hoc modo eam angelus instruit, per obumbrationem scilicet Spiritus sancti id perficiendum declarans ; deinde redit ad illud, quod de hoc filio nascituro præmiserat, concludens : *Ideoque quod nascetur ex te Sanctum*, *vocabitur* (erit) *Filius Dei ;* ac si diceret : Talis est ortus, qui juxta vaticinia decet Filium Dei (1).

Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua ; et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Modus conceptionis Christi, ab angelo expositus, prorsus supernaturalis est, et a divina potentia pendens ; quod ut clarius explicet, utque ea in re fidem adhibendam faciliorem Mariæ efficiat, angelus exemplum proponit præsens et domesticum Elisabethæ, quæ non obstante senectute et sterilitate, concepit filium, per virtutem nimirum divinæ potentiæ. Quod autem operatus est in Elisabeth, similiter in Maria operabitur ille Deus, apud quem nullum *verbum*, i. e. nulla res impossibilis est. — His dictis stetit, tacuitque Gabriel, avide exspectans, exspectante simul cœlo et terra, responsum et consensum Virginis.

(1) Alioquin, si post magnificum illud exordium, deduxisset angelus totam rationem et causam filiationis divinæ ad modum quo perficienda erat conceptio filii nasciturі, Mariam a præclara illa notione, quam ei injecerat, ad exilem plane et jejunam revocasset. (Perrone, *Prælect. theol.* tract. de Incarn.)

Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Mirabilis hæc responsio est *humiliter et obedienter* consensum præbentis. Cum enim ex angelo modum, quo salva virginitate conceptura esset, cognovisset, etsi ille ipse modus, humana æstimatus ratione, impossibilis videri poterat, Maria non disceptavit ; sed credidit, seseque promptam ac paratam divinæ obtulit voluntati. Dico, divinæ voluntati : nam in oblata sibi magnitudine, non respicit quidquam aliud quam voluntatem Dei, quæ est unica ratio, unicum momentum suæ voluntatis assensus.

Hunc Mariæ consensum ubi angelus accepit, confecta legatione, statim discessit : *Et discessit ab illa angelus.* Ipsa autem Virgo, per illud *fiat* consensu præstito, Dei mater exstitit : in illo enim ipso temporis puncto, Verbum divinum in Virginis uterum descendens, ex purissimo ejus sanguine carnem suscepit, *et homo factus est.*

—

Explicatio secunda.

Advenit tandem plenitudo temporum, ut quod ab æterno divinis consiliis fuit decretum, a mundi exordio promissum, et a quadraginta sæculis exspectatum, ineffabile Incarnationis mysterium impleretur. Quapropter SS. Trinitas ad mulierem, quam in Verbi matrem elegerat, legationem mittit, ut ejus in illam dignitatem consensum requirat.

Missus est angelus Gabriel a Deo... ad virginem.

Hic omnia sancta sunt et sanctitatem docent : mittens, missus, missionem accipiens, et missionis finis seu objectum.

1° Mittens est ipse Deus, qui cum sit omnipotens, et creaturis non indigeat, complacet tamen sibi cum eis agere, nuntios legatosque eis mittere. En Dei bonitas, ac suavis

creaturarum gubernatio ! *Quid est homo, quod memor es ejus ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ?* Ps. VIII.

2° Missus est princeps nobilissimus curiæ cœlestis : qui exemplum nobis præbet obedientiæ, fidelitatis ac prudentiæ in Dei mandatis exsequendis.—Vocatur Gabriel, i. e. *fortitudo Dei*, quo nomine fortitudo, tum Dei mittentis, tum futuri Salvatoris, tum angeli ministri signatur....

3° Legationis tam excellentis honorem accipiens est humillima virgo Maria (1), in oppidulo Nazareth abscondita. Hanc Deus elegit, qui mundum circumspiciens, a reginis et matronis avertit oculos, ut eos in virginem pauperem converteret. Quare ? Quia vidit in ea nobilitatem, gloriamque veram intrinsecus latentem : humilitatem et puritatem. *Homo videt ea quæ parent ; Dominus autem intuetur cor.* I Reg. XVI, 7.

4° Missionis finis est, virginis petendus consensus ut mater Dei esse velit. Deus enim hominum obsequia, nisi libera sint et spontanea, non admittit. Sic, neque ad habitandum per gratiam hominum corda ingredi vult, nisi libere in id consentiant. — Deus quotidie invisibiles legationes inspirationibus sanctis, etc., ad nos mittit, per quas ingressum petit in animam, et obsequia nostra requirit....

Et ingressus angelus ad eam...

1° Ergo in interiore domo latebat Virgo, in silentio, in oratione, et illic cœlestem visitationem accipere meruit : ut discamus amorem solitudinis et fugam mundi.

2° Angelus summa sane modestia, reverentia et gravitate ingressus est, internam sanctitatem facie præferens : ut discamus, quales esse debeant etiam exteriore compositione viri apostolici, qui legatione pro Christo funguntur ; et religiosi, qui angelicam vitam profitentur...

Ave.

1° Verbum hoc benevolentiæ est et pacis, quale semper in ore habere jubentur illi qui mittuntur a Deo : *Primum dicite : Pax huic domui.* Luc. X, 5.

(1) *Adjumenta,* Argum. 46 et 8, § 1.

2° Merito gaudium et pax ex parte Dei datur Virgini, et omnibus qui eam imitantur : *Dicite justo quoniam bene*. Isai. III, 10.

Gratia plena.

His verbis recluditur oculis mundi thesaurus in anima Mariæ absconditus. — 1° Dicitur plena *gratia:* non plena divitiis externis, carnalibus, perituris ; sed gratia, i. e. donis divinis, spiritualibus, æternis. — Porro Virgo est plena *gratia* simpliciter dicta, i. e. omnigena : nimirum gratia sanctificante, virtutibus omnibus ac Spiritus sancti donis.

2° Gratia *plena*, i. e. ita donata, ut nihil in se divino dono vacuum habuerit ; ac multo magis, nihil quod esset a gratia alienum. -1) Nihil sane quod esset a gratia alienum : propterea sancta ejus anima *hortus conclusus* vocatur (Cant. IV, 12). *Vere hortus deliciarum*, inquit Hieronymus, *in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum : sicque conclusus, ut nesciat violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus.* -2) Nihil vacuum in sua existentia, sed ab ipsa sua *immaculata Conceptione*, gratia fuit præventa. -3) Nihil vacuum in sua substantia, seu in suis facultatibus : sed memoriam, intelligentiam, cor ac voluntatem, viresque externas plenissime habuit sanctificatas. — Vere *vas spirituale*, vas honoris et gratiæ ; vas gratiæ uberrimæ capax, quodque gratiæ bono usu quotidie dilatabatur, ampliorumque donorum capacior fiebat.

3° Tantæ plenitudinis causæ fuerunt : -1) ut Virgo dignum esset Verbi incarnandi habitaculum. -2) Ut digna esset cœlorum Regina. -3) Ut populo christiano Regina ac Mater futura, de plenitudine sua dare posset.

Dominus tecum.

O Virgo beatissima, *Dominus* cœli et terræ *tecum* est, 1° singulari dilectione et benevolentia tibi assistendo, ut protectione sua, lumine ac robore, in omnibus periculis et actionibus tuis, te adjuvet. Quam bonum et quam jucundum,

habere ita Dominum secum! *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Ps. XXII.

2° *Tecum* est, puta tibi præsens est, in anima tua, omnibusque animæ potentiis tanquam in vivo tabernaculo habitans.

3° Dominus *tecum* est, quia tu, spreta mundi vanitate, cum Domino manere elegisti, ideo namque ipse tecum esse delectatur.

4° *Dominus tecum* simpliciter, i. e. omni tempore fuit, est, et erit semper tecum.

5° *Dominus tecum* præsertim in persona Filii, qui semper in ulnis tuis invenietur : ita ut quicumque Dominum quærent, ad te, Maria, quacum inseparabiliter unitus erit, sint accessuri....

Benedicta tu in mulieribus.

1° *Benedicta* es a Deo, i. e. laudata, magnificata a Deo, qui te vere laudabilem vidit : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. IV, 7). — *Benedicta*, id est, vi peculiaris Dei benevolentiæ, prosperitate donata, et fecunditate, ut ex te prodeat ille, in quo benedicentur omnes tribus terræ.— Quanto præstantior est benedictio Dei benedictionibus et laudibus mundi !...

2° *Benedicta tu* ab angelis in cœlo, — et ab hominibus in terra, tum justis, tum peccatoribus, ad quos omnes tuæ benedictionis fructus descendent: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

3° Benedicta *præ omnibus mulieribus*, quantumvis excelsis ac gloriosis : præ matre Machabæorum, præ Esther, Judith, Debbora, Rachel, Eva...

4° Benedicta propter tuam sanctitatem, — propter celsitudinem dignitatis, — propter maternam beneficentiam erga homines.

Turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.

Ita Maria salutationem angelicam excipit, ut quatuor insignes virtutes manifestet : 1) castitatem, cum ad viri, licet

angelus ille sit, aspectum turbetur. -2) Humilitatem, cum hujusmodi laudes sibi non convenire existimet. -3) Prudentiam, cum rem tam insolitam ad examen revocet. -4) Silentium, cum responsum in re ambigua differat....

Ne timeas, Maria.

Quod proprium boni angeli est, Gabriel Mariæ tranquillitatem addit et pacem. Licet enim turbatio Virginis sine culpa sit, eam tamen sedat, quo melius animo quieto divinas revelationes suscipiat. — Hinc explicat angelus salutationis magnificæ causam, adeoque suæ legationis objectum....

Invenisti gratiam apud Deum.

1° En cur non timere, sed secura esse et gaudere Maria debeat, quia invenit gratiam apud Deum, bonorum omnium fontem....

2° Invenit gratiam, quia humilis et quia casta ; *Humilibus* enim *Deus dat gratiam* (I Petr. V, 5) : ideo *quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (Eccli. III, 20).—*Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem.* Prov. XXII, 11.

3° Invenit gratiam *apud Deum*, quia apud Deum, non apud homines, gratiam quæsivit; nec oculis hominum, sed Dei, placere studuit....

4° Invenit gratiam apud Deum *singularem*, ut nempe in matrem Messiæ electa sit : est enim illa ipsa de qua Propheta dicit : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum : hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum : et regni ejus non erit finis.

1° En magnitudo Filii Mariæ, quæ tota in benedictam Matrem redundat.

2° *Hic erit magnus :* absolute, et absque ulla limitatione pronuntiatur, Jesum fore magnum. *Hic* erit magnus, non illi qui a mundo ut magni prædicantur. Quicumque ergo veram magnitudinem cognoscere exoptat, Jesum respiciat... — Hic erit magnus, vere magnus divinitate et humanitate,... sapientia et sanctitate,... vita et doctrina,... verbo et exemplo,... nec non potestate et bonitate, qua magnitudinis suæ alios faciet participes. — Erit vere magnus, quia Filius Altissimi, quia Rex et quidem Rex æternalis erit....

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

Quo responso ostendit B. Virgo, 1° insignem prudentiam, maximumque virginitatis amorem. Non enim laudibus capta vel exaltata est; sed inquirit quomodo angeli promissio cum suo virginitatis voto cohæreat, quod votum servandum sibi imprimis cordi est. Exemplum hoc curam castitatis prudentissimam nos docet....

2° Ostendit se in loquendo parcam, decentem ac gravem et humilem....

3° Ostendit se de divinis verbis non dubitare; non enim sicut Zacharias signum petit, dicens : *Unde hoc sciam?* sed simpliciter de divina voluntate inquirit, ut eam clarius cognoscat, eo perfectius implendam...

Spiritus sanctus superveniet in te....

Spiritus sanctus principium erit fecunditatis virgineæ, ex quo principio sanctissimo ac spirituali nascetur proles sanctissima, spiritualis homo Jesus.

1° En imago fecunditatis spiritualis, qua anima christiana producere debet fructus virtutum ac bonorum operum in se, — et fructus conversionis atque ædificationis in proximo.

2° Ad hanc fecunditatem requiritur ex parte animæ, humilitas et castitas, — ex parte autem Spiritus sancti, operatio efficax, assidua ac fiduciali oratione impetranda....

3° Non omnes producunt fructus tam sanctos; multi enim sunt steriles; multi fructus generant corruptionis et mortis. *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spi-*

ritu, spiritus est. Joan. III, 6. — *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Gal. VI, 8.

Ecce Elisabeth cognata tua...

Mariæ credenti, nec signum ullum petenti, angelus libenter signum præbet, quo fides ei facilior ac firmior evadat; cum Zachariæ e contra dubitanti inflixerit pœnam : ut discamus, secundum lumen nobis a Deo concessum, quodque semper sufficiens est, ex toto corde totisque viribus, et cum simplicitate Deo loquenti esse credendum....

Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

En fundamentum fidei ac fiduciæ, Dei promissis adhibendæ : omnipotentia ejus.—1° Nihil impossibile, nec ea quidem quæ secundum naturæ cursum communem fieri non possunt....

2° Nihil impossibile, sed omnia æque facilia Deo, etiam quæ nobis maxime ardua et intricata ac prorsus impossibilia videntur : *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Matth, XIX, 26.

3° Nihil impossibile Deo : quapropter quæcumque promittit certissime efficiet....

Ecce ancilla Domini :
fiat mihi secundum verbum tuum.

1° O læta responsio, Deo, angelo et humano generi jucundissima ! quandoquidem ab ipsa Incarnationis mysterium adimplendum dependeat...,

2° Responsio sancta, virtutum exemplis præclara, fidei nimirum, humilitatis, obedientiæ, et cum divina voluntate conformitatis perfectissimæ. — Singula porro verba hujus mirabilis responsionis perpendenda sunt.

Ecce. — Vox est, tum promptitudinem, tum sinceritatem animi denotans.

Ancilla Domini. — Quo verbo Virgo -1) non suam se esse agnoscit, sed Dei, quem ideo *Dominum* vocat : *Dominum* scilicet simpliciter dictum et sensu absoluto ac illimitato,

Dominum cœli et terræ atque omnium quæ in eis sunt.... -2) Non suam, sed Dei voluntatem se facere demonstrat. -3) Dicit quid de se sentiat, et quid revera sit : est nimirum ancilla Domini, eaque perfectissima, nihil sibi sed omnia Domino faciens; nec ob mercedem, sed quasi ex debito serviens, et omnium infimam in ejus famulatu se reputans. — Sic nos servi Dei esse debemus, dicentes cum Propheta : *O Domine, quia ego servus tuus! ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ* (Ps. CXV). — Quam multi servi sunt et ancillæ, non Domini, sed mundi!...

Fiat mihi. -1) Verbum hoc simile verbo Christi in horto Oliveti : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* -2) Verbum perfectam cum Dei voluntate consensionem ac conformitatem exprimens, qualem ancillæ Domini perfectæ inesse decet. — Sic nos in omni eventu, sive læto sive tristi, verbum illud usurpare oportet : *Fiat!* aut illud : *Dominus est; quod bonum est in oculis suis*, id *faciat* mihi, servo suo. I Reg. III, 18.

Secundum verbum tuum. -1) Quoniam dixit : *Ecce ancilla Domini*, videtur addere debuisse : *fiat mihi secundum verbum ejus;* dicit tamen : secundum verbum *tuum*, quia illud *tuum* idem est ac *ejus*. Nam verbum angeli intelligit esse verbum Domini, cujus minister est, et cujus nomine loquitur : *Qui vos audit, me audit* (Luc. X, 16). En fides et obedientia erga Dei ministros. —2) Secundum *verbum tuum*, id est, non secundum verbum vel desiderium naturæ; sed secundum legem ac voluntatem Domini, quam unice et simpliciter in hac magnifica annuntiatione Maria respicit.... En omnis perfectionis norma : intuitus divinæ voluntatis, nostræque cum divina voluntate conformitas.

INDEX.

PAG

Epistola nuncupatoria.

Præfatio 1

Introductio. 1

Summarium historiæ evangelicæ. 7

Præcipuæ locorum distantiæ, ad Christi itinera pertinentes. . . 19

Dominica prima Adventus.

Evangelium : *Erunt signa in sole, et luna.* 21
Explicatio prima 22
Explicatio secunda 30

Dominica secunda Adventus.

Evangelium : *Legatio Joannis Baptistæ ad Jesum* . . . 38
Explicatio prima 39
Explicatio secunda 43

Dominica tertia Adventus.

Evangelium : *Legatio Judæorum ad Joannem* 51
Explicatio prima 51
Explicatio secunda 56

Dominica quarta Adventus.

Evangelium : *Prædicatio Joannis* 62
Explicatio prima 63
Explicatio secunda 67

In Nativitate Domini.

Schema prævium, *de mysterio Nativitatis Dominicæ.* . . 73
Evangelium primum : *Exiit edictum a Cæsare Augusto* . . 78
Explicatio prima 79
Explicatio secunda 86
Evangelium secundum : *Pastores loquebantur ad invicem.* . 93

Explicatio prima 93
Explicatio secunda 96
Evangelium tertium : *In principio erat Verbum.* . . . 102
Explicatio prima 103
Explicatio secunda 115

Dominica infra octavam Nativitatis.

Schema prævium, *de Christo inter homines conversante* . . 124
Evangelium : *Prophetia Simeonis et confessio Annæ* . . . 130
Explicatio prima 130
Explicatio secunda 136

In Circumcisione Domini.

Evangelium : *Circumcisio, et impositio nominis Jesu.* . . 143
Explicatio prima 143
Explicatio secunda 145

In Epiphania Domini.

Evangelium : *Magi ab Oriente venerunt* 150
Explicatio prima 151
Explicatio secunda 158

Dominica infra octavam Epiphaniæ.

Evangelium : *Cum factus esset Jesus annorum duodecim* . . 167
Explicatio prima 168
Explicatio secunda 174

Dominica secunda post Epiphaniam.

Evangelium : *Nuptiæ in Cana* 181
Explicatio prima 182
Explicatio secunda 190

Dominica tertia post Epiphaniam.

Evangelium : *Leprosus et Centurio* 197
Explicatio prima 199
Explicatio secunda 206

Dominica quarta post Epiphaniam.

Evangelium : *Tempestas sedata.* 212
Explicatio prima 213
Explicatio secunda 216

Dominica quinta post Epiphaniam.

Evangelium : *Parabola zizaniorum* 221
Explicatio prima 222
Explicatio secunda 225

Dominica sexta post Epiphaniam.

Evangelium : *Parabolæ grani sinapis et fermenti* . . . 232
Explicatio prima 233
Explicatio secunda 236

Dominica in Septuagesima.

Evangelium : *Parabola operariorum in vinea* 241
Explicatio prima 242
Explicatio secunda 246

Dominica in Sexagesima.

Evangelium : *Parabola seminantis* 254
Explicatio prima 257
Explicatio secunda 259

Dominica in Quinquagesima.

Evangelium : *Passio prædicta, cæcus illuminatus* . . . 266
Explicatio prima 268
Explicatio secunda 272

Dominica prima in Quadragesima.

Evangelium : *Jejunium et tentatio Domini.* 278
Explicatio prima 279
Explicatio secunda 286

Dominica secunda in Quadragesima.

Evangelium : *Transfiguratio Domini.* 294
Explicatio prima 295
Explicatio secunda 301

Dominica tertia in Quadragesima.

Evangelium : *Dæmonium mutum, fortis armatus, mulier de turba* 307
Explicatio prima 309
Explicatio secunda 314

Dominica quarta in Quadragesima.

Evangelium : *Multiplicatio quinque panum* 318
Explicatio prima 321
Explicatio secunda 328

Dominica Passionis.

Evangelium : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* . . . 335
Explicatio prima 336
Explicatio secunda 340

Dominica Palmarum.

Evangelium : *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus* . . . 346
Explicatio prima 348
Explicatio secunda 353

Dominica Resurrectionis.

Schema prævium, *de mysterio Resurrectionis Domini* . . 358
Evangelium : *Surrexit, non est hic* 367
Explicatio prima 368
Explicatio secunda 374

Dominica in Albis.

Evangelium : *Pax vobis... et ostendit eis manus et latus* . . 382
Explicatio prima 383
Explicatio secunda 393

Dominica secunda post Pascha.

Evangelium : *Ego sum pastor bonus.* 399
Explicatio prima 399
Explicatio secunda 403

Dominica tertia post Pascha.

Evangelium : *Modicum, et jam non videbitis me* . . . 409
Explicatio prima 410
Explicatio secunda 413

Dominica quarta post Pascha.

Evangelium : *Vado ad eum qui misit me* 419
Explicatio prima 420
Explicatio secunda 426

Dominica quinta post Pascha.

Evangelium : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo* . . 432
Explicatio prima 432
Explicatio secunda 436

In Ascensione Domini.

Schema prævium, *de mysterio Ascensionis Dominicæ.* . . 441
Evangelium : *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur* . . 447
Explicatio prima 448
Explicatio secunda 453

Die II Februarii (1), *in festo Purificationis B. M. V.*

Evangelium : *Purificatio et præsentatio in templo* . . . 459
Explicatio prima 460
Explicatio secunda 473

(1) In festo *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.*, Evangelium *de salutatione angelica*, vid. in festo *Annuntiationis B. M. V.*, pag. 495. — In festo *SS. Nominis Jesu*, Evang. *de impositione nominis Jesu*, vid. *in Circumcisione Domini*, pag. 143.

Die XIX Martii, in festo S. Joseph.

Schema præneticum, *de cultu S. Joseph* 479

Die XXV Martii, in festo Annuntiationis B. M. V.

Evangelium : *Missus est angelus Gabriel* 495
Explicatio prima 496
Explicatio secunda 506

Bruxellis, typis H. Goemaere.

3103
251.8
SCH68
SCHOUPPE, S.J. F.X.
AUTHOR
Evangelia Domincarum ac
TITLE Festorum
Tom I
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
STORAGE - CBPL